CVRSVS PHILOSOPHICVS

Ad mentem Doctoris ſubtilis

IOANNIS DVNS SCOTI

ORDINIS MINORVM

Pro Tyrenibus Scotiſtis planiori ſtylo exaratus, ac in tres Partes apté diuiſus.

Auctore Adm. Reu. P. F.
LIVIO RABESANO DE MONTVRSIO
Vicentino, Ord. Min. Reg. Obſer. Almæ D. Antonij Prouinciæ olim Miniſtro, Philoſophiæ, ac Theologiæ Lectore Generali, Sanctiſſimæq. Inquiſ. Vicen. Conſultore.

PRIMA SECVNDÆ PARTIS

Complectens quatuor Libros

DE COELO, ET MVNDO.

Cum duplici Indice Locupletiſſimo, altero Summarum, & Capitum textus, Diſputationum, ac Quæſtionum, altero verò Rerum Notabilium.

VENETIIS, M. DC. LXXII.

Apud Nicolaum Pezzana.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.

Digitized by Google

REVERENDISSIMO PATRI

ANTONIO MARIÆ

DE VENETIIS

Generali Concionatori, Lectori Theologo Prouinciæ Antonianæ Exprouinciali, Sanctiſſimæ Inquiſitionis Conſultori, ac totius Ciſmontanæ Obſeruantium Familiæ Vicario Generali Vigilantiſſimo.

HÆrebam animo Reuerendiſſime Pater, cui Cœlum meum, & Scoticum, & Ariſtotelicum crederem intelligentiæ, quem Mundo, dicam nouo, quia nouiter ſcholaſticè illuſtrato, ſufficerem Atlantem. Aſt ruit hæſitatio cum Seraphici Cœli Intelligentia, Orbis Franciſcani Atlas, Familiæ Obſeruantium decus occurris, & decor. Et ſanè an non Intelligentia mei Cœli motrix, qui acumen nactus ingenij Subtiliſſimum, Ariſtotelis nomen oſtentas, & omen? An non Atlas meo Mundo, qui vnus præcipuis oneribus ſufficis religionis? Et quidem; ſi nomen ſolum perpendam, facili negotio, potius minuens,quam augens(ne hyperbolis damner) Ante omnes incedis Doctrina, Religione, Prudentia: Doctiſſimum Areæ Philoſophicæ teſtantur, & Theologicæ, cum meſſem in Vineis Adriatici lectam, triturandam, palam exponens;non paleas obuerſantium Ventus expulit, ſed animos impu-

Digitized by Google

lit ad ſtuporem. Religioſiſſimum deprædicant Minoritæ, cum ex millibus vnus, vt patrios ſerues ſplendores, & adaugeas, omnibus præficeris vt ſol, nullum paſſurus eclypſim, occaſumuè. Prudentiſſimum. Prouinciam appello Antonianam, tui Gubernij encomiaſten incrementi; quod ſi ſenes, quia vt in plurimum pueraſcit, bis puer dicitur; te bis ſenem adhuc iuuenem, prudentia cogit acclamare, ac duplex ſubſidium oſtentare Antonianum. Multa licent (addam & debentur) quæ non expediunt. Præteribo igitur in tanta tuorum ſegete encomiorum, quæ deberem, ne purpuratæ tuæ virtuti, rubor accreſcat. Sat ſit Gentilitium tuum ſtemma, quæ vix dicerem in infinitum, coaceruare: Acquila es, Clauum tenes, quo, & fortunam figas, & fælicitates, numquam euolaturas. Vtinam pro Cœlo hoc Empireum, pro Mundo tempore commenſurato, æternitatem poſſem elargiri, vt auguror; & huic volumini lubentiori calamo, mea vota ſubſcriberem ardentiſſima. Do Cœlum; quid fælicius? Do Mundum; quid affluentius? & Cœlo vt tuo ſis Intelligentia, & Mundo Atlas

Patern. Tuæ Reuerendiſſimæ

Obſequentiſſimus, & Addictiſſimus

Fr. Liuius Rabeſanus de Monturſio.

Digitized by Google

In Vindicem contra Patrem A.R.

LIVIVM RABESANVM

DE MONTVRSIO,

Acerrimum, & iuſtum vindicem Scotiſmi.

N. PROLVSIO.

AVſonios ne quære lares; Vincentia præſtat
Argæas Palmas; en Sophus alter adeſt.

Quis Puteo ereptum fælici prædicet Euo
Verum, dùm miſerum cogitur ire Pedes?

Extulit hoc LIVIVS magni de mente Parentis,
Scotiſmi hic veri dicitur eſſe parens.

Nil flammæ ſi auro, veræ nil liuor obeſſe
Virtuti poterit; vox tamen inde nihil.

Si proprios partus, alienos lambere debet
Elogium maius reddere fama poteſt?

Eiuſdem

Digitized by Google

Eiuſdem

E L O G I V M.

Conceptum Sermonem retinere quis poteſt?
Erumpe, erumpe mi calame
Admodum R. P. LIVIVM de Monturſio admiraris
Sat eſt
Omnibus admirandus in omnibus; in vno tamen
Portentum.
Sile ingenij acumen, morum grauitatem, Religionis decora,
Illud vnum contemplandum exhibe, quo omnibus impar, quia abſque pari.
Iniuriam eò audaciorem, quò tanto viro indigniorem
Tulit, Tacuit, Condonauit.
Proh pudor! verius dicam
Inſolens amentia.
Suum Platonem garrulus Ariſtoteles impugnat: quid?
Temnit, Ferit, Dedecorat;
Reor, quia impugnare non ſufficit:
Nil enim diei nox.
Pedeſtris animus!
Aſt redit in iaculatorem ſagitta
An non honorantis eſt honos? ex aduerſo argue.
Dicat querulus Vindex, vnde arma, quibus inſoleſcit, accepit?
An non ex LIVII armamentis?
Qui potuit obiurgare negligentem; non potuit increpare loquacem, quia malè?
Et ſciuit, & potuit, & debuit. (aduerteres
At benè inquit, non eſſe Magiſtri increpationem, quia non eſt viri cordati nugas
At Sapientis, & cordati eſt nugaces reprimere.
Quid vir eximius tantæ temeritati?
Manibus calamum extorſit, vt in patientia ſua poſſideret animam ſuam.
Quid exageratius? Portentum!
(Liuidus, & Rabidus à veritate Vindice veriori, & ſinceriori calamo vindicatur)
In hoc vno tantùm ex millibus plaude Viuat,
Viuat in æternum, gemmarum ex lumine Viuat
Viuat, Viuat, Viuat.
Sic faxint ſuperi.

Ap-

Approbatio Operis prima.

EN Vobis, Studioſiſſimi, de Cœlo, & Mundo ab Admodum R. P. Liuio Rabeſano de Monturſio, inter Theologos Maximo, Sacræ Inquiſitionis Vincentiæ Qualificatore digniſſimo, & huius noſtræ Antonianæ Prouinciæ Exprouinciali vigilantiſſimo, Tractatus copioſiſſimus ſubindè exhibetur: & quidem perdignus, vt ab omnibus legatur, diligatur, colaturque. Hunc, & ego infraſcribendus, iuſſu Reuerendiſſimi Patris Antonij Mariæ Veneti, Ordinis noſtri Seraphici, in tota Ciſmontana Familia Vicarij Generalis perlegi, in quo, cùm nihil aduerſum Fidei Catholicæ reppererim, quinimò Doctrinam ſubtilitate Scotica, & Ariſtotelica ſoliditate refertam, contemplatus fuerim, vt ſub Cœlo colluceat, at typis mandetur, nedum dignum, verùm Tyronibus Scotiſtis maximè neceſſarium, cenſeo. Datum in Conuentu noſtro Sancti Blaſij Vicentiæ Idibus Iunij. M. DC. LXXI.

Frater Hieronymus Feramuſca de Vincentia Lector, & Concionator Generalis, ac Prouinciæ Pater.

Eiuſdem Operis Approbatio altera.

DE mandato Reuerendiſſimi Patris Antonij Mariæ de Venetijs, noſtri Ordinis Vicarij Generalis, Volumen aliud Curſus Philoſophici, complectens Materiam de Cœlo, & Mundo denuò perlegi, quod ſtudioſis Scotiſtis, alijſuè recens ab Adm. R. P. Liuio Rabeſano de Monturſio Theologo inſigni, & Almæ noſtræ Prouinciæ Sancti Antonij Exprouinciali optimè merito, necnon Sanctiſſimæ Inquiſitionis Vicentinæ à Conſilijs propinatur: in quo tanta eſt Doctrinæ vbertas oſtenſa, tanta vtilitas ſeminata, vt non niſi malum exiſtimarem, ſi non prælo, & indè Scholis donaretur. Datum Vicentiæ in Conuentu noſtro Sancti Blaſij ad 11. Kalendas Iunias. 1671.

Frater Hieronymus Cartellus a Scledo Lector Generalis, Prouinciæ Pater, & Guardianus.

IN-

Digitized by Google

Licentia Reuerendiſſimi Patris Vicarij Generalis.

FRater Antonius Maria Venetus Ordinis Minorum Regul. Obſeru. Concionator, & Lector Generalis, Sancti Officij Conſultor, Exprouincialis, ac in tota Ciſmontana Obſeruantium Familia Vicarius Generalis, & Seruus. Dilecto Nobis plurimùm in Chriſto Patri, Fratri Liuio Rabeſano de Monturſio eiuſdem Ordinis, Prouinciæ verò noſtræ Obſeruantium Sancti Antonij Theologo inſigni, & Exminiſtro Prouinciali ſalutem in Domino.

Cùm iuxtà Apoſtolicas, noſtrique Ordinis Conſtitutiones à duobus noſtræ Religionis Theologis, quibus id rei commiſimus, reuiſum, & approbatum fuerit ſtudioſum quoddam Opus à Te compoſitum, & elaboratum, cui titulus. Prima Secundæ Partis de Cœlo, & Mundo, vigore præſentium, & ad ſalutaris Obedientiæ fructum, quàm libenter facultatem Tibi impartimur, quatenùs ſeruatis ſeruandis, illud prælo committere poſſis. Vale noſtri apud Deum in præcibus memor. Datum Romæ die 29. Menſis Maij 1671.

Fr. Antonius Maria Venetus
Vicarius Generalis.

IN-

Digitized by Google

INDEX

Summarum, Capitulorum, Diſputationum, & Quæſtionum, quæ in hoc opere de Cœlo, & Mundo, continentur.

DISPVTATIO PROOEMIALIS.

Quæſtio I. De Inſcriptione, & Diuiſione horum Librorum de Cœlo,& Mundo, ac de Præſtantia, Dignitate, & Vtilitate huius Scientiæ. 3
Quæſtio II. Vtrum Corpus naturale, quà ſimplex, ſit horum Librorum ſubiectum? 7

LIBER PRIMVS.

Summa I. Caput Vnicum. De Agendis in his quatuor Libris. 12
Summa II. Caput Vnicum. De Diffinitione Corporis ſimplicis. 12
Summa III. Caput Vnicum. De Perfectione Vniuerſi. 12
Summa IV. Caput Vnicum. De Corpore Circulari ſimplici. 12
Summa V. Caput Vnicum. Quod Corpus circulare, & ſimplex non ſit graue, aut leue. 15
Summa VI. Caput Vnicum. Quod Corpus circulare, & ſimplex ſit expers cuiuſcunque motus præter localem. 15
Diſputatio I. De Vniuerſi Perfectione, ac Vnitate. 17
Quæſtio I. Vtrum Vniuerſum ſit perfectum? 18
Quæſtio II. Vtrum Vniuerſum ſit ita perfectum, vt non poſſit perfectius à Deo fieri? 21
Quæſtio III. Vtrum Vniuerſum ſit factum ex nihilo, aut formatum ex aliquo præſuppoſito? 27
Diſputatio II. De Corpore Circulari ſimplici, eiuſque Affectionibus ſibi in communi conuenientibus. 30
Quæſtio I. Vtrum Cœlum ſit corpus naturale ſimplex, aut compoſitum ex materia, & forma, vel mixtum ex Elementis? 30
Quæſtio II. Vtrum Cœlum ſit corpus animatum? 37
Quæſtio III. Vtrum Cœlum ſit graue, vel leue? 41
Quæſtio IV. Vtrum Corpora Cœleſtia ſint ſolida, vel fluida? 45
Quæſtio V. Vtrum Motui circulari Corporum Cœleſtium ſit aliquid contrarium? 51
Summa VII. Caput Vnicum. De Mundi, ſeu Vniuerſi Quantitate. 55
Summa VIII. Caput I. De Mundi Vnitate. 62
Caput II. Demonſtrat Vnitatem Mundi. 62
Caput III. Dubitationes ſoluit contra vnitatem Mundi. 63
Caput IV. Explanat propoſitiones, quibus concludebatur vnitas Mundi. 64
Caput V. Roborat vnitatem Mundi ex prima Philoſophia. 65
Caput VI. Confirmat vnitatem Mundi ex determinatis locis Corporum ſimplicium. 65
Caput VII. Obijcit contra vnitatem Mundi. 65
Caput VIII. Rationem reddit, quare ſit tantum vnus Mundus. 66
Diſputatio III. De varijs affectionibus Mundi. 67
Quæſtio I. Vtrum ſint, vel abſolutè poſſint eſſe plures Mundi? 67
Quæſtio II. Vtrum Mundus ſit finitæ, vel infinitæ magnitudinis? 72
Summa IX. Caput Vnicum. Quod extra Mundum non ſit, neque Vacuum, neque Locus, neque Tempus. 76
Summa X. De Incorruptibilitate Mundi, eiuſue Æternitate. 77
Caput I. De Quibuſdam Affectionibus Mundi. 77
Caput II. Pars I. An poſſit dari ingenitum corruptibile, aut genitum incorrupubi-

b pubi-

INDEX.

ptibile. 79
Caput II. Pars II. De Potentia, & Impotentia. 80
Caput II. Pars III. Quod nullum perpetuum ſit corruptibile. 81
Caput II. Pars IV. Quod nullum generabile ſit æternum, ſicut nec vllum corruptibile. 81
Caput II. Pars V. Idem oſtenditur in eodem. 81
Caput II. Pars VI. Ingenerabile, & incorruptibile conuertuntur cum æterno, & perpetuo. 82
Caput II. Pars VII. An generabile, & corruptibile, ſicut ingenerabile, & incorruptibile dicantur ad conuertentiam. 82
Diſputatio IV. De Rerum Mundialium Potentijs, ac Effectibus. 84
Quæſtio I. An præter potentias naturales, in Rerum Mundialium ordine, admittenda ſit potentia obedientialis, à naturalibus diſtincta? 85
Quæſtio II. An Potentia obedientialis rectè diuidatur in Actiuam, & Paſſiuam? 91
Quæſtio III. An Potentia obedientialis, tàm actiua, quàm paſſiua ſit æqualis in omnibus creaturis, ad quoslibet effectus producendos, & recipiendos? 96
Quæſtio IV. An ad præteritum poſſi dari potentia aliqua, creata, vel Diuina? 106
Quæſtio V. Vtrum eſſe genitum, vel productum, in rerum Mundialium ſerie, inferat neceſſariò eſſe corruptibile, & mortale? 110
Sectio I. Quid ſit, & vnde originem duxerit Anima rationalis. 111
Sectio II. An Anima rationalis ſit ab intrinſecò perpetua, & immortalis, vel ſolum ab extrinſeco, ex ſpeciali gratia Dei. 117
Sectio III. An Anima rationalis ſit natura immortalis, etiam de mente Ariſtotelis. 121

LIBER SECVNDVS.

Summa I. Epilogatio primi, & Proœmiū ſecundi libri de Cœlo. 126
Caput I. De incorruptibilitate, & ſempiternitate Cœli. 126
Caput II. De infatigabilitate Corporum Cœleſtium. 127
Caput III. De Cauſis Continuatis motus Cœleſtis. 127
Summa II. De Corpore Circulari. 128
Caput I. An Cœlum habeat Poſitionis differentias, omnes, vel ſaltem aliquas. 128
Caput II. An Motus circulares ſint plures. 130
Caput III. An Forma Cœli ſit rotunda. 131
Caput IV. An Motus Cœli ſit magis ad vnam partem, quàm ad aliam, & quare. 133
Caput V. An Motus Corporum Cœleſtium ſint æquales. 133
Diſputatio I. De Natura Cœli, eiuſque Affectionibus in particulari. 134
Quæſtio I. Vtrum in Cęlo ſtellato ſint ponendæ ex natura rei, ſex poſitionis differentiæ, ſicut in animalibus perfectis. 135
Quæſtio II. Vtrum Cœlum ſtellarum, vt complectitur Orbes inferiores, influat in potentias Animæ rationalis. 140
Quæſtio III. Vtrum Aſtrologi, ex proſpectu Cœlorum, ac obſeruatione Aſtrorum, poſſint aliquid certò prædicere, & quid. 144
Quæſtio IV. Vtrum Cœlum ſit Figuræ ſphæricæ, vel alterius? 152
Quæſtio V. Vtrum Cœlum, vt etiam complectitur Orbes inferiores, à ſe, vel ab alio moueatur? 155
Quæſtio VI. Vtrum ex Cœlorum motu ſonus, concentuſuè efficiatur? 160
Quæſtio VII. Vtrum quodcumque Cœlum moueatur à propria Intelligentia; vel vna tantùm ſufficiat omnibus Cœlis. 162
Quæſtio VIII. Vtrum Intelligentiæ Motrices Cœlorum moueant illos per aliquam potentiam, diſtinctam ab intellectu, & voluntate, & quomodo? 168
Summa III. De Stellarum natura, motu, ac diſpoſitione. 175
Caput I. De Stellarum ſubſtantia, & natura. 175
Caput II. Quonàm pacto moueantur ſtellæ in Cęlis. 175
Caput III. Cur quædam moueantur velociùs, quædam tardiùs. 178
Caput IV. Cuius ſint figuræ oſtendit. 178
Caput V. De Motibus ſtellarum. 179

Ca-

Caput VI. De Multiplicitate Stellarum in vno, & paucitate earundem in alijs. 181
Diſputatio II. De Natura, Figura, & Motu Aſtrorum. 181
Quæſtio I. Vtrum omnes Stellæ, ſiuè errantes, ſiuè inerrantes, ſint eiuſdem naturæ cum ſuis Orbibus, & eiuſdem ſpeciei infimæ inter ſe conſideratæ? 182
Quæſtio II. Vtrum Aſtra lucem à ſemetipſis habeant, vel à ſole tantum illam mutuent? 187
Quæſtio III. Vtrum Aſtra omnia patiantur deliquium, ſicut Luna, & ſcintillent, vt non Errantia faciunt? 193
Quæſtio IV. Vtrum Aſtra ſuo lumine, aut alia occulta vi, influant in hæc inferiora? 200
Quæſtio V. Vtrum Aſtra proprijs moueantur motibus? 205
Quæſtio VI. Vtrum Aſtra ſint ſphæricæ Figuræ? 207
Summa IV. De Terra, eiuſque Affectionibus, & Figura? 209
Caput I. De loco Terræ ſecundum opiniones Antiquorum. 210
Caput II. De Cauſis quietis, & motus Terræ ſecundum Antiquos. 210
Caput III. De Figura Terræ ſecundum eorumdem Antiquorum ſententias. 211
Caput IV. De quiete Terræ rationes, & opiniones aliorum. 212
Caput V. Impugnat opinionem illorum, qui dicebant Terram moueri. 214
Caput VI. Expendit locum, & quietem Terræ de mente propria. 216
Caput VII. Oſtendit denique cuius figuræ exiſtat Terra de mente propria. 217
Diſputatio III. De Natura, & Affectionibus Terræ. 219
Quæſtio I. Vtrum Terra ſit Elementum ſolidum, & opacum, à Deo immediatè ex nihilo conditum, & ſphæricum? 219
Quæſtio II. Vtrum Terra, ſiuè Globus terrenus in medio Vniuerſi, vt in ſuo loco ad inſtar puncti exiſtat? 224
Quæſtio III. Vtrum Terra, ſiuè Globus terrenus in medio Vniuerſi, ſine omni fulcro, & baſi, immobiliter exiſtat, & quieſcat? 228

LIBER TERTIVS.

Summa I. De ordine ſeruando in hoc Tractatu de Elementorum generatione, & corruptione. 234
Caput I. Epiloganțur, quæ dicta ſunt in duobus præcedentibus libris. 234
Caput II. De ordine dicendorum in hoc tertio libro. 234
Summa II. De Generatione, & Corruptione Rerum ſecundum Antiquorum opiniones. 234
Caput Vnicum. De Exiſtentia Generationis, & Corruptionis in Rerum natura. 235
Summa III. De his, qui dicunt dari partem indiuiſibilem per propoſitiones naturales alias à Mathematicis. 235
Pars I. De impoſſibilibus Mathematicis, & Naturalibus. 235
Pars II. Quod non fiant generationes ex ſuperficiebus. 236
Summa IV. Caput Vnicum. De Generatione quorundam, & non omnium corporum. 242
Summa V. De Cauſis Generationis in Compoſitis. 242
Caput I. De Principijs Corporum Mixtorum. 242
Caput II. Quod huiuſmodi principia non ſint infinita. 243
Caput III. Quod huiuſmodi principia ſint plura vno. 245
Summa VI. Caput Vnicum. De Generatione, & Corruptione Elementorum ſecundum partem, & non ſecundum totum. 248
Summa VII. Caput Vnicum. De Mutua Elementorum Generatione, & Corruptione. 249
Summa VIII. De Mutua Elementorum Generatione ſecundum ſententias Antiquorum. 249
Diſputatio Vnica. De Elementorum Quiditate, Quantitate, & Qualitate. 255
Quæſtio I. Vtrum Elementum ſit rectè diffinitum ab Ariſtotele in t.31. 255
Quæſtio II. Vtrum quodlibet Elementũ, preſsè ſumptum, ſit compoſitum ex materia, & forma ſubſtantiali. 260
Quæſtio III. Vtrum Elementa ſint plura, vel vnum tantum? 263

Quæſtio IV. Vtrum Elementa, iam enumerata ſint inæqualia in dignitate, & præſtantia? 268
Quæſtio V. Vtrum Elementa omnia ſint ſecundum ſe figurata? & an figura ſphærica? 271

LIBER QVARTVS.

Summa I. De Graui, & Leui ſecundum opiniones Antiquorum. 275
Caput I. De his, quæ agenda ſunt in toto libro. 275
Caput II. Examinat opiniones Antiquorum de Graui, & Leui. 275
Caput III. Aliorum opiniones etiam recenſet & illorum fallacias oſtendit, ac deſtruit. 276
Summa II. De Graui, & Leui ſimpliciter, ac in reſpectu. 280
Caput I. Cur corpora naturalia, aliqua ferantur ſemper ſurſum, & alia ſemper deorſum: alia verò interdùm ſurſum, & interdùm deorsùm in reſpectu ad ſurſum, & deorsùm ſimpliciter. 280
Caput II. De Graui, & Leui quoad eorum Diffiniriones, & accidentia, quæ illis inſunt. 282
Summa III. De Diffinitionibus Grauis, & Leuis, & quibus corporibus inſint cum ſuis accidentibus. 282
Caput I. De Diffinitionibus grauis, & leuis, tum ſimpliciter, tùm in reſpectu. 282
Caput II. De cauſis, cur aliqua ſint leuiora, & grauiora in vno loco, & minimè in alio. 283
Caput III. De Corporibus ſimpliciter grauibus, & leuibus. 283
Caput IV. De Numero Corporum Grauium, & Leuium, tùm ſimpliciter, tùm in reſpectu. 284
Caput V. Quod omnia Elementa grauitent in ſuis locis, præter ignem. 285
Caput VI. De differentijs Elementorũ. 286
Caput VII. De cauſis motuum illorũ. 287
Diſputatio Vnica. De Natura, & affectionibus grauium, & leuium. 288
Quæſtio I. Vtrum Grauitas, & Leuitas ſint formæ ſubſtantiales Elementorum à ſeinuicem eſſentialiter diſtinctæ? 288
Quæſtio II. Vtrum Grauitates Terræ, & Aquæ; ac Leuitates Ignis, & Aeris diſtinguantur ſpecie, vel numero tantum. 293
Quæſtio III. Vtrum omnia, vel aliqua Elementa grauitent, aut leuitent in proprijs regionibus? 299
Quæſtio IV. Vtrum ex Elementis duo ſint grauia, & duo ſint leuia ſimpliciter: vel tantum Terra ſit grauis, & Ignis ſolùm ſimpliciter? Aqua verò, & Aer comparatè? 302

INDEX

LOCVPLETISSIMVS RERVM NOTABILIVM, Quæ in quatuor Libris Ariſtotelis de Cœlo, & Mundo continentur.

Primus numerus paginam, ſecundus columnam demonſtrat.

Æternitas, Æternum.

Æternitas Mundi, & eius incorruptibilitas ab Ariſtotele multipliciter oſtenditur. num. 78. *Col.* 1. 2. 79. 1. 2.

Æternum, ſempiternum, & perpetuum differunt, & quomodo. 118. 1.

Agere, Actio.

Agere contingit dupliciter, principaliter, & inſtrumentaliter, & quid ſit vtrumque. 91. 1. *Agere inſtrumentaliter, multipliciter attenditur. ibidem* 1. 2. *Agere dupliciter, nempe immediatione virtutis, & immediatione ſuppoſiti. ibidem.* 2. *Agere mediate dupliciter contingit. ibidem.* 2.

Anima Rationalis.

Animæ rationalis mortalitas, vel immortalitas à quibus ſuſtineatur. 111. 1. *Eius origo multipliciter expenditur. ibidem.* 2. *Anima rationalis nequit dici particula Diuinitatis, aut Aura Diuinæ.* 113. 1. *Non accipit eſſe à parentibus per generationem virtute ſeminis. ibidem. Oſtenditur multipliciter. ibidem.* 2. *Producitur immediate à Deo per creationẽ.* 114. 1. *Animæ rationales non fuerunt creatæ omnes ſimul, vt aſſerebant Plato, & Origenes. ibidem.* 2. *Anima rationalis quonàm pacto dicatur ſpiraculum vitæ Dei.* 115. 2. *An ſit immortalis ab intrinſico, vel ab extrinſeco controuertitur.* 117. 1. *Nequit eſſe mortalis, aut extingui ſimul cum corpore.* 118. 1. *Eſt immortalis ab intrinſeco, & non ſolum in exitu, vt falsò putauit Roccus. ibidem.* 2. *Eius immortalitatem agnouit etiam Ariſtoteles de mente D. Thomæ.* 122. 1. *Eſt probabilis etiam Doctori Subtili. ibidem. oppoſitum tamen vt probabilius ſuſtinetur ab eodem.* 123. 1. *Vtrumque ſuſtineri poteſt de mẽte Ariſtotelis in Doctrina Scoti.* 124. 1. 2. 125. 1. 2. 126. 1. 2.

Aſtra, Aſtrorum Imagines.

Aſtra, quæ ſint. 182. 2. *An ſint compoſita ex materia, & forma phyſica. ibidem.* & 183. 1. *Sunt omnia eiuſdem ſpeciei phyſicè, non metaphyſicè.* 184. 1. *Nedum inter ſe conſiderata, ſed etiam cum ſuis orbibus.* 187. 1. *An habeant lumen à ſeipſis, vel à Sole controuertitur. ibidem.* 2. 188. 1. *Aſtra, alia ſunt errantia, & alia inerrantia* 188. 1. 2. *Eorum numerus, quis. ibidem. Aſtrorum Imagines ſunt quadraginta octo. ibidem. Diſtribuuntur in triplici plaga. ibidem. Zodiaci imagines ſunt duodecim ibidem.* 2. *Harum aliquæ ſunt ſeptentrionales: aliæ Meridionales: alia Aſcendentes, & alia Deſcendentes vocantur. ibidem. Imagines extra Zodiacum, quæ in Boreali plaga conſpiciuntur ſunt viginti, & vna, & quæ.* 189. 2. *In Meridionali plaga diſpoſita ſunt quindecim, & quæ.* 190. 1. *Aſtra omnia, tum errantia, tum inerrantia ſunt prædita propria ſiue, diſtincta à luce ſolis.* 191. 1. *Illuſtrantur inſuper à lumine Solis. ibidem.* 2. *Aſtrorum lux propria, & lumen Solis diſtinguuntur realiter.* 192. 2. *Aſtra omnia an patiantur deliquium, & ſcent illant: controuertitur.* 195. 2. 196. 1. *Aſtrorũ nullũ, præter Solem, & Lunã pati poteſt deliquium.* 198. 1. *Aſtra ſuo lumine influunt in hac inferiora.* 201. 2. *Habent actionem in mixta inanimata, tàm perfecta, quàm imperfecta.* 202. 1. *Influunt*

ſluunt, diſponendo materiam, ad omniũ viuentium productionem. ibidem. Non tamen ad animarum productionem pertingere valent. ibidem. Multa agunt ad infirmitates humanorum corporum, & nonulla ad eorundem ſanitatem. 202. 2. An Aſtra proprijs moueantur motibus. Controuertitur. 204. 1. Aſtra errantia, & inerrantia conueniunt, & differunt adinuicem. 204. 2. Inerrantia mouentur tãtùm ad motum ſuæ Sphæræ. 205. 2. Errantia pariter cietur ad motum ſuorum Orbium dũtaxat. 206. 1. Axtra omnia, ſiuè errantia, ſiuè inerrantia, ſunt figuræ ſphæricæ, non preſſæ, ſed largè ſumendo ſphæricum. 208. 2.

Aſtrologi, Aſtrologia.

Aſtrologiæ diuiſio multiplex. 145. 1. Aſtrologiæ altera diuiſio. 146. 2. 147. 1. Diuiditur communiter in Naturalem, & Iudiciariam. 145. 1. Naturalis, quæ, & quotuplex. ibidem. Iudiciaria, quæ, & quotuplex ibidem. Hæc partitur in Reuolutoriam, Genethliacam, & Electiuam. ibidem. Earumdem diffinitiones, quæ ibidem. Aſtrologia inſuper partitur in Theoricam, ſiuè ſpeculatiuam, & Practicam. 146. 1. ſpeculatiua comprehendit ſub ſe, Aſtrologiam preſſe ſumptã, Geographiam, Chorographiam, & Topographiam. ibidem. Speculatiua item ſubdiuiditur in Gnomonicam, Meteoroſcopicam, & Dioptricam. ibidem 2. Earum deſcriptiones. ibidem. Aſtrologia practica ſubdiuiditur in Naturalem, & ſuperſtitioſam. ibidem. Naturalis, quæ, & quotuplex. ibidem. Superſtitioſa, quam communiter Iudiciariam appellant, quæ, & à quibus reprobatur. ibidem. Hæc, quæ futura contingentia libera, prænoſcere prętendit, eſt omninò damnata. 148. 2. 149. 1. 2.

Aſtrologi ex proſpectu Cœlorũ, & obſeruatione Aſtrorum, an futura prædicere poſſint, & quę. Variant Doctores. 144. 2. Poſſunt pręnunciare, ex Aſtrorũ proſpectu, futura naturalia. 146. 2. 147. 1. Futura autem libera nequaquam prędicere valent. 147. 2. Aſtrologi prędicere poſſunt, licet non certò, futura pendentia à cauſis naturalibus, vt ſterelitates, grandines, pluuias, infirmitates, & cętera huiuſmodi 147. 1.

Et aliqua oculta manifeſtare ex reuelatione Dæmonis. 149. 2.

Bruta, Animalia.

Brutorum corpora directè ſubſunt influxibus Cœlorum, & Aſtrorum. 202. 1. 2. Eorum animæ pariter, diſpoſitiuè ſaltem, ab eis dependent, nequaquam autem productiuè. 202. 1. 2.

Centrum.

Duplex, magnitudinis, & grauitatis. 225. 1. Quid ſit vtrumque. ibidem 2. Quonam pacto differant in comparatione ad corpora grauia. ibidem. Globus terrenus, ex elementis terrę, & aquæ compactus, in quo centro exiſtat. ibidem.

Circulus.

Circuli Planetarum, alij dicuntur Reuoluentes, & alij Deferentes. 205. 1. 2.

Cœlum. Orbis.

Cœlũ dupliciter ſumi poteſt, propriè, & impropriè. 4. 2. Vt complectitur corpora cœleſtia nequit eſſe ſubiectum huius ſcientię de Cœlo, & Mundo. 9. 2. Cœlum non eſt graue, nec leue. 15. 1. 2. Eſt quintum corpus ſimplex, ingenerabile, & incorruptibile. 16. 1. 2. An poſſit dici generabile, & corruptibile, & compoſitum ex materia, & forma ſecundum Ariſtotelem: Varię opiniones, 30. 2. Quid nomine Cœli intelligatur. 31. 1. 2. Quonàm pacto poſſit dici ſimplex, & compoſitum. 32. 1. 2. 33. 1. Cœlum non vllum ex Elementis 33. 2. Cœli compoſitio ex materia, & forma phyſica, non tollit ſimplicitatem aſſertam ab Ariſtotele. 33. 2. Quomodo dici poſſit generabile, & corruptibile, ac etiam ingenerabile, & incorruptibile 36. 2. Quomodo ſit perpetuum, ſempiternum, & neceſſarium. 35. 1. Qualiter dicatur habere qualitates elementorum. 36. 1. Cœlos eſſe animatos dupliciter intelligi poteſt. 37. 2. Sũt inanimati per informationem ſecundum

ve-

Digitized by Google

veritatem 38. 2. 39. 1. Etiam ſecundum Ariſtotelem, ſecus ſecundum aſſiſtentiam. ibidem. 2. Dicere Cælos eſſe animatos formaliter, eſt error in fine ibidẽ. In Cælo non reperiuntur ſex poſitiones ex natura rei ſecundum Scotum. 40. 2. Cælum neque eſt graue, neque leue per ordinem ad motum, vel locum, nequè ſecundum naturam 43. 1. 2. Cæli particula ſi decideret in terram, an naturaliter poſſet reuniri ſuo toti? 45. 1. 2. Cæli Planetarum tribus orbibus coaleſcunt. 46. 2. Cælum non eſt infinitum in magnitudine 57. 1. Cæli non fatigantur, ac proindè non egent fulcro, vt putarunt Poetæ. 127. 1. 2. Cælo conuenire poſſunt ſex poſitionum differentiæ ſecundum Ariſtotelem. 129. 1. 2. Cæli figura eſt neceſſario ſpharica ſecũdum Philoſophum. 131. 2. 132. 1. 2. 133. 1. Cæli motus eſt regularis. 133. 2. 134. 1. 2. Cælo ſtellato nequaquam ſex poſitionis differentiæ conuenire poſſunt, vt cenſuit Ariſtoteles. 135. 1. 2.

Quonam pacto Cælum influere valeat in potentias Animæ rationalis: Varia Doctorum placita. 140. 2. 141. 1. Cælos agere in hac inferiora contingit dupliciter. 141. 1. 2. Cælos mouere voluntatem humanam dupliciter intelligi poteſt. 141. 2. Nequeunt agere in volũtatem, humanam aut intellectum immediate. ibidem. Mouere tamen poſſunt eaſdem potentias indirectè, diſpoſitiuè, & allicitiuè. 142. 2. Nequaquam autem directè, & efficacitèr. ibidem. Cælum eſſe figuræ ſpericæ, & qui alterius ſuſtinent. 152. 2. Eſſe tamen ſparicum communiter cenſetur. 153. 2. Eſſe conditum ad inſtar tentorij, vel tabernaculi, aut fornicis, quomodo intelligatur ibidem. 1. 2. Cælos moueri ab intrinſeco, & ab extrinſeco tantum qui tueantur. 155. 2. Cæli motum, neque naturalem, neque violentum, ſed neutrum eſſe defenditur à Scoto 156. 1. Cælum poſſe comparari, vel ad motum; vel ad terminum motus ibidem. Cælum duplici motu cieri, & quomodo. 156. 2. Non mouetur à propria forma, ſed vel à Deo vel ab Intelligentia de illius mandato. 157. 1. 2. Neque de poſſibili moueri poteſt ab intrinſeco contra Maſtrium 158. 1. 2. Cælorum numerus, varius cenſetur à Doctoribus. 162. 2. Deſumitur eorum numerus à multiplicitate Corporum cæleſtium motus. 163. 1. Cælorum Orbes mobiles ſunt tãtùm nouem, nec plures, nec pauciores. 164. 1. 2. Vnumquodque mouetur ab vna Intelligentia, nec vna ſufficit pro omnibus ibidem. Cælos omnes, quamuis Deus ſe ſolo mouere poſſit, tamen admittit concurſum Intelligentiarum. ibidem. 2. Cælum moueri poſſe ab Intelligentia organicè, & inorganicè. 171. 2.

Communicabile, Incommunicabile.

Communicabile alteri ſtat dupliciter, nempè vt quo, & vt quod. 37. 2. Incommunicabile etiam duplex eſt, ſcilicet vt quo, & quod. ibidem. Quid ſit vtrumquè. ibidem.

Concentus.

Concentus triplex. Vocalis, Inſtrumentarius. & Mundanus. 160. 2. Concentus Cælorum quis dici poſſit ibidem 2. Metaphoricus admitti poteſt in Cælorum motibus, etiam de mente Ariſtotelis 162. 1. 2. Quiſnam foret ſecundum Pythagoricos. ibidem.

Contrarium, Contrarietas.

Contrarietas dupliciter ſpectari poteſt. 51. 2. Contrarietas motuum attendi poteſt ab intrinſeco, & ab extrinſeco. 51. 1. Contraria, poſita ſe ponunt, & perempta ſe perimunt. 2. de Cælo. t. 18. 264. 1. Poſito vno contrariorum in natura, neceſſariò poni debet, & alterum ibidem.

Corpus, Corpus naturale.

Corpus phyſicum, aliud organicũ, & aliud inorganicum, & quid ſint. 38. 1. 2. Inter corpus naturale viuum & mortuum datur medium per abnegationem, ideſt non viuum. 40. 1. Corpora Cæleſtia, an fluida, vel ſolida exiſtant: varia Doctorum placita 45. 2. 46. 1. Sunt omninò ſolida. 47. 1. 2. 48. 1. 2. Corpora naturalia, alia ſolida, & alia fluida. 46 1. Corpus ſimplex infinitum dari nequit. 55. 1. 2.

Digitized by Google

Quod non in magnitudine, oſtenditur multipliter 56.1.2. Corpora ſimplicia, quæ mouentur motu recto, non ſunt infinita in magnitudine. 57. 2. Corpus circulare duplex, plenum, quod & rotundum, ac non plenum, quod orbiculare vocatur. 153. 1. Corpus naturale quid. 261. Diuiditur in animatum, & inanimatum. ibidem. Inanimatum partitur in ſimplex, & mixtũ. ibidem. Quid ſit vtrumque ibidem. Compoſitum, & ſimplex aduerſantur. ibidem. Quonam pacto poſſint ſtare ſimul in eodem. ibidem 2. Mixtum quomodo dignoſcatur compoſitum ex Elementis 263. 2. Simplex diffinitur per ordinem ad motum ſimplicem. 264. 1. Corporum, aliud ſimilare, & aliud diſſimilare. 272. 1. Quid ſit vtrumque ibidem. Corporis naturalis multiplex diuiſio. 8. 1. Corpus naturale, vt mobile ad locale nequit eſſe ſubiectum horum librorum de Cælo, & Mundo. 9. 2. Corpus naturale, quà ſimplex eſt ſubiectum huius ſcientiæ. 10. 1. Corpus ſimplex, vt diſtinguitur à mixto, diffinitur in ordine ad motum. 13. 2. Corpus ſimplex eſt tantum vnius motus ſimplicis. ibidem. & 163. 1. Corpora ſimplicia, & circularia ſunt quinque, nempe quatuor Elementa, & Cælum. 14. 1. Quibus motibus cieantur ibidem. 1. 2. Corpus circulare ſimplex eſt expers cuiuſcuque motus, præter localem: oſtenditur. 15. 2. 16. 1. 2.

Corruptibile, Incorruptibile.

Corruptibile, & incorruptibile differunt genere. 8. 2. & pluſquam genere, ex Ariſtotele 9. 2. Quomodo ſit verum. 8. 2. 11. 2. 12. 1. 2. Corruptibile & generabile ſe conſequuntur. 81. 2. Nequeunt eſſe perpetua, & æterna. 82. 2. Eſſe corruptibile, & aliquando non corrumpi impoſſibile ſecundum Ariſtotelem. 83. 2.

Creatio, Creatura.

Creatio tripliciter ſpectari poteſt. 113. 1. Creatura, vt eleuari poſſit ad terminum creationis, contingit dupliciter. 98. 1. Creatura eleuari nequit per potentiam obedientialem actiuam, vt attingere poſſit, tanquam cauſa principalis terminum creationis. 100. 1. 2. Benè tamen aſſumi poteſt, vt ſit inſtrumentum morale creandi gratiam, & alios habitus ſupernaturales. 101. 1. 2.

Deferens Circulus.

Deferens Planetas quid ſit. 46. 2.

Dęmones.

Dæmones, quæ futura contingentia cognoſcere poſſunt. 149. 2. Quomodo illa poſſunt agnoſcere. 150. 1. & ibidem. Quandoque permittuntur à Deo, vt cognoſcere poſſint, & reuelare quædam futura Maleficis in eorum, aut aliorum perniciem. 150. 1. 152. Ex cognitione temperamenti humani nequeũt Dæmones certò ſcire, ac alijs, nempè Aſtrologis, prædicere hominum mores, à libero pendentes arbitrio. 152. 1.

Deus.

Deus hoc ſolo priuatur, ingenita facere, quæ facta ſunt: quomodo verum. 110. 1. Se ſolo mouere poteſt omnes, & ſingulos orbes. 163. Admittit tamen ſecum ex ſuo beneplicito concurſum cauſarum ſecundarum, nempè Angelorum, ſeu Intelligentiarum ibidem.

Eccentticus, Coneentricus circulus.

Eccentricus, & Concentricus Orbis quis dicatur. 46. 2. Eorum numerus in quouis Planetarum Cælo. ibidem. 2. 47. 1.

Ecclypſis.

Ecclypſis quid, & quotuplex ſit. 196. 1. Quæ requirantur ad cauſandam Ecclypſim. ibidem. 2. Sol, & luna Ecclipſantur, hæc propriè, & ille impropriè. 197. 2.

Elementum, Elementa.

Elementum quotupliciter ſumatur 256. 1.

Diſſi-

Diffinitur dupliciter, quoad quid nominis, & quoad quid rei, & quomodo. ibidem. 2. Elementum ſumitur communiter, & vt ſingularizatum ad corpora ſimplicia ſublunaria. 257. 1. Vtrunquè diffinitur ab Ariſtotele. ibidem. 1. Elementum in genere comprehendit ſub ſe omnia principia, ex quibus coaleſcunt omnia compoſita, ſiuè ſubſtantialia, ſiuè accidentialia. ibidem. 2. Hoc pacto diffinitur ab Ariſtotele 5. Metaph. t. 4. & 12. Metaph. t. 19. Elementum, vt coarctatum ad principia indiuiſibilia in diuerſa ſpecie, diffinitur ab eodem in tertio de Cœlo. t. 31. 257. 2. Elementum preſſe conſideratum, an componatur ex materia, & forma ſubſtantiali, controuertitur. 260. 1. Elementa non tantùm conſtant ex materia prima, affecta quatuor qualitatibus primis. 261. 1. Sunt corpora naturalia Simplicia, ſimplicitate oppoſita mixtioni, non verò compoſitioni ex materia, & forma ſubſtantiali ibidem. 2. Sunt plura, & quot. 263. Sūt numero quatuor. 264. 2. Nec plura, nec pauciora. 265. 1. Impugnatur Elementum ignis. 265. 2. Defenditur. 266. 1. Elementa an ſint inęqualia in dignitate, & præſtantia: controuertitur. 268. 1. Elemēta tripliciter ſpectari poſſunt. ibidem. 1. 2. Elementorum præſtantia dupliciter attendi poteſt. 269. 1. Elementum ignis excellit cætera ſecundum eſse ſubſtantiale, & in modo eſsendi. ibidem. 2. Eſt cæteris deterius quoad vtilitatem, & beneficentiam. ibidem. Eſt tamen cæteris præſtantiùs in ordine ad conſtitutionem Mixtorum. 270. 1. Elementa omnia an ſint figuratta, & qua figura: controuertitur. 271. 2. Ad nullam figuram ſunt determinata 273. 1. Omnia figurari poſſunt figura inaturali, & extrinſeca. ibidem. Omnia ſunt figura rotunda, ac Sperica. ibidem. 1. 2. Elementis diuerſæ figuræ attribuuntur à Platone. 274. 2. Quonàm pacto defenditur à Platonicis. 275. 1. 2. Elementa quomodo ordinentur adinuicem. 284. 2. In vnoquoque reperitur actus, & potentia. ibidem. Differunt ex diuerſitate materierum, & quomodo. 285. 1. Elementa ſunt alia grauia, & alia leuia, & vnde dicantur talia. ibidem. Omnia, vel ſolum aliqua an grauitent, aut leuitent in proprijs regionibus: controuertitur. 299. 1. 2. Habent omnia proprias ſedes, & vbi. ibidem. 2. Elementorum an duo ſint grauia, & duo leuia ſimpliciter: vel an ſolum ignis ſit leuis ſimpliciter, & terra duntaxat ſit ſimpliciter grauis? Controuertitur. 305. 2. Elementa media, ad ſua extrema comparata, nequeunt vocari grauia, & leuia ſimpliciter. 307. 1. Cæterum ad ſeinuicem ordinata, aqua eſt ſimpliciter grauis, & aer ſimpliciter leuis. ibidem.

Ens.

Entis finiti, & limitati diuiſio. 112. 1. Entia corporea quomodo eleuari poſsunt à Deo ad producendos aliquos effectus ſpirituales, & quomodo non poſſint. 104. 1. 2. 105. 1. 2.

Epicyclus.

Epicyclus quid ſit. 46. 2.
In Epicyclis manent affixi aliqui Planetæ ibidem 2. 47. 1.
Sol non habet Epicyclum, & quare 46. 2. 47. 1.
Ad motum Epicycli Planeta circa centrū m reuoluitur, ſicut Epicyclus ad motum Eccentrici ſimpliciter circa terram circumducitur. 46. 2.

Extra.

Extra Mundum nihil eſse, quonàm pacto oſtendatur. 60. 2.
An ſit abſolute verum ſecundum Ariſtotelem.

Figura.

Figurarum, aliam naturalem, & intrinſecam: aliam vero innaturalem, & extrinſecam figurato. 272. 2. Figuræ diuerſæ enumerantur à Platone, & applicantur Elementis. 274. 2. 275. 2.

Forma.

Forma.

Forma duplex, informans, & aſſiſtens, & quid ſint. 37.2.38.1. *Forma quid, & quotuplex ſit.* 288. 2. *Forma, vt recipi poſſit in potentia paſſiua, plures diſpoſitiones exigit, & quas.* 97.1.2 *Forma corporalis nequit recipi in ſubiecto ſpirituali, neque ſpiritualis in corporali.* 102. 1. 2. 103.1. *Formam creari, aut educi de potentia materiæ, vel ſubiecti, quid ſit.* 112.2. *Quenam ſint formæ educibiles, & creabiles ibidem. Formæ producibiles, ab agente naturali, & immediatè à Deo, valdè differunt.* 121.2.

Futura.

Futura triplicia. & quæ. 145. 2. 146. 1. *De quibus poſſit fieri prædictio ab Aſtrologis ibidem. Vel à Dæmonibus.* 149. 2. 150. 1. *Nequeunt Aſtrologi prædicere futura libera, neque manifeſtare res ocultas, ſiuè præteritas, ſiuè præſentes ex obſeruatione Aſtrorum, ſed ſolum aliqua ex reuelatione Dæmonis.* 149.2.

Generatio, Generabile, Genitum.

Generatio in creaturis duo dicit, quæ poſſunt abinuicem ſeparari, nempè productionem termini, & mutationem ſubiecti. 121. 1. *Genitum, vel productum, an inferat de neceſſitate eſſe corruptibile, & mortale?* 110. 2. *Qualiter habere, vel non habere poſſit veritatem.* 126.2. 121. 2. *Generabile, & Corruptibile duplex ſcilicet remotum, & propinquum.* 32. 1. 2. *Generabile, & Corruptibile, ſicut ingenerabile, & incorruptibile, ſe conſequuntur.* 79. 1. 2. *Genitum nullum poteſt eſſe incorruptibile, & æternum.* 84. 1.

Globus Terrenus.

Globus terrenus quid ſit. 225. 1. *Comparatus ad Cœlum Stellatum, an ſe habeat vt punctus. ibidem.* 2. *Collocatus in medio Vniuerſi eſt in centro magnitudinis, non autem grauitatis.* 226. 1. *Comparatus ad Aplanem eſt ſicut punctus phyſicus, non mathematicus. ibidem.* 2. *In medio Vniuerſi exiſtens, quieſcit immobiliter localiter.* 230.2.231.1. 2. *Moueri tamen poteſt motu alterationis augmentationis, & diminutionis ſecundum partes.* 232. 1. *Reliqua vide in verbo.* Terra.

Grauitas, Graue.

Graue, & leue, grauiſſimum, & leuiſsimum quid ſint. 15. 1. *Dupliciter ſumi poteſt.* 42. 1. *Grauitas, & leuitas dicunt repugnantiam formalem cum natura Cœli.* 43. 2. *Grauitas, & leuitas an ſint formæ ſubſtantiales Elementorum: controuertitur.* 288.1. *An abinuicem differant eſſentialiter. ibidem.* 2. *Grauitas, & leuitas quid ſint.* 289. 2. *Non ſunt formæ ſubſtantiales Elementorum grauium, & leuium, ſed accidentales.* 290. 1. *Grauitas non eſt adæquatè denſitas; nequè leuitas adæquatè raritas. ibidem.* 2. *Grauitates Terræ, & Aquæ, ac leuitates Aeris, & Ignis, an diſtinguantur ſpecie controuertunt Doctores.* 293. 1. 2. *Graue, & leue diffiniuntur.* 293.2. *Omnia grauia, & leuia conueniunt in vna diffinitione. ibid. Diſconueniunt etiam, & quomodo.* 294. 1. *Grauitas terræ poteſt comparari ad grauitatem aquæ, vel ad leuitatem aeris, & ignis. ibidem. Grauitas, & leuitas ſunt principia actiua duorum motuum contrariorum. ibidem.* 2. *Poſſunt comparari ad terminos motuum in genere, vel in ſpecie, vel ad medium vt ſic, vel ad extremum vt ſic. ibidem. Graue, & leue ſunt contraria diſparatè.* 295. 1. *Probabile eſt grauitatem aquæ, & grauitatem terræ: ſimiliter leuitatem aeris, & leuitatem ignis non conſtituere diſtinctas ſpecies, ſed ſolùm differre ſecundum magis, & minus. ibidem.* 2. *Probabilius tamen eſt huiuſmodi grauitates, & leuitates diſtingui ſpecie.* 296. 1. *Grauitas, & leuitas ſumi poſſunt in actu primo, & in actu ſecundo, ac quomodo.* 299. 1. *Grauitare, & leuitare Elementorum, & habere grauitatem, & leuitatem in actu ſecundo, differunt.* 300. 1. *Quid ſit grauitare, & leuitare. ibidem. Grauitare, & leuitare ſumpta à grauitate, & leuitate in*

actu

Digitized by Google

actu primo, conueniunt omnibus Elementis, ſiue extra, ſiue in proprijs ſedibus exiſtant 300. 2. *Sumpta verò ab eiſdem in actu ſecundo conueniunt elementis extra proprias regiones, non autem ſi in eiſdem quieſcant.* 301. 1. *Probabile tamen eſt, non ſolum Elementa media, verum etiam extrema grauitare, & leuitare in proprijs regionibus. ibidem.* 2. *Graue ſimpliciter, & leue ſimpliciter quadrupliciter ſumuntur.* 305. 2. 306. 1. *Graue, & leue comparatè dupliciter attendi poſſunt. ibidem.*

Ignis, & Ignis Elementum.

Ignis in ſua ſpæra, & ignis extra ſunt eiuſdem naturæ 266. 1. *Ponēdus eſt in concauo lunæ propter bonum Vniuerſi, & ad eius ornatum. ibidem.* 2. *Quarè in ſua ſphæra non vrat oſtenditur.* 267. 1. 2. *Reliqua vide in verbo.* Elementum.

Immortale.

Immortale dupliciter ſumitur 117. 2. *Negare poteſt potentiam, & actum moriendi, vel actum tantùm. ibidem.*

Impoſſibile.

Impoſſibile ſimpliciter quid ſit. 107. 2. *Per nullam potentiam poteſt fieri poſſibile ibidem. Oppoſitum eſt dicendum de impoſibili ſecundum quid. ibidem. Impoſſibile formaliter, & per ordinem ad aliquod agens differunt. ibidem.*

Infinitum, Infinitas.

Infinitum in magnitudine nequit eſſe in rerum natura. 56. 2. *Nequit mouere, aut agere, aut pati ab alio infinito.* 60. 2. *Infinitum duplex in actu, & inpotentia quid ſint, & quomodo differant.* 73. 1. *Infinitum in actu, totum actuale, & perfectum idem ſonant: ſimiliter infinitum in potentia, totum potentiale, & imperfectum idem ſignificant.* 73 2. *Infinitum actu nequit coaleſcere ex partibus finitis, vt colligitur ex lib. 2. de Cælo. t.* 89. 214. 2. *Infinitas dupliciter attenditur, nempè ab intrinſeco, & ab extrinſeco, & quomodo.* 75. 1. *Infinitas actu non eſt paſſio quantitatis.* 75. 2.

Ingenerabile.

Ingenerabile, & incorruptibile dupliciter ſumi poſſunt, remotè, & propinquè. 32 2. *Conuertūtur adinuicem & cum æterno, ac perpetuo ingenerabile, & incorruptibile.* 82. 1. 2.

Inſcriptio.

Inſcriptio horum librorum, varia, & multiplex. 3. 1. 2. & 4. 1. *Præferenda eſt ſententia Auerois, & quare. ibidem.* 1. & 5. 2.

Inſtrumentum.

Inſtrumentum, vt agat, debet habere formam actiuam, vel in eſſe quieto, vel in actuali motione. 106. 1. *Inſtrumentum dupliciter ſumi poteſt, in genere naturæ, & in genere moris, & quomodo.* 98. 1.

Intellectus.

Intellectus eſt Diuinum quid, & antiquiſſimum, de foris veniens, & immiſtus materia: Quomodo verum. 115. 1.

Intelligentia.

Intelligentiæ motrices Orbium multiplicātur ad numerum Cælorum. 164. 1. 2. *Sunt efficacioris virtutis, quam ſint Animæ rationales.* 167. 2. *Virtus vnius Intelligentiæ, quomodo ſit ſufficiens ad mouendum omnes Orbes.* 168. 2. *An Intelligentiæ moueant Cælos per intellectū & volūtatem, vel per aliquā potentiam, ab illis diſtinctam. Varia Doctorum placita.* 168. 2. 169. 1. *Intelligentia mouet Cælum potentia ab intellectu, & voluntate diſtincta, & quare.* 170. 1. 171. 1. 2. *Poteſt mouere Cælum ſibi applicatum organicè, & inorganicè.* 171. 2. *Mouet Cælum, de facto per impulſum, ſiuè ſit ei coniuncta, ſiue ab eo ſeiuncta, dummodo ſit in proportionata diſtantia.* 172. 1. 2. *Eget potentia exequutiua ad mouendum Cælos, non autem Deus, & qua-*

Digitized by Google

quare. 175. 2. *Intelligentiam vniri Cœlo ad effectum vt illud mouere queat, poteſt dupliciter intelligi.* 170. 2. *Intelligentiæ motrices Cœlorum ſunt eiuſdem ſpeciei: quomodo verum.* 186. 2.

Lux, Lumen.

Lucem eſse ſubſtantiam, vel accidens. controuertitur. 187. 1. *Lux non eſt Subſtantia, ſed qualitas afficiens corpora lucida.* 190. 2. *Lux, & Lumen differunt. ibidem. Diſtinguuntur realiter ad inuicem.* 192. 2.

Materia.

Materiam eſse in potentia contradictionis ad eſse, & non eſse, poteſt dupliciter intelligi 32. 1. 2. *Materia prima quid?* 220. 1. *Eſt creata immediatè à Deo. ibidem Materia Elementorum, quibus diſtinguuntur, quæ, & quot ſint.* 285. 1.

Medium.

Medium eſt duplex, magnitudinis, & naturæ, & quid ſint. 210. 2.

Monſtra ſunt Mundi ornumenta à Deo intenta, 21. 1.

Motus, & Quies.

Motus localis diuiditur in circularem rectum, & mixtum. 13. 2. *Motus ſimplices ſunt tantum duo, nempè circularis, & rectus, & quomodo diffiniuntur. ibidem. Motus ſimplex eſt tantum vnius corporis ſimplicis. ibidem. Motus circularis nullum habet contrarium.* 16. 1. 2. 17. 1. 2. *Motuum contrarietas attendi poteſt ab intrinſeco, & ab extrinſeco.* 51. 1. 2. *Motus corporum ſimplicium dupliciter ſpectari poteſt.* 52. 1. *Motus circularis corporum cœleſtium nullum habet contrarium motum contrarietate perfecta* 53. 1. *Secùs dicendum de imperfecta.* 63. 5. *Motus Cœli nec naturalis, nec violentus, ſed neuter.* 156. 1. *Motus localis principium actiuum duplex, ſ. quo, & quod. ibidem. Motus Cœli non edit ſonum, vel concentum.* 160. 1. 2. *Metaphoricè ſonũ edere poteſt, etiam de mente Ariſtotelis.* 161. 1. 2. *Motus conuerſionis, ſeu vertiginis, & volutationis, ſiue rotationis, quibus ſolent moueri corpora ſphærica, differunt, & quomodo.* 205. 2. *Motus, & quies pariformiter ſe conſequuntur.* 229. 2. *Quomodo intelligitur.* 230. 1. *Quietem exigere ſui cauſam, ſicut, & motus.* 300. 2.

Mundus.

Mundus dupliciter ſumi poteſt. 4. 2. *Eſt nomen æquiuocum.* 8. 2. *Mundus Magnus, qui.* 18. 2. *Mundi enumerantur quinque. ibidem. Mundus deſcribitur multipliciter.* 19. 1. *Mundus de facto eſt tantum vnus.* 69. 1. *De potentia ordinaria Dei nequeunt dari plures Mundi* 69. 1. 2. *Mundi plures, nedum numero, ſed etiam ſpecie diſtincti, de potentia Dei abſoluta fieri poſsunt.* 70. 1. *Imo infiniti numero, & ſpecie differentes abſolutè à Deo fieri poſsunt. ibidem.* 2. *Mundus non eſt vnũ per ſe, verùm aggregatum ex diuerſis corporibus cæleſtibus, ac ſublunaribus.* 68. 2. 69. 1. *Mundus variè deſcribitur* 74. 1. *Mundus hic, à Deo conditus, non eſt actu infinitus, ſed finitus.* 74. 1. 2. *Mundum poſse eſse infinitæ magnitudinis actu, eſt impoſſibile, etiam de potentia Dei abſoluta. ibidem. Mundus eſt æternus ſecundum Ariſtotelem, ſed non ſecundum veritatem.* 75. 2. *Extra Mundum, quamuis nullum corpus, nec locus, nec tempus exiſtant, adſunt tamen entia incorporea ſcilicet Deus, & Intelligentiæ, ſecundum Ariſtotelem, & ſimplicium.* 76. 2. *Vel Corpora Cœleſtia, vt placuit Alexandro. ibidem.* 1. 2.

Naturale.

Naturale tripliciter ſumi poteſt, vt opponitur ſupernaturali, libero, & violento. 86. 1. *Naturale primo modo eſt duplex ſcilicet actiuum, & paſſiuum, & quæ ſint. ibidem.* 1. 2. *Naturale ſecundo modo eſt, quod eſt determinatum ad vnum modũ agendi tantùm. ibidem.* 2. *Naturale tertio modo, non dicit ordinem ad egens, vel paſſum verùm ad formam quam paſsum recipit duntaxat. ibidem.*

Ne-

Negatio.

Negatio dupliciter accipi poteſt, negatiuè, & priuatiuè. 42. 2. *Negatio priori modo ſumpta, omnia deſtruit, & nil ponit à parte rei. ibidem. Negatio poſteriori modo ſpectata deſtruit aliquid, & aliquid ponit connotando. ibidem. Hæc eſt triplex .ſ. extra genus, in genere, & in ſpecie. Prima negat formam, quam ſubiectum natum eſt habere ſecundum rationem illimitatam ad omnia genera. ibidem. Secunda negat formam, quàm aliquod ſubiectum natum eſt habere ſecundum genus ſuum. ibidem. Tertia negat formam ab aliquo ſubiecto, quam natum eſt habere ſecundum propriam naturam. ibidem. Hæc autem eſt duplex. .ſ. indeterminata, & determinata. ibidem. Prior conuenit materiæ primæ in ordine ad omnes formas, quas non habet, & nata eſt habere. ibidem. Poſterior ponit aptitudinem in ſubiecto determinatam ad illam formam, quam natum eſt habere, & incapacitatem, ſeu repugnantiam ad alias præter ipſam. ibidem. &* 43. 1.

Obiectum.

Obiectum formale alicuius ſcientiæ quale. 9. 1. *Obiectum omnipotentiæ eſt poſſibile, compoſſibile cum alijs poſsibilibus, vel productis, vel producibilibus.* 68. 2.

Opus.

Operis huius diuiſio varia, ac multiplex. 4. 1. *Eius dignitas, præſtantia, ac vtilitas, eminet cæteris Philoſophiæ partibus.* 6. 1. 2.

Orbis.

Orbis ſubſtantia eſt totum homogeneum. 183. 1. *Eius partes ſunt in duplici differentia, & quæ. ibidem. Orbes omnes conueniunt in eadem ſpecie ſpecialiſsima phyſicè loquendo.* 185. 1. *Orbes, & eorum partes, nec ſplendent, nec lucent lumine Solis, aut proprio.* 192. 2. *ſunt eiuſdem naturæ cum ſuis aſtris, ſeu ſtellis.* 184. 1.

Ordo.

Ordo in ſcientijs triplex .ſ. diuiſionis, intentionis, & compoſitionis. 2. *Ordo vniuerſi diffinitur à D. Auguſtino 19. de Ciuitate Dei. cap.* 13. 19. 2.

P.

Paruus error in principio in fine maximus euadit. 1. *de Cælo.* t. 33. 55. 1.

Perfectio Perfectum.

Perfectio duplex, eſſentialis, & accidentalis. 19. 1. *Perfectio Vniuerſi multipliciter attendi poteſt.* 22. 1. *Perfectum, & imperfectum quid ſint.* 73. 2. *Perfectum, totum actuale, ac infinitum idem ſonant: ſimiliter imperfectum, totum potentiale, & finitum, vel infinitum in potentia idem ſignificant. ibidem.*

Poſitio.

Poſitionum differentiæ nequaquam inſunt Cælo ex natura rei. 137. 1. 2. *Inſunt tamen illi per quandam analogiam ad animalia perfecta.* 138. 1. *Poſitio dupliciter attenditur.* 136. 1. 2. *Poſitionum differentiæ quomodo ordinantur in Cælo ab Ariſtotele.* 129. 2. 136. 2.

Poſſibile, Impoſſibile.

Poſsibile, & Impoſsibile, verum, & falſum dupliciter ſumi poſſunt, & quomodo. 80. 2.

Potentia, Impotentia.

Potentia duplex, ordinaria, & abſoluta; & quid vtraque ſit. 22. 2. *Potentia paſſiua ad eſſe, vel fieri cuiuſcunque rei dupliciter attendi poteſt.* 23. 1. *Potentia actiua, & paſsiua comparantur adinuicem, & quomodo.* 80. 1. 2. *Potentia tripliciter ſumi poteſt, logicè, metaphoricè, & phyſicè.* 85. 2. *Hæc autem eſt duplex. .ſ. actiua, & paſsiua ibidem. Vtraque eſt*

Digitized by Google

eſt duplex, naturalis, & ſupernaturalis. ibidem. Supernaturalis eſt duplex, ſecundum ſubſtantiam, & ſecundum modum, 86.1. Supernaturalis paſsiua, fortè non datur ſecundum Scotum. ibidem. Potentia obedientialis in rebus creatis quid importat.86. 2. Eſt ſupernaturalis, vt opponitur naturali. ibidem. Quomodo differat à naturali 87. 1. Quid ſuperaddat potentia naturali ſecundum Thomiſtas & Scotiſtas. 87.1.2. Præter potentias naturales, admittenda eſt etiam in rerum natura potentia obedientialis. ibidem.2. In quo conſiſtat ſecundum Doctorem ſubtilem. 88. 1. 2. 89. 1. 2. Diuiditur in actiuam, & paſsiuam, etiam de mente Scoti 92. 1. 2. 93. 1. 2. Actiua agit, vt eleuata, quomodo intelligitur. 92. 1. Paſsiua in rebus creatis nequit conſtitui æqualis ad receptionem quarumcumque formarum. in quouis paſſo. 98. 2. Neque actiua conſtitui valet in qualibet re creata ad quoslibet effectus producendos. 99. 1. 2. Potentia, ſiuè naturalis, ſiuè ſupernaturalis, an poſsit dari ad præteritum, controuertitur. 106. 1. 2. Potentia, vt dicit principium agendi, vel patiendi, eſt duplex, actiua, & paſsiua, & quid vtraque ſit. 107.2.108. 1. Potentia nulla datur ad præteritum formaliter ſumptum. ibidem. 1. Ad præteritum tamen pro connotato dari poteſt potentia, ſaltem Diuina. ibidem. 2. Potentia Dei qualiter dici poteſt ſemper manere, vel non manere eadem. 109. 2. Potentiarum actiuarum diuiſio in operatiuas, & factiuas. 169. 2. Quomodo differant inter ſe. ibidem. Potentiarum diſtinctio vnde dignoſci poſſit. 170. 1. Potentia motiua Cœlorum in Intelligentia non eſt intellectus, aut voluntas eiuſdem, ſed alia ab eiſdem diſtincta. 171. 1. Potentia exequutiua quæratiua datur in Angelis ad mouendos Cœlos, non autem in Deo. ibidem. & 173.1. 2.

Prædicamentum.

Prædicamenta ſunt impermixta realiter, & formaliter primo. Poſter. t. 34. 260. 2.

Præteritum.

Præteritum ſumi poteſt formaliter, & pro connotato, & quid ſit vtrumque 106. 2.

Propoſitio.

Propoſitiones de præterito, præſenti, & futuro, quæ ſint, & quomodo ſe habeant ad veritatem inter ſe. 107. 1. 110.1.

Qualitas.

Qualitates tangibiles diuiduntur in primas, & ſecundas; quæ & quot ſint.289. 1.

Quantitas.

Quantitatis ſpecies quot, & quæ. 152. 2.

Res.

Res, à quo habent eſſe poſsibile, vel impoſſibile. 23.1.

Scintillare.

Scintillare quid, & ex quibus cauſis accidat ſtellis. 197. 1. Nonnulli Planetæ viſi ſunt Scintillare, & qui. 198. 2. & eò minus, quo ſunt proximiores nobis. ibidem Imbecilitas potentiæ, & refractio radiorum valdè conducunt ad Scintillationem. 199. 2.

Simplex.

Simplex eſt nomen æquiuocum, & quotupliciter ſumatur. 31. 2.

Sol, & Luna.

Sol eſt eiuſdem naturæ ſpecificæ cum cæteris Aſtris, licet ſit eis dignior, & nobilior. 184. 2. Sol, & Luna dumtaxat patiuntur deliquium, & quomodo. 198. 1.

Digitized by Google

Sonus.

Sonus quid, & quotuplex. 160. 1. *Dupliciter attendi poteſt ibidem.* 2.

Species.

Species ſpecialiſsima duplex, phyſica, & metaphyſica, & quæ. 183. 2.

Sphæra.

Diffinitur ab Euclide, & Theodoſio, & quomodo. 152. 2. 153. 1. *Spharica figura ſumitur dupliciter. ibidem Sphara, & Orbis, ſiue ſphæricum, & Orbiculare pro eodem accipi poſſunt.* 208. 1. *Tripliciter attendi poſſunt. ibidem. Sharicum corpus ſumi poteſt preſſe, & largè, & quid ſit vtrumque. ibidem.*

Stella.

Stella, ſiue errantes, ſiue inerrantes, an ſint eiuſdem natura ſpecifica, controuertitur. 182. 1. 2. *Alia ſunt fixa, & alia erratica, ac vndè ſic appellata.* 183. 2. *Earum numerus ab Aſtronomis magis obſeruatus. ibidem. Vide* Aſtrum.

Subiectum.

Subiectum huius ſcientia, variè aſſignatur. 7. 2. 8. 1. *Subiectum attributionis huius ſcientia de Cœlo, & Mundo, nequit eſſe Vniuerſum.* 9. 1. *Neque Cœlum, vt complectitur corpora caleſtia, neque corpus, vt mobile ad vbi locale ibidem. Sed corpus naturale, qua ſimplex.* 10. 1.

Superficies.

Duplex, plana, & curua. 152. 2.

Tenue, Rarum.

Tenue, & Rarum, craſſum, & denſum differunt, & quomodo. 289. 1.

Terra. Terrenus globus.

Terra deſcribitur 220. 1. *Terrenus Globus idem eſt, quod terra. ibidem. Eius cauſa, & affectiones, qua, & quot ibidem.* 1. 2. *Terra conſiderari poteſt & vt Elementum diſtinctum, à cateris, & vt globus terrenus, ex ea, & aqua compactus. ibidem.* 2. *Terra Elementum fuit immediatè à Deo conditum, ex materia prima per generationem.* 221. 1. *Non eſt perfectè rotundum; ibidem. Terrenus globus eſt perfectè ſphæricus.* 221. 2. *Terra an ſit locata in medio vniuerſi, controuertitur.* 224. 2. *An pariter cenſeatur veluti punctus, comparata ad Aplanem: litigant Doctores.* 225. 1. *Terra, quonàm pacto ſit perfectè ſphærica, & quomodo non. ibidem. Terra eſt in medio Vniuerſi, vt in centro magnitudinis, non grauitatis. ibidem.* 2. 226. 1. *Se habet inibi, comparata ad Cœlum Stellatum, vt punctus phyſicus, non mathematicus. ibidem.* 2. *Terram eſſe mobilem, vel immobilem in medio Vniuerſi controuertitur.* 228. 2. 229. 1. *Hoc autem poteſt tripliciter intelligi. ibidem.* 1. 2. *Terra eſt grauis ſimpliciter, & ignis ſimpliciter leuis, & quomodo.* 306. 2. *Terra eſt grauiſſima, & Ignis leuiſſimus.* 307. 1.

Totum.

Totum duplex, actuale, & potentiale, & quid vtrumque ſit. 73. 2 *Totum actuale, & perfectum; & totum potentiale, ac imperfectum, idem ſonant.* 73. 2. *Totius, & partis idem eſt iudicium.* 15. 2.

Verum. Falſum.

Verum, & Falſum dupliciter ſumi poſſunt & quomodo 80. 2.

Vniuerſum.

Vniuerſi nomen, æquiuocum. 5. 1. *Nequit eſſe ſubiectum attributionis huius operis.* 9. 1. *Vniuerſum eſt perfectum, eſſentiali, & accidentali perfectione.* 19. 2. *Secundum*

COMMENTARIA,

Vnà cum Diſputationibus, & Quæſtionibus in quatuor Ariſtotelis Libros

DE COELO, ET MVNDO

Ad mentem Doctoris Subtilis

IOANNIS DVNS SCOTI ORDINIS MINORVM.

Auctore R. A. P. F.

LIVIO DE MONTVRSIO

Eiuſdem Ordinis Reg. Obſeruantiæ Philoſophiæ, ac Theologiæ Lectore Generali.

PROOEMIVM.

HAnc nobiliſſimam de Corporibus Cæleſtibus ſcientiam, quamuis ſparſim in ſuperioribus libris Phyſicorum, ac in ſequentibus Meteorologicis, de Anima, ac de Paruis Naturalibus iam impreſſis, pro maiori, ac potiori parte ſufficienter dederimus, adeò vt ſuperuacaneum, & ab intento noſtro penitùs alienum, aliàs iudicauerimus ampliùs de illa ſeiunctim diſſerere; nihilominus, alienis iudicijs proprium ſubmittere volentes, amicorumque præſertim conſilijs indulgere, opere pretium duximus eamdem in propatulo exponere, Commentarios, ac Diſputationes ſeparatim conficiendo, vt non ſolùm indè magis pateat eius dignitas, ac vtilitas, quò pluribus fuerit illuſtrata ſplendoribus, verùm etiam vt clarior, & acceptabilior reddatur noſter Philoſophicus Curſus, cum maioribus fuerit auctus doctrinis, ditatus muneribus. Cæterùm quoniam progreſſus in ſcientijs cum ſit humanæ rationis opus, & inde potiſſimùm eluceat, ſi conuenienti ſit decoratus ordine, talem huiuſmodi ſcientiæ aſſignare de-

bemus, qualem conſpicimus ſeruaſſe Ariſtotelem, vt nimirum hi libri de Cælo, & Mundo ſtatim, ac immediatè ſequantur octo Phyſicorum libros. Quandoquidem triplex eſt ordo, primus, qui vocatur apprehenſionis, ſiuè diuiſionis, cùm ab vniuerſalibus, quæ primò apprehenduntur, ad inferiora deſcendimus, quem Ariſtoteles optimè ſeruauit, cum in libris Phyſicorum egerit de principijs, ac paſſionibus corporis naturalis in communi, ſeù vniuerſali, ac de primo Motore, nunc deſcendens ad particularia agere intendit de primo corpore naturali ſub eodem contento, nempè de Cælo. Secundus ordo dicitur intentionis, penes quem Artifex primò intendit totum, deindè ad ſingulas deſcendit partes, & hunc quoque ſeruaſſe Ariſtotelem, non eſt dubium, cùm prius egerit de corpore naturali in communi, nunc deſcendit ad partes, inter quas primum locum obtinet iſta de corpore ſimplici, & poſtea de mixto. Tertius ordo denique eſt compoſitionis, quo fit à ſimplicibus incæptio, & progredimur ad compoſita, & hunc pariter ſeruauit Ariſtoteles, ſiquidem in octo libris Phyſicorum pertractauit de principijs, nunc autem de corporibus, quæ ex illis deriuantur. Ex his igitur patet ordo horum librorum ad priores, & poſteriores; ſequuntur enim immediate octo libros Phyſicorum, ſicut corpora cæleſtia, vt potè nobiliora, proficiſcuntur prius à corpore naturali in communi; præceduntque duos libros de Generatione, & Corruptione, quemadmodum ſimplicia corpora antecedunt mixta, quæ in eis pertractantur à Philoſopho.

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO
PROOEMIALIS.

De Inſcriptione, & Diuiſione horum Librorum de Cælo, & Mundo, ac de Præſtantia, Dignitate, & Vtilitate huius Scientiæ.

QVÆSTIO I.

CIrca inſcriptionem, & diuiſionem horum librorum variæ ſunt Doctorum opiniones, quippè nonnulli conſiderantes, quod Ariſtoteles aliquando nomine Cęli intellexit Firmamentum, ſiue Cęlum ſtellatum; aliquando pro Cęlo ſumpſit aggregatum omnium orbium cęleſtium, & quandoque totum vniuerſum, prout comprehendit corpora Cęleſtia, & Elementaria ſimul, vocauit Cęlum, dixerunt, hos libros inſcribendos eſſe de Cęlo primo modo accepto, vt pote quod ſit cæteris corporibus, tùm cęleſtibus, tùm ſublunaribus præſtantius, ac nobilius; modo ſcientiæ à nobilioribus conſideratis in eis, videntur denominationem ſumere.

Alij melius perpendentes acceptionem Cęli, meliùs, ac commodiùs verificari poſſe de complexu, ac aggregato omnium Orbium Cœleſtium, cenſent hos libros inſcribi debere potiùs de Cęlis, quàm de Cęlo, ſiquidem omnium Corporum Cęleſtium natura, cum ſuis affectionibus, ac motibus in his expenditur.

Alij denique indagantes ſubtiliùs Cœli, vt hic conſideratur à Philoſopho, nomenclaturam, putauerunt

Digitized by Google

inſcribendos eſſe de Vniuerſo, cùm hoc ſpecialiter ſit conſideratum in toto hoc opere ; quandoquidem primus, & ſecundus liber nobis repreſentant partem Vniuerſi nobiliorem, nempè Corpora Cęleſtia, tertius verò, & quartus eiuſdem minus nobilem portionem, quæ conſiderat de Elementis, ac eorum paſsionibus.

Cæterùm ſententia Auerrois omnibus præferenda eſt, qua inſcribitur totum hoc opus de Cœlo, & Mundo, ſi quidem in ipſa comprehenditur vniuerſa materia de qua tractatur; nam nomine Cęli appellanda veniunt omnia Corpora Cęleſtia cum ſuis affectionibus, & motibus, & nomine Mundi ſignificantur cætera corpora ſublunaria cum ſuis paſsionibus.

Circa diuiſionem etiam huius operis non conueniunt Expoſitores; nàm aliqui, ſpeculantes ſubiectam materiam in eo pertractatam, diuidunt illud in duas partes, in quarum priori agitur de Cęlis, & comprehendit primum, & ſecundum librum: in poſteriori verò, quæ conſtituta eſt in tertio, & quarto libro, expenditur Elementorum natura.

Alij faciunt eius diuiſionem trimembrem iuxta naturam eorum, quæ in his libris fuerunt ab Ariſtotele pertractata. In primo ſi quidem libro expendit naturam vniuerſi, & partes, ex quibus componitur, in vniuerſali. In ſecundo explicat præcipuam eius partem, nempè corpus cęleſte, eiuſque motum, ac influentias. In tertio, & quarto agit de Elementis, & eorum motibus. Ita Ruuius in Proœmio.

Alijs demùm placet diuiſio Ariſtotelis in quatuor libros; nam in primo agit de vniuerſo, ac omnibus in ipſo contentis ſic in communi: in ſecundo de Corporibus Cęleſtibus, ac eius affectionibus in particulari: in tertio de Elementis in particulari; & in quarto de eorundem motibus, quę omnia, cùm ſint diſparata, poſſunt facere diuiſionem quadrimembrem: Vnde pro reſolutione harum omnium difficultatum.

Primo Notandum eſt, Cœlum dupliciter ſumi poſſe ſcilicet propriè, & impropriè. Cœlum propriè accipitur pro ſuperiori vniuerſi parte ab inferiori, ſeù Elementari diſtincta, quæ ſub ſe complectitur ſupremum Cœlum, nempè Empireum: medium, videlicet Firmamentum, ſeu ſtellatum, & infimum, ideſt regionem Planetarum. Cœlum verò impropriè ſumitur pro certa, ac determinata ſpecie Cęli, ſiue ſit ſuprema, ſiue media, ſiuè infima. De Cęli acceptione priori intelligendum venit illud Geneſis capite primo. *In principio creauit Deus Cœlum, & Terram:* & illud Iſaiæ capite quadrageſimo quinto. *Manus Dei extenderunt Cœlos,* De poſteriori verò illud Symboli Apoſtolici: Et aſcendit in Cœlum, nempè ſupremum: Et illud D. Pauli ſecundo ad Corinthios capite decimo quinto. *Scio hominem raptum fuiſſe vſque ad tertium Cœlum ideſt in Paradiſum, & audiuiſſe arcana verba, quæ non licet homini loqui.*

Secundo Notandum eſt, Mundum etiam ſumi poſſe propriè, & impropriè. Mundus propriè accipitur pro parte inferiori Vniuerſi, à Cœleſti contradiſtincta, quæ complectitur quatuor corpora ſimplicia, ſiuè Elementa, cum omnibus in eiſdem contentis, & de hac Mundi acceptione intelligitur illud Ariſtotelis libro primo Meteorologicorum Summa prima capite ſecundo dùm inquit: *Eſt autem ex neceſſitate continuus quodamodo mundus iſte ſuperioribus latronibus, vt omnis ipſius virtus indè gubernetur.* Mundus autem impropriè ſumitur pro infima eiuſdem partis portione, nempè pro terra, & cæteris in illa contentis, & de hac intelligitur illud Ioannis capite primo. *Et mundus eum non cognouit*, ideſt Chriſtum; &

& aliud eiuſdem capit. decimoquinto. *Si mundus vos odit*: Et aliud eiuſdem capit. decimo octauo. *Regnum meum non eſt de hoc Mundo*, & multa alia Sacræ Scripturæ loca, quæ intelligenda veniunt, vel de hoc materiali Mundo, vel de habitantibus in eo.

Tertio Notandum eſt, quod vniuerſum eſt nomen æquiuocum, ſiquidem interdùm ſumitur pro tota Sphera mundiali, quæ complectitur omnia cœleſtia, & ſublunaria, & ſic eſt quoddam aggregatum omnium rerum creatarum, cum cęleſtium, tùm ſublunarium: interdum vero pro aggregato Orbium cęleſtium, & eorum quæ continentur in eis: interdùm denique pro aggregato omnium rerum ſublunarium tantum. Si attendatur vniuerſum ſecundum priorem acceptionem non diſtinguitur, nec à Cœlo, nec à Mundo, ſed eſt quoddam totum confuſum indiſtinctè repræſentans omnia entia creata; tàm ſpiritualia, quàm corporalia; ſiuè ſint animata, ſiuè inanimata. Si ſecundum poſteriorem acceptionem ſpectetur, aliquando conuertitur cum Cœlo; & aliquando cum Mundo propriè ſumptis. Ex quibus inferri licet, quod ſiuè vniuerſum ſumatur pro tota ſphæra Mundiali, ſiuè pro vna tantùm parte, aut portione eiuſdem, non poterit hos libros inſcribere, quin vel ſit confuſa, vel diminuta inſcriptio, quod eiuſdem rationi repugnat, quæ debet manifeſtare, ſaltem in genere omnia, quæ in libris inſcribendis pertractanda veniunt.

Ex his ſit prima Concluſio reſponſiua ad primam quæſtionis partem totum hoc opus non eſt inſcribendum de Cęlo, vt tantùm præſeffert Firmamentum, ſeu Cęlum ſtellatum, vt potè cæteris præſtantiùs; neque de eo, vt importat aggregatum omnium orbium cęleſtium: neque de eodem ſumpto pro vniuerſo; ſed ſolum de Cęlo, & Mundo in propria acceptione conſideratis. Eſt Commentatoris in Proemio huius operis, & ferè communis omnium recentiorum. Probatur prima pars contra primam opinionem, quia Titulus, ſeù Inſcriptio libri, debet ipſum denominare, ſaltem in communi, ſeù generali, ex re ſubiecta, de qua tractat, ſed in hoc opere, non ſolùm agitur de Cœlo ſtellato, verùm etiam de reliquis corporibus Cœleſtibus, ac Elementaribus, quæ nec veniunt nomine Cęli ſtellati, neque continentur ſub eo, neque ad ipſum reducuntur, ergo Cęlum ſtellatum duntaxat nequit hoc opus inſcribere. Maior patet, quia Titulus eſt denominatio libri ſecundum omnes, vel aliquas, vel aliquam ſuarum cauſarum, inter quas enumeratur communiter cauſa materialis, quæ eſt res ſubiecta, de qua peragitur in libro. Minor probatur quoad ſecundam partem (ſiquidem liquet intuenti textum per omnes quatuor libros) nam corpora ſublunaria, vt pote corruptioni obnoxia, differunt genere à corporibus Cęleſtibus, quæ ſunt incorruptibilia, & hæc inter ſe differunt ſpecie, qua de cauſa vnum nequit ad aliud reduci, ergo &c. Secunda pars probatur, quia inſcriptio nequit eſſe diminuta, ſicut nec ſuperflua, verùm debet manifeſtare adæquatè rem ſubiectam, de qua tractat liber, ſed per aggregatum omnium Orbium Cęleſtium non poſſunt demonſtrari Elementa, & eorum motus de quibus agitur in tertio, & quarto libro huius operis, cùm ſpectent ad inferiorem partem Sphæræ Mundialis, & illa ad ſuperiorem, ergo &c. Tertia pars ſuadetur, quia inſcriptio debet oſtendere diſtinctè, & clarè omnia, quæ pertractantur in opere, cuius eſt inſcriptio, ſiquidem Titulus deriuatur à Titan, qui eſt, vel ſignificat Solem, eo quod debet illuminare, ad inſtar Solis, intellectum, vt ſummatim videre poſſit omnia, quæ continentur in opere, ſeù libro, atqui vniuerſum, quamuis omnia contineat pertractata in his quatuor libris, non tamen adæquatè, cùm ſub ipſo comprehendantur, nedùm corpora ſimplicia, verùm & mixta, tàm perfecta, quam imperfecta,

neque illa quidem repreſentat clarè, & diſtinctè, cum ſit quoddam totum confuſum, & æquiuocum, ergo Vniuerſum, vel Vniuerſi nomen nequit hos quatuor libros rectè inſcribere. Quarta pars probatur, tùm auctoritate Commentatoris inſcribentis illos de Cęlo, & Mundo: tùm ratione, ſiquidem nomine Cęli intelligitur Regio Cęleſtis, ſub qua comprehenduntur omnium Corporum Cęleſtium orbes, cum ſuis motibus, ac influentijs, de quibus agitur in primo, & ſecundo libro; & nomine Mundi ſumitur Regio inferior continens Elementa, cum ſuis motibus, quæ conſiderantur in tertio, & quarto libro, ergo cum ſub his nominibus, adæquatè expendantur omnia, quæ conſiderantur in toto hoc opere, concludendum eſt, rectè inſcribi debere de Cęlo, & Mundo, & non aliter.

Secunda Concluſio. Diuiſiones huius operis in duas, aut tres partes ſuſtineri poſſunt, ſed accuratior cæteris probari debet, qua in quatuor portiones, vt fecit Ariſtoteles, & eius Commentator, totum hoc opus partiri ſolet. Probatur prima pars, quia illa diuiſio eſt bona, cuius membra diuidentia euacuant, & adæquant totum diuiſum ex Boetio in libro de Diuiſionibus, ſed partitio huius operis in duas, vel tres partes eſt huiuſmodi, vt liquet videre in prima, ac ſecunda ſententia ſuperius relatis, ergo &c. ſecunda pars ſuadetur, quia illa diuiſio eſt accuratior, quæ clarius manifeſtat diuiſum, ſiquidē diuiſum eſt quoddam totum confuſum, quod per membra diuidentia expendi, ac diſtinctè cognoſci debet, ex lib. Diuiſionum Boetij, ſed diuiſum clariùs expenditur, ac manifeſtatur diſtinctiùs eius communitas per quatuor membra, quam per duo, vel tria tantùm; ſiquidem confuſum quò magis recedit ab vnitate potentiali, eò magis clareſcit, & eò minus enitet, quò plùs ad eamdem accedit; quandoquidem totum potentiale, & confuſum idem ſonant, ergo cùm hoc opus per quatuor partes expenditur, accuratiùs diuiditur, diſtinguitur, & clareſcit, quàm per duas, aut tres tantùm.

Tertia Concluſio. Hæc ſcientia de Cęlo, & Mundo, in dignitate, præſtantia, ac vtilitate eminet cæteris Philoſophiæ partibus. Probatur, tùm quia præcipua res ſubiecta, quam conſiderat, eſt Cęlum, cuius ſi ſpectes ſtatum, nihil eſt firmiùs; ſi ordinem, nihil eſt certiùs; ſi pulchritudinem nihil eſt elegantius; ſi voluptatem, quam in animos noſtros introducit eius contemplatio, nil delectabiliùs experiri poſſumus, ſiquidem inquit Seneca in Proemio Naturalium Quæſtionum, *Contempta res eſt homo, niſi ſupra humana ſe erexerit: Virtus enim quam affectamus magnifica eſt, non quia per ſe beatū eſt malo caruiſſe, ſed quia animum laxat, ac praparat ad cognitionem cęleſtium; dignumque efficit, qui in conſortium Dei veniat*: tùm etiam, quia ſi vtilitatem attendamus, quam nobis præſtat huiuſmodi de Cęlo notitia, ſat erit enunciare, quod nos conducit ad cognitionem Diuinæ gloriæ, iuxta illud Diuini Vatis: *Cęli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat Firmamentum*; facitque ſpernere has res mundanas, ac earum caducitatem, vnde Moralis vbi ſupra, ponens diſcrimen inter Philoſophiam, quæ rerum ſublunarium ſcrutatur naturas, & iſtam qua in Cęlum tollimur, ait *tantum intereſſe, quantum inter Deum, & hominem: Altera enim docet quid in terris agendum ſit, altera quid agatur in Cælo. Altera errores noſtros diſcutit, & lumen admouet, quo diſcernantur ambigua vitæ: altera multò hanc caliginem in quo volutamur excedit, & è tenebris erutos, ducit vnde lucet*. Et ſequitur; *Niſi ad hac admitterer non fuerat opera prętium naſci. Detrahe hoc inæſtimabile bonum, non eſt vita tanti, vt ſudem, & æſtuem*. Hæc Seneca, ergo ſcientia huiuſmodi de Cęlo, non ſolum eſt cæteris Philoſophiæ partibus præſtantior, dignior, nobilior, atque honorabilior, ſed etiam voluptuoſior, delectabilior, nec non vtilior ad diuina capeſſenda. Denique accedit pro coronide, quod dum de Cęlo agitur, etiam de Patria, noſtra hæreditate, ac Regno agitur.

Obijcitur primo contra primam quia inſcriptio eſt quædam denominatio libri, aut operis, quæ fieri debet à nobiliori denominatiuo, ſed inter cætera in hoc opere denominata, ac denominatiua, Cęlum ſtellatum eſt nobiliſſimum, cùm ſit peculiare opus diuinæ poteſtatis, vt inquit Pſaltes Diuinus, *Et opera manuum eius annunciat Firmamentum*, ergo denominatiuum huius

huius operis debet eſſe Cęlum ſtellatum, ſeù Firmamentum.

Reſpondetur maiorem eſſe verám, ſi illud ſubiectum nobilius ſit etiam ſubiectū attributionis in aliquo genere cauſæ; ideò enim Theologia inſcribitur de Deo, tamquam de nobiliſſimo in ipſa conſiderato, quia terminat relationes attributionis ad ſeipſum, cæterorum omnium, quæ in eadem conſiderantur, & in genere cauſæ efficientis, & finalis, cum ſit finis, & conditor rerum omnium creatarum; falſam tamen, ſi deſit ſibi talis conditio, quia ſic nequit eſſe ratio demonſtrandi alia conſiderata: licet ergo Cęlum ſtellatum ſit omninm, quæ conſiderantur in hoc opere, præſtantiſſimum, cùm tamen ſibi deficiat ratio attributionis, & cæterorum corporum cæleſtium, & ſublunarium, ſequitur vt non poſſit eſſe inſcriptiuum, ſiuè denominatiuum huius operis.

Obijcitur ſecundo contra eandem, probando quod hoc opus ſit inſcribendum de vniuerſo, ſiquidem in ratione vniuerſi continentur omnia corpora ſimplicia, tàm ſublunaria, quàm cęleſtia, cum ſuis motibus, & affectionibus, quæ omnia conſiderantur in hoc opere, ergo debuit inſcribi de vniuerſo.

Reſpondetur negando conſequentiam, quia ratio vniuerſi non eſt adæquata huic operi, in qua agitur de ſimplicibus tantùm, verùm ſe extendit ad omnia mixta, cùm perfecta, tùm imperfecta, tam animata, quàm inanimata, quæ excedunt hanc facultatem, & conſiderantur in libris de Ortu, & Interitu, de Anima, Meteorologicorum, & Paruorum naturalium.

Obijcitur tertio contra ſecundam Concluſionem nàm omnis bona diuiſio debet eſſe bimembris, vt communiter docent Logici, ergo diuiſio huius operis in duas partes eſt cæteris præferenda.

Reſpondetur antecedens eſſe verum de diuiſione data per negationem, falſa ſi detur per affirmationem, quia ſic illa dicitur cæteris præſtantior, quæ datur per plura membra diuidentia: quandoquidem ex pluribus magis clareſcit diuiſum, cùm magis recedat ab vnitate potentiali, ac proinde à confuſione, propterea clariùs, ac diſtinctiùs poterit manifeſtari res pertractanda, quò pluribus fuerit vallata mēbris diuidentibus.

Obijcitur quarto contra tertiam Concluſionem quia ſcientia de Anima eſt nobilior, ac certior cæteris ſcientijs naturalibus, ergo male dicitur, hanc de Cęlo eſſe præſtantiorem omnibus ſcientijs, quæ tractant de natura. Antecedens eſt Ariſtotelis libr. 1. de Anima tom. 1. vbi inquit. *Bonorum, & honorabilium notitiam opinantes, magis autem alteram altera, aut ſecundum certitudinem, aut ex eo, quod & meliorum, & mirabiliorum eſt; propter vtraque hac Anima hiſtoriam rationabiliter in primis ponemus. Videtur autem, & ad veritatem omnem cognitio ipſius multum conferre, maximè autem ad naturam; eſt enim tanquam principium animalium*, ergo ſcientia de Anima, non ſolùm præſtantior eſt, ſed & certior, ac vtilior cæteris ſcientijs de natura.

Reſpondetur concedendo totum argumentum: Non enim dicimus hanc ſcientiam eſſe nobiliorem, ac præſtantiorem omnibus alijs ſcientijs naturalibus abſolute; verùm ijs duntaxat, quæ conſiderant corpora naturalia inanimata; ſiquidem, vt probatum eſt, Cęlum eminet cæteris corporibus anima carentibus.

Vtrum Corpus naturale, qua ſimplex, ſit horum librorum ſubiectum?

QVÆSTIO II.

Varia ſunt Doctorum placita circa ſubiectum horum librorum, ſeù huius ſcientiæ, ſiquidem D. Thomas in Proemio huius operis, ſequutus Alexandrum, dicit, ſubiectum huius operis eſſe ipſum vniuerſum, quatenus dicit compoſitum quoddam ex quinque corporibus ſimplicibus, veluti ex partibus, nempe ex Cęlo, ac Elementis. Hanc opinionem ſequitur etiam Ruuius in Proemio, vti probabiliorem, & magis ad mentem Ariſtotelis.

Sirianus, & Iamblicus cenſent eſſe ipſum ſolum Cęlum; quandoquidem de hoc duntaxat agitur in hoc opere per ſe, cætera verò tantùm per accidens conſiderantur.

Auerroes autem, & Albertus Magnus hîc, quos ſequutus eſt etiam noſter Tataretus, eſſe corpus naturale, vt mobile ad vbi aſſeuerant, & hanc opinionem quo-

que tutati ſunt noſtri Pariſienſes in principio Expoſitionis textus, & alij ex Antiquis.

Simplicius denique com. 1. Zabarella lib. de Naturalis ſcientiæ conſtitut. c. 13. Amicus, & Conimbricenſes hic in Proemio, quos refert, ac ſequitur etiam Maſtrius ibidem, docent huius operis ſubiectum adæquatum, eſſe corpus naturale ſimplex, qua tale, & prout continet ſub ſe omnia corpora ſimplicia, vt diſtinguũtur à mixtis. Huic ſententiæ, & nos ſubſcribere debemus, ſi loquamur conſequenter ad ea, quæ diximus de ſubiecto totali, & adæquato totius Philoſophiæ naturalis, & iuxtà mentē Doctoris Subtilis; ſiquidem corpus ſimplex eſt ſpecies, & pars ſubiectiua corporis naturalis, quod fuit poſitũ pro illius ſubiecto adæquato, cuius prima ſpecies, & pars ſubiectiua eſt etiã iſta ſcientia de Cœlo, & Mundo.

Pro cuius clara notitia primo notandum eſt, corpus naturale, prima ſui diuiſione partiri in corpus ſimplex, & mixtũ, veluti genus in ſuas ſpecies, aut tanquam totum potentiale in ſuas partes ſubiectiuas. Corpus autem ſimplex non dicitur tale, vt ſimplicitas opponitur compoſitioni ex his, & cũ his, alioquin non eſſet corpus naturale, cuius eſſentia conſiſtit, vt fit compoſitum ex materia, & forma ſubſtantiali, vt aliàs probatum fuit, ſed vt opponitur mixto, quod pręſupponit corpora ſimplicia ex quibus coaleſcit; poteſtque notificari à priori per carentiam corporum ſimplicium, ex quibus coaleſcere poſſit, & à poſteriori per eſſe principium vnius motus ſimplicis, nempè recti, vel circularis, ſiquidem Ariſtoteles, in t. 7. huius 1. libri de Cœlo, & Mundo, ex numero motuum ſimplicium, ſpecie diſtinctorum, venatus eſt numerum corporum ſimplicium, vt videbimus in explicatione textus, & iam probauimus in lib. 1. Meteorologicorum Diſp. 1. quæſt. 4. ſect. 1. ſubdiuiditurque huiuſmodi corpus ſimplex in Cœleſte, & Elementare. Prius continet ſub ſe omnia corpora cœleſtia, cuiuſmodi ſunt ſeptem Planetæ, Firmamentum, ſiuè Cœlum ſtellatum, & cæteri Orbes cum ſuis ſtellis, ac formis ſubſtantialibus totalibus eorundem. Poſterius verò comprehendit ſub ſe quatuor Elementa, nempè Ignem, Aerem, Aquam, & Terram cum ſuis motibus. Ex quibus infertur, quod cùm corpus ſimplex habeat quid eſt, & quia eſt, & omnia, quæ in his libris conſiderantur, ſint, aut corpora cœleſtia, aut elementaria, aut eorundem paſſiones, & motus, quæ pariter continentur ſub eo, vel tanquam partes ſubiectiuæ, vel tanquam illarum principia, ac paſſiones de eodem demonſtrabiles, illud poſſe rectè ſtatui pro ſubiecto huius ſcientiæ, in his quatuor libris de Cœlo, & Mundo contentæ.

Secundo Notandum eſt ex dictis in pręcedenti quæſtione, Mundum, ſeù Vniuerſum eſse nomen æquiuocum, quod omnia, quæ in ipſo, & ſub ipſo continentur, importat ſecundum varias ſignificationes, ac diuerſas diffinitiones, quare cum careat quid eſt & quia eſt, & conſequenter paſſionibus de ſeipſo demonſtrabilibus, dicendum eſt illud non poſse ſtatui pro ſubiecto alicuius ſcientiæ. Verùm enim verò dato etiam, quod præſeferret conceptum vniuocum, eſsetque quodam totum integrale, adhuc non poſset eſse ſubiectũ huius ſcientiæ, ac huius operis de Cœlo, & Mundo, cum eius continentia potentialis latiùs pateat, quàm ſint corpora ſimplicia, de quibus tantum hic agitur, ſiquidem ſe extendit ad corpora etiam mixta, cùm perfecta, tùm imperfecta, tam animata, quam inanimata, quandoquidem & hæc ſunt vniuerſi partes integrales, vt inferiùs demonſtrabimus; modò ſubiectum quodlibet debet eſse adæquatum ſcientiæ, cuius eſt ſubiectum, cùm ab illo menſurari debeat, adeò vt tanta ſit ſcientia, quantum eſt ſubiectum, & non ampliùs, nec minùs. Ex hoc infertur, quod nec Cœlum poſset eſse huius operis ſubiectum, cùm non exeat limites corporum cœleſtium, nec quoad continentiam virtualem, nec quoad potentialem, ſiquidem Elementa, quæ ſpectant ad hanc ſcientiam, nequeunt ad illud reduci; corruptibile enim & incorruptibile differunt genere, adeout vnum nequeat ad aliud reduci, vt dicit Ariſtoteles 10. Metaph. cap. 13. niſi ſint adinuicem tranſmutabilia, ſicut explicat Scotus in 4. d. 6. q. 13. ſub M. cuiuſmodi non ſunt corpora cœleſtia, & elementa, illa enim ſunt penitùs incorruptibilia, ſaltem potentia proxima, iſta verò corruptioni obnoxia: modò ad ſubiectum adæquatum alicuius ſcientiæ atti-

attribui debent, quæ in illa conſiderantur.

Tertio Notandum eſt, pro confutatione tertiæ ſententiæ, obiectum formale alicuius ſcientię debere eſſe de quiditate obiecti materialis eiuſdem; ſiquidem eſt ratio demonſtrandi omnes ſuas paſſiones de ipſo, & medium attribuendi, ac reducendi omnia in ſcientia conſiderata pariter ad illud; cùm autem mobilitas ad vbi non ſit de quiditate corporis naturalis ſimplicis, (ſicut nec mobilitas in communi corporis naturalis vt ſic) ſed paſſio demonſtrabilis de ipſo corpore naturali ſimplici, ſequitur quod non poſſit eſſe ratio formalis obiectiua, & per conſequens nec corpus naturale, vt mobile ad vbi, poterit eſſe ſubiectum attributionis adæquatum huius ſcientiæ de Cœlo, & Mundo.

Ex his ſit prima Concluſio. Subiectum attributionis adæquatum huius ſcientiæ de Cœlo, & Mundo nequit eſſe vniuerſum, ſiuè conſideretur in tota ſua latitudine, ſiuè attendatur, vt comprehendit ſub ſe quinque corpora ſimplicia ſcilicet Cœlum, & quatuor Elementa. Eſt contra Doctores allatos pro prima opinione. Probatur prima pars, quia vniuerſum acceptũ vt ſic, (quamuis eſſet vniuocum, & per ſe vnum) excedit hanc ſcientiam, ergo nequit eſſe eius ſubiectum adæquatum. Conſequentia tenet, cùm ſubiectum, & ſcientia fundare debeant relationes menſuræ, & menſurabilis ſecundum adæquationem, igitur ſi ſubiectum excedit ſcientiam non poterit ipſam adæquare. Antecedens probatur, quia vniuerſum, vt ſic comprehendit omnia creata, & ſic omnia mixta, tàm perfecta, quàm imperfecta, cùm animata, tùm inanimata, quæ ſunt eius partes, ergo excedit hanc ſcientiam, quæ ſolùm tractat de corporibus ſimplicibus, non autem mixtis. Secunda pars probatur, quia vniuerſum, vt complectitur corpora Cœleſtia, & Elementaria, eſt æquiuocum, & aggregatum quoddam per accidens ex rebus diuerſorum generum ſaltem phyſicè, ergo nequit eſſe ſubiectum in hac ſcientia. Conſequentia patet, quia ſubiectum ſcientiæ debet eſſe vniuocum, & per ſe vnum ex Ariſtotele 1. Poſter. capit. 23. & debet habere quid eſt, & quia eſt ibid. cap. 1. ergo ſi vniuerſum eſt æquiuocum, & vnum per accidens, non poterit eſſe ſubiectum. Antecedens probatur, quia corruptibile, & incorruptibile differunt pluſquam genere ex Ariſtotele 10. Metaph. capit. 9. ac proindè cùm non ſint tranſmutabilia adinuicem, nequeũt vniri in aliquo tertio, & facere vnum per ſe phyſicum, ſed Cœlum eſt incorruptibile, & Elementa corruptibilia ex hoc primo libro de Cœlo, & Mundo Sum. 6. à t. 20. & ſequentibus, ergo vniuerſum, vt complectitur Cęlum, & Elementa, ſcilicet Ignem, Aerem, Aquam, & Terram, eſt æquiuocum, & aggregatum quoddam per accidens.

Secunda Concluſio. Solum Cęlum, vt amplectitur corpora cęleſtia, nequit eſſe ſubiectum adæquatum huius ſcientiæ de Cęlo, & Mundo. Eſt contra Sirianum, Iamblicum, & Roccum hic in Proemio quæſt. 1. Probatur, quia in hoc opere, non ſolùm agitur de corporibus cęleſtibus, ſed etiam elementaribus, & rebus ſublunaribus, vt videre eſt in textu Ariſtotelis, ſed elementa non continentur ſub Cęlo, nec ad ipſum reducuntur, cùm differant genere phyſico ex Ariſtotele 10. Metaph. cap. 9. tanquàm corruptibilia, & incorruptibilia, ergo Cęlum, vt amplectitur corpora cęleſtia tantùm, nequit adæquate hanc ſcientiam, ac proindè nequit eſſe eius ſubiectum.

Tertia Concluſio. Corpus naturale, vt mobile ad vbi locale, nequit eſſe ſubiectum huius ſcientiæ de Cęlo, & Mundo. Eſt contra Commentatorem, & alios citatos pro tertia opinione. Probatur quia ratio formalis ſubiectiua alicuius ſcientiæ, debet eſſe de eſsentia ſubiecti materialis eiuſdem, ſiquidem eſt medium demonſtrandi paſſiones de ipſo ſubiecto materiali, quod nequit eſse aliud, quàm diffinitio ſubiecti ex Ariſtotele ſecundo Poſter. capit. 17. ſed mobilitas ad vbi locale non eſt de eſsentia corporis naturalis, vt conſideratur in his libris, cùm ſit demonſtrabilis de eodem, ſicut mobilitas in communi de corpore naturali, quod eſt adæquatum ſubiectum totius Philoſophiæ naturalis, ergo mobilitas ad vbi locale nequit eſse ratio formalis conſiderandi corpus naturale in hac ſcien-

ſcientia, & conſequenter neque corpus naturale, vt mobile ad vbi locale, poterit eſſe illius ſubiectum.

Quarta Concluſio. Corpus naturale, quà ſimplex, eſt huius ſcientiæ de Cęlo, & Mundo adæquatum ſubiectum attributionis. Eſt ſimplicij, & aliorum, quos retulimus pro quarta ſententia. Probatur, quia corpus naturale ſimplex habet omnes conditiones requiſitas ad eſſe ſubiecti in aliqua ſcientia, ergo poterit in hac ſcientia de Cęlo, & Mundo eſſe ſubiectum. Conſequentia tenet, cum nihil aliud requiratur. Antecedens probatur; Habet namque primam, nempe quid eſt, & quia eſt, quia exiſtit in corporibus ſimplicibus, nempè Cęlo, & Elementis, ac diffinitur ab Ariſtotele in hoc 1. libr. tom. 7. Habet ſecundam, quia per ſuum quodquid eſt demonſtrantur paſſiones de eo, nimirum mobilitas ſimplex, mobilitas localis ad vbi, & aliæ ſuorum inferiorum, quæ in hac ſcientia conſiderantur. Habet etiam tertiam conditionem, corpora enim Cęleſtia, & Elementaria, quæ ſunt ſimplicia, vt ſimplex opponitur mixto, reducuntur ad ipſum, tamquam partes ſubiectiuæ ad totum vniuerſale, ſiuè potentiale, vel ſicut ſpecies ad ſuum genus: Inſuper cæteræ, quæ in his conſiderantur libris participant rationem formalem ſimplicitatis, vt videbimus in expoſitione textus, ac proinde reducantur ob eandem rationem ad corpus naturale ſimplex, ergo cùm habeat omnes conditiones requiſitas ad eſſe ſubiecti ſcientialis, debet conſtitui pro huius ſcientiæ ſubiecto adæquato.

Obijcitur primo contra primam concluſionem probando vniuerſum eſſe hic ſubiectum; tùm quia de vniuerſo demonſtrantur paſſiones, nempe eſſe perfectum, infinitum, æternum, perpetuum, ingenerabile, incorruptibile, & alia, quæ in decurſu textus videnda ſunt: tùm etiam, quia corpora ſimplicia, vt ſunt Cęli, & Elementa, conſiderantur in gratiam vniuerſi, vt potè quia ſunt eius partes integrales, ergo vniuerſum, & non corpus ſimplex debet eſſe hic ſubiectum.

Reſpondetur negando conſequentiam. Neque probationes multum vrgent, quandoquidem paſſiones iam enumeratæ, & ſi quæ aliæ ſint, non demonſtrantur de vniuerſo, formaliter, quaſi eſſet vnum per ſe diffinibile, cùm reuera non ſit tale, ſed de ipſo tantum, vt eſt quoddam aggregatum per accidens, hoc eſt dictu, ratione partium, tùm cœleſtium, tùm elementarium ex quibus aggregatur, & coaleſcit; non enim probat Ariſtoteles vniuerſum eſſe perfectum, infinitum, æternum, perpetuum, & ingenerabile, ac incorruptibile, niſi quia Cęlum eſt perfectum, infinitum, æternum, perpetuum, ingenerabile, & incorruptibile ſecundum ipſum. Neque Cęli, & Elementa conſiderantur in gratiam vniuerſi, vt vnius per ſe, ſed ſolùm quatenus ſunt partes integrantes vnum per accidens, vt iam dictum eſt.

Obijcitur ſecundo contra ſecundam Concluſionem, quia Cęlum duntaxat eſt per ſe conſideratum, elementa verò tantùm per accidens, ergo tantum Cęlum erit ſubiectum, & non corpus ſimplex, vt comprehendit Cęlum, & Elementum. Antecedens probatur, tùm quia hi libri inſcribuntur de Cęlo, & non de Elementis: tùm etiam, quia Elementa conſiderantur per ſe in libris de Generatione, & Corruptione, quatenus nimirum ſunt adinuicem tranſmutabilia, & principia mixtorum; ergo nequeunt conſiderari per ſe in his libris, ac proindè neque vt partes ſubiectiuæ corporis ſimplicis.

Reſpondetur negando ſecundam partem antecedentis. Ad primam probationem dico, hos libros inſcribi, tàm de Cęlo, quàm de Mundo, at ſicut nomine Cęli veniunt omnia corpora ſimplicia, collocata in ſuperiori parte Sphæræ Mundialis, ita nomine Mundi omnia corpora ſimplicia, pertinentia ad ſecundam partem eiuſdem Sphæræ, quæ non ſunt niſi Elementa, ac proinde inſcribuntur hi libri etiam de Elementis implicitè ſub nomine Mundi. Ad ſecundam probationem dico Elementa diuerſimode conſiderari hic, & in libris de Generatione, & Corruptione, licet vtrobique per ſe: Nam hic conſiderantur ſub ratione corporum naturalium ſimplicium, & quatenus ſibi competunt per ſe ſecundo modo qualitates motiuæ tantùm nempe grauitas, & leuitas; in illis verò vt ſunt corpora tranſmutabilia, & principia mixtorum, ac vt ſibi conueniunt per ſe qualitates alteratiuæ tantum, idest caliditas,

Digitized by Google

tas, frigiditas, humiditas, ſiccitas, quæ dicuntur primæ, & ſecundæ ab illis deriuantes, nempe durities, mollities, raritas, denſitas, aſperitas, lenitas, & ſimiles. Ex quibus manifeſtè liquet hic attendi elementa, vt ſunt partes ſubiectiuæ corporis naturalis ſimplicis, & per conſequens in gratiam eiuſdem per ſe conſiderati in hac ſcientia de Cęlo, & Mundo.

Obijcitur tertio contra tertiam Concluſionem quia corpus naturale ſimplex, vt mobile ad vbi, euidens eſt per ſe pertinere ad Philoſophiam naturalem, ſed non minus euidens eſt, quod in nulla alia parte, præter iſtam, per ſe conſideretur, ergo euidens erit ad hanc per ſe pertinere, & ex conſequenti eſse eius ſubiectum adæquatum.

Reſpondetur concedendo totum argumentum, & negando vltimam conſequentiam; nam ex eo, corpus ſimplex non debet poni pro ſubiecto adæquato huius ſcientiæ, quia per ſe conſideratur vt mobile ad vbi, alioquin etiam Elementum poſſet ſtatui pro eius ſubiecto adæquato, cùm in ea conſideretur vt mobile ad vbi, ſed quia ratio ſimplicitatis, vt opponitur mixtioni, eſt medium demonſtrandi mobilitatem ſimplicem ad vbi de corpore naturali ſimplici. Mobilitas igitur ad vbi conſideratur per ſe in hac ſcientia ſpecificatiuè, vt paſſio demonſtrabilis de corpore ſimplici, non verò reduplicatiue, tamquam ratio formalis obiectiua eiuſdem, vt prętendit argumentum.

Contra, quia Ariſtoteles in hoc 1. libr. tom. 7. deffiniuit corpus naturale ſimplex per mobilitatem ad vbi, vt euidens eſt ergo mobilitas ad vbi, cùm ſit pars diffinitionis eiuſdem corporis ſimplicis, non erit eius paſſio de ipſo demonſtrabilis, verùm ratio formalis obiectiua, ac medium demonſtrandi ſimplicitatem de corpore naturali.

Reſpondetur antecedens eſse verum à poſteriori, tamquam per ſuam paſſionem immediatam, non tamen à priori, quia ſic diffinitur per non habere corpuſcula ſimplicia ipſum pręcedentia, ex quibus coaleſcat, ad differentiam corporis mixti, quod illa preſupponit, veluti partes eſsentiales, & per huiuſmodi carentiam circumloquimur eius rationem formalem obiectiuam, nempè ſimplicitatem, per quam, ſicut differt eſsentialiter à mixto, ſic demonſtrat omnes paſſiones eius de ſeipſo, & hanc dicimus eſse rationem formalem obiectiuam ſubiecti adęquati huius ſcientię à priori cōſideratę, non autem mobilitatem ad vbi, niſi velimus loqui de ſcientia corporis ſimplicis à poſteriori, quia ſic poſset concedi veritas tertię ſententię.

Obijcitur quarto contra quartam Concluſionem, quia hęc ſcientia inſcribitur de Cęlo, & Mundo, non autem de corpore ſimplici, ergo aut Cœlum, aut Mundus debet eſse ſubiectum, non autem corpus ſimplex. Antecedens patet ex pręcedenti quęſtione. Conſequentia tenet, quia inſcriptio debet continere rem ſubiectam adęquatè, de qua tractatur, & conſequenter ſcientia.

Reſpondetur negando conſequentiam, immò vtrumque erit ſubiectum, quatenus conueniunt in corpore ſimplici, in quo vniuocantur, & ſic inſcriptio manifeſtabit adęquatè rem ſubiectam, non vt ſeiunctim ſpectari poſsunt, ſed vt ambo vniuntur tamquàm partes ſubiectiuę in ſuo toto, vel vt ſpecies in ſuo genere.

Obijcitur quinto corpus ſimplex, vt cōplectitur Cęlum, & Elementa eſt ęquiuocum, ergo nequit eſse ſubiectum attributionis in hac ſcientia de Cęlo, & Mundo. Conſequentia patet, quia ſubiectum ſcientię debet eſse vniuocum, & vnum per ſe ex Ariſtotele lib. 1. Poſter. cap. 1. & 23. ſcientia enim eſt vnius generis ſubiecti, quod habet principia, paſſiones, & partes, quę non conueniunt alicui, niſi ſit vnum per ſe diffinibile. Antecedens probatur, quia corruptibili, & incorruptibili nihil eſt commune vniuocum, cum differant genere ex Ariſtotele lib. 10. Metaph. cap. 9. ſed Cœlum eſt incorruptibile, & elementa corruptibilia ex eodem in hoc primo libro, ergo Cœlo, & Elementis ſi corpus ſimplex eſt commune, iam non erit vniuocum, ſed ęquiuocum.

Reſpondetur negando antecedens. Ad cuius probationem dico maiorem eſse veram de communi phyſico, quia ſic, vt dicit Doctor Subtilis in 4. diſt. 6. quęſt. 10. nulla duo ſunt eiuſdem generis, niſi ſint adinuicem tranſmutabilia, qualia non ſunt corpora Cœleſtia, ac Elementaria; falſam tamen de communi, & genere logico, quia

ſic

Digitized by Google

ſic corruptibile, & incorruptibile conueniunt in aliquo communi vniuoco, vt patet de ſubſtantia corporea, & incorporea, ac de qualitate corporali, & ſpirituali, quæ conueniunt illæ in genere ſubſtantiæ, & iſtæ in genere qualitatis: Modò corpus ſimplex complectitur Cœlum, & Elementa, vt genus Logicum ſuas ſpecies, ideo poteſt eſſe vniuocum ad illa, & ſic habere rationem ſubiecti huius operis, vel ſcientiæ de Cœlo, & Mundo.

ARISTOTELIS DE COELO, ET MVNDO.

LIBER I.

HIc eſt liber 1. Ariſtotelis de Cęlo, & Mundo, in quo intendit agere de Corporibus ſimplicibus, ac eorum paſſionibus, & motibus in communi, & in quantum ſunt partes integrantes vniuerſum, qui diuiditur in duas partes, ac in decem ſummas. Prima pars continet ſex ſummas. In quarum prima, quæ ſe habet veluti Proemium totius operis, agenda in his quatuor libris proponit. In ſecunda, & tertia expendit quid ſit corpus naturale, & Mundi perfectio. In quarta oſtendit dandum eſſe corpus circulare ſimplex, à cæteris corporibus ſimplicibus diſtinctum. In quinta probat huiuſmodi corpus nec eſſe graue, nec leue. In ſexta demonſtrat illud, nec eſſe generabile, nec corruptibile, nec augumentabile, aut diminuibile, nec alterabile, ſed tantum mobile localiter. Secunda pars complectitur alias quatuor ſummas. In quarum prima quæ eſt ſeptima in ordine probat Mundum eſſe finitæ molis. In ſecunda quæ eſt octaua oſtendit illud eſſe tantum vnum numero. In tertia quæ eſt nona arguit, extra Mundum non dari vacuum, aut plenum. In quarta denique, quæ eſt decima oſtendit Mundum eſſe æternum.

Quo ad primam quæ vnico abſoluitur capitulo, in T. I. ſtatuit, & probat hanc primam concluſionem: Ad Philoſophiam naturalem pertinet agere de corporibus naturalibus ſimplicibus; nam Philoſophia naturalis ferè plurima verſatur circa corpora, & magnitudines, & horum paſſiones, motus, & ipſorum principia, quæ ſunt ſubſtantiæ, atqui corpora ſimplicia ſunt corpora, quæ habent magnitudines, & paſſiones, & motus, ac horum omnium principia, ergo circa illa verſari debet Philoſophia naturalis, aut aliqua eius pars. Maiorem probat, quia Philoſophia eſt ſcientia de natura, quæ verſatur circa ea, quæ conſtant natura, aut conſequuntur naturam, vt oſtendit in 2. Phyſicorum capit. 1. & 2. ſed corpora conſtant natura, quia componuntur ex materia, & forma, quæ ſunt natura, & magnitudines conſequuntur naturam ex eodem ibidem capit. 2. & 3. ergo Philoſophia naturalis verſatur circa corpora, & magnitudines, ac ex conſequenti circa horum paſſiones, motus, & principia.

Quo ad ſecundam & tertiam ſimul, in quibus acturus eſt de quiditate corporis naturalis, in T. II. præmittit diffinitionem, ac diuiſionem continui, vt ea, quæ debent ingredi diffinitionem corporis, inquitque: Continuum eſt illud, quod eſt diuiſibile in ſemper diuiſibilia, partiturque in tres ſpecies, nempe in lineam ſuperficiem, & corpus. Linea eſt diuiſibilis ſecundum longitudinem tantum: ſuperficies ſuper longitudinem addit latitudinem, & corpus duabus dimenſionibus prędictis ſuperaddit tertiam, nempe profunditatem: Ex quibus colligit, & infert, quod corpus eſt illud, quod omniquaque diuiſibile eſt, nempe per longum, atque latum, & profundum, qui-

quibus de cauſis ponit in eodem textu ſecundam Concluſionem dicens: Corpus inter magnitudines eſt quid perfectum, quam probat tribus rationibus, quia nimirùm continet omnes diuiſiones, quæ ſunt tantum tres ſcilicet longitudo, latitudo, & profunditas, ſi quidem præter has nulla alia apparet dimenſio; atqui numerus ternarius eſt perfectus, qua propter Pithagorici numero ternario concludebant omnia, in quibus conſiſtit perfectiò; dicebant enim de duobus dicimus ambo, & de tribus omne, perfectum autem, & omne idem ſunt. Ergo cùm corpus contineat omnes dimenſiones, quæ ſunt tres, ſequitur eſſe perfectum. Secundo probat idem T. III. quia totum, & perfectum idem ſunt; ſiquidem totum continet omnia, & perfectum eſt id, cui nihil deeſt, quare neceſſariò ſunt idem, ſed corpus eſt quoddam totum, cuius partes, ex quibus, ſunt linea, & ſuperficies, igitur corpus, inter magnitudines, eſt perfectum. Tertio idem confirmat in T. IV. nàm magnitudini, cui nihil deficit, ineſſe perfectionem omnem dicendum eſt, ſed corpus eſt magnitudo, cui nihil deeſt, cùm includat omnes magnitudines continuas, vt eſt notum ex diuiſione continui, ergo concludendum eſt, corpus eſſe perfectum.

Ex his in eodem textu 4. infert tertiam Concluſionem de perfectione vniuerſi inquiens, vniuerſum eſt quid perfectum in genere ſuo. Probat illam, tùm ex nomine vniuerſi, quod importat aggregatum omnium corporum, ex quibus conſtat; tùm etiam, quia ſingula corpora, ex quibus integratur ſunt perfecta, cùm participent naturam corporis naturalis, cuius perfectionem hactenùs probauit, ergo etiam vniuerſum, ex illis conſtitutum, erit perfectum. An autem vniuerſum ſit magnitudine infinita, ſiue mole finita inferius conſiderandum eſt.

Quoad quartam in qua oſtendit; dari corpus ſimplex circulare, diſtinctum penitus à cæteris corporibus ſimplicibus, quæ motu recto cientur, duo facit. Primò ſupponit tria. Secundò probat dandum eſſe corpus circulare ſimplex, nempè Cœlum, diſtinctum à quatuor Elementis, quæ pariter corpora ſimplicia vocantur. Quare in T. V. primò ſupponit ex dictis in Phyſicis, omnia corpora quanta eſſe in loco, locoque moueri, ſiquidem conſtant natura, quæ eſt motus, ac quietis principium. Secundò ſupponit omnem motum localem diuidi in circularem, rectum, & mixtum ex his. T VI. Quod autem motus ſimplices ſint tantum duo. Nempe circularis, & rectus, ſuadet ex magnitudinibus, ſiue lineis, ſuper quibus quælibet mobilia cieri poſſunt, quæ ſunt tantùm duæ, nempè recta, & circularis. Motus circularis eſt, quo mobile mouetur circa medium, ideſt centrum vniuerſi. Motus rectus verò eſt, quo mobile mouetur, aut ad medium, & dicitur motus deorſum, aut à medio, & vocatur motus. Surſum. Tertiò ſupponit, T. VII. quod vnumquodque corpus ſimplex, tantùm vnico motu ſimplici, moueatur, ad differentiam corporis mixti, quod pluribus motibus cieri poteſt, niſi in eo prævaleat aliquod ex corporibus ſimplicibus, virtute cuius cogatur moueri vnico tantum motu ſimplici, aut ſurſum, aut deorſum, vt patet in lapidibus, vel metallis, in quibus præualet grauitas terræ, ratione cuius mouentur naturaliter deorſum. Ex hoc infert diffinitionem corporis ſimplicis dicens. *Dico autem ſimplicia quidem quæcumque motus principium habent ſecundum naturam, puta ignem, & terram, & horum ſpecies, & cognata his.* Hoc eſt dictu: Illa dicuntur corpora ſimplicia, quæ habent principium motus ſecundum propriam naturam, & non ab aliquo prædominante Elemento, ſed ex ſeipſis, cuiuſmodi ſunt ignis, & terra, & eis cognata, vt aer, & aqua, ſiquidem aer mouetur ſurſum, ſicut ignis, & aqua deorſum ſicut terra.

His ſuppoſitis in T. VIII. ſtatuit quartam Concluſionem dicens. *Si igitur eſt ſimplex motus, ſimplex autem eſt circularis motus, & ſimplicis corporis ſimplex eſt motus, & ſimplex motus ſimplicis corporis, neceſſarium eſt eſſe aliquod corpus ſimplex, quod natum eſt ferri circulari motu ſecundum ipſius naturam*: Hoc eſt, dari quintum corpus ſimplex, nempè Cœlum, à cæteris corporibus ſimplicibus diſtinctum, nimirum ab Elementis, quod moueatur circulariter tantùm, neceſſarium eſt. Probatque

batque hanc Concluſionem multipliciter, & primo ſic, omnis motus ſimplex neceſſariò debet alicui corpori ſimplici conuenire, ſed motus circularis eſt ſimplex, vt probatum eſt, & non conuenit alicui ex quatuor corporibus ſimplicibus, cùm vnumquodque habeat proprium motum, quo feratur, aut à medio, aut ad medium tantùm, ergo de neceſſitate dari debet aliud corpus ſimplex, ab eis diſtinctum, quod motu circulari ſimplici cieatur. Secundò probat eandem concluſionem T. IX. ſupponendo duo: Alterum, motum violentum, quem præter naturam vocat, eſſe contrarium motui ſecundum naturam: Alterũ [illegible] T.X. quod vnum dũtaxat vni eſt contrarium, vt rectè demonſtrat lib. 10. Metaph. t. 14. tùm ex ratione contrariorum, quæ duo tantum complectitur: tùm ex contrarietate, quæ differentia quædam eſt, differentia autem, ſi perfecta ſit, duorum ſolum eſt, ex quibus ſic arguit. Certum eſt motum circularem conuenire Cęlo, aut ergo conuenit ſibi naturaliter, aut violenter. Si naturaliter, igitur Cœlum non eſt vnum ex quatuor corporibus ſimplicibus, cùm vnumquodque moueatur naturaliter motu recto, & vnius corporis ſimplicis eſt tantum vnus motus ſimplex ex t. 8. & 7. ſuppoſit. 3. Si verò violenter, igitur motui circulari, quo Cœlum cietur, erit alius motus naturalis contrarius, ſed hoc non poteſt dici, ergo nec poterit dici Cœlum moueri violenter. Minorem probat, T. XI. quia ſit ille motus naturalis, contrarius circulari, verbi gratia ignis, aut alterius Elementi, iſte certe habebit ſuum contrarium, nimirum ſurſum, aut deorſum, ergo non poterit eſſe contrarius motui circulari, quin fateri cogamur vni poſſe eſſe duo contraria, quod eſt falſum, quia vni tantùm vnum poteſt eſſe contrarium, ergo concludendum, Cęlum moueri circulari motu naturaliter, ac proinde illud eſſe quintum corpus ſimplex à cæteris quatuor ſimplicibus diſtinctum. Tertiò probat T. XII. illam ſic, quia motus circularis eſt perfectior cæteris motibus ſimplicibus, ergo debet competere perfectiori ſimplici corpori; atqui tale nequit eſſe vnum ex quatuor Elementis, cùm omnia motu recto tantùm cieantur, igitur erit Cœlum quintum corpus ab eis diſtinctum. Antecedens probatur, quia motus circularis fit ſuper linea circulari, & rectus ſuper recta, ſed linea circularis eſt perfectior recta, ergo, & motus circularis debet eſſe perfectior. Minor probatur, quia linea recta, aut eſt finita, aut infinita; ſi infinita, ergo imperfecta, quia finem non habet, ſiquidem omnis perfectio eſt tribus contenta ſcilicet principio, medio, & fine; ſi verò eſt finita, igitur poterit ei fieri additio, vt maior euadat, ac propterea non erit perfecta, ergo linea circularis eſt perfectior linea recta, & ſic motus circularis motu recto, T. XIII. ac proinde conuenire debet priori, ac perfectiori corpori ſimplici, ab eis, quæ motu recto cientur, diſtincto. Quartò ſic probat, T. XIV. quia motus circularis competit igni, & aeri ſupremæ regionis præter naturam, ergo debet dari quinta ſubſtantia, cui naturaliter conueniat, diſtincta ab igne, & aere. Antecedens eſt euidens, & probatum fuit à nobis lib. 1. Meteorolog. Conſequentia probatur, quia omnis motus, aut eſt naturalis, aut præter naturam, ideſt violentus, vel neuter, & motus, qui præter naturam vni conuenit, competit alteri ſecundum naturam, vt patet in motu ſurſum, qui conuenit terræ violenter, & aeri, ac igni naturaliter, ergo idem dicendum eſt de motu circulari, quod ſi conueniat præter naturam igni, ac aeri, debet alteri ſecundum naturam, non alicui ſubſtantiæ elementari ex illis quatuor, ergo quintæ ſubſtantiæ, ab illis diſtinctæ. Quintò denique T. XV. ſuadetur eadem concluſio, quandoquidem datur in rerum natura motus circularis, quo Cœlum mouetur, aut ergo illi competit ſecundum naturam, aut præter naturam. Si dicatur primum habetur intentum, dari nimirum aliquod corpus ſimplex, quod moueatur naturaliter circulariter, diſtinctum ab illis, quæ motu recto cientur. Si verò aſſeratur ſecundum, hoc eſt impoſſibile, quia hactenus ceſſaſſet moueri, ſiquidem nullum violentum perpetuum, ſed hoc eſt falſum, quia quotidiè experimur Cœlum in gyrum, ac in orbem volui, igitur dicendum eſt, ipſum moueri circulariter ſecundum naturam.

Ex

Ex his demùm concludit, T.XVI. quod præter quatuor corpora ſimplicia Elementaria, admitti debeat quintum corpus ſimplex, nimirum corpus cœleſte, illudque eſſe præſtantioris, ac diuinioris naturæ, quàm Elementa.

Quoad quintam in qua determinat de aliquibus qualitatibus, corpori cœleſti circulariter mobili repugnantibus, ſubinfert hanc quintam Concluſionem, nimirum corpus ſimplex circulare, nec eſſe graue, nec leue; ſed antequam illam probet, ſupponit, ac declarat in T. XVII. quid ſit graue, & leue, ac grauiſſimum, & leuiſſimum. Graue igitur eſt, quod natum eſt ferri ad medium, ideſt deorſum ad centrum vniuerſi: leue autem quod à medio ſurſum natum eſt cieri. Leuiſſimum verò, quod ſupereminet omnibus, quę ſurſum feruntur, vt ignis. Grauiſſimum autem dicitur illud, quod ſubſtat omnibus, quæ deorſum feruntur. Vnde infertur, quod aqua, & aer, quia illa participat de grauitate terræ, & iſte de leuitate ignis, non dicuntur ſimpliciter leuia, aut grauia, ſed tantum comparatè, quandoquidem aqua dicitur grauis reſpectu aeris, & leuis in reſpectu ad terram; & ignis dicitur grauis in ordine ad ignem, & leuis in ordine ad aquam.

Ex his in T. XVIII. colligit, Cœlum nec eſſe graue, neque leue, quod ſic probat, quia graue mouetur ad medium, & leue à medio, hoc eſt, illud deorſum, & iſtud ſurſum, ſed Cœlum, neque fertur ad medium, neque à medio, ſed circa medium, cum cieatur circulariter, ergò Cœlum, nec eſt graue, nec leue. Confirmatur, quia corpus, quod circulariter mouetur, non eſt aliquod vnum ex Elementis, verùm ab eis diſtinctum, vt probauit in præcedenti Summa, ergo neque eſt graue, aut leue. Conſequentia tenet quia omnia elementa, aut ſunt grauia, aut leuia, cùm moueantur aut à medio, aut ad medium, ergo ſi corpus, quod mouetur circulariter, non aliquod vnum eſt ex Elementis, ſequitur illud nec fore graue, neque leue.

Probata concluſione principali, infert duo corollaria. Primum, quod nulla pars Cęli grauitat, vel leuitat, idque ſuadet in T. XIX. hac ratione: Idem, eſt iudicium de toto, ac parte, & è conuerſo, ſed totum Cœlum, neque graue, neque leue eſt, ergo nec ſingula eius pars erit grauis, aut leuis. Secundum, quod ſi aliqua particula Cœli ſepararetur ab eo, nec à medio, neque ad medium moueretur, cùm vna, ac eadem ſit ratio de toto, & parte.

Deinde in ſumma ſexta, in qua comparat Cœlum cum Elementis, ſtatuit ſextam Concluſionem nempe quod corpus circulare ſimplex, non eſt ſuſceptiuum alicuius mutationis, aut motus præter localem. Et probat illam inducendo per omnes motus, & primo in T. XX. arguit, quod non ſit generabile, aut corruptibile; nàm omne, quod generatur fit ex contrario, & ſubiecto, hoc eſt, ex materia affecta priuatione formæ generandæ; & omne, quod corrumpitur in ſubiectam materiam, ac priuationem reſoluitur, vt probauit in 5. Phyſicorum t. 9. & 10. habetque effectiuum generans, vel corrumpens, quia omne, quod mouetur ab alio mouetur ex 7. Phyſicorum t. 1. ſed Cœlum, neque habet ſubiectum, neque priuationem, neque effectiuum contrarium generans, aut corrumpens, ergo neque generabile, neque corruptibile. Prior pars minoris probabitur inferius. Poſterior nunc ſuadetur, quia cōtrariorum corporum ſunt contrarij motus, vt patet de terra, & igne, quæ quoniam ſunt contraria corpora ſimplicia, illa deorſum, & hic ſurſum fertur, quæ ſunt contrarij motus, ſed motui cœleſti nullus eſt contrarius motus, vt probauimus eſt ſuperius, & infra etiam oſtendetur, ergo neque Cęlo erit aliquid contrarium corrumpens, ac proinde erit ingenerabile, & incorruptibile.

Secundò probat, illud eſſe expers motus augmentationis, & diminutionis, nam augeri, & diminui, eſt quodammodo generari, & corrumpi: T. XXI. ſiquidem quod augetur, per additionem alicuius tranſit de non eſſe ad eſſe, & quod diminuitur progreditur, per deperditionem partis alicuius, de eſſe ad non eſſe, ſed Cęlum, neque generatur, neque corrumpitur, ergo neque augetur, neque minuitur. Confirmatur, quia accretio fit per aggenerationem materiæ nutrimenti partibus

tibus præexiſtentibus nutriti media nutritione, & ex oppoſito diminutio per deperditionem alicuius partis nutriti, ſed Cęlu n nullam habęt materiam, ergo eſt expers augm enti, & decrementi.

Tertiò probat idem de motu alterationis, quia alteratio eſt motus diſpoſitiuus, medijs qualitatibus primis, ad generationem, & corruptionem, augmentationem, & diminutionem, ſiquidem vbi deſinit alteratio, ibi incipit generatio, vel corruptio formæ ſubſtantialis, & ſimiliter ad illam ſequitur aggeneratio, aut deperditio nouæ ſubſtantiæ, vel antiquæ, ſed vt probatum eſt, Cœlum eſt ingenerabile, & incorruptibile, ac inaugmentabile, & indiminuibile, ergo etiam debet eſſe inalterabile. Aduertendum tamen hoc procedere de alteratione corruptiua, quæ fit per qualitates primas, vel etiam ſecundas inferentes paſſionem in ſubiectis, non autem de perfectiua, quia ſic alterationem recipit, ſiquidem luna, & forſan aliæ ſtellæ, quæ fixæ vocantur, recipiunt lumen à Sole, & illuminatio eſt quædam alteratio.

Inſuper in T. XXII. proſequitur probando, Cœlum eſſe alterationis expers, tùm quia Cœlum ſempiternum eſt, vt potè quod ſit locus coaptatus ſempiterno, & immortali Deo, adeò vt ſit impoſſibile aliter eſſe, vt teſtantur omnes Barbari, & Greci: tùm etiam, quia ab omni tempore præterito vſque ad præſens, numquam viſum fuit, Cœlum tranſmutatum fuiſſe, neque ad præſens tranſmutari videtur, etiam quod eſt nobis propinquius, igitur idem dicendum eſt de cæteris, ac eorundem partibus, ac propterea concludendum eſt Cœlum fore penitùs inalterabile.

Ex dictis ſuperius Sum. 4. & in præſenti, T. XXIII. infertur, Cœlum eſſe quintum corpus ſimplex, diſtinctum ab alijs corporibus ſimplicibus, illaque non excedere numerum quinarium, neque ab eodem deficere, quandoquidem vnius corporis ſimplicis eſt tantum vnus motus ſimplex: Motus autem ſimplices ſunt tantum duo, nempè circularis, & rectus; Hic autem diuiditur in duos ſcilicet in ſurſum, ſeù à medio, quo cientur duo corpora ſimplicia, ignis nimirum, & aer; & in deorſum, ſiuè ad medium, quo mouentur alia duo ſimplicia, ideſt aqua, & terra, ſicque habentur quatuor corpora ſimplicia mobilia motu recto: his adiungitur Cœlum, quod mouetur circulariter, & ita completur numerus quinarius. Cùm igitur motus ſimplices in ſpecie ſint tantum quinque, nec plures, nec pauciores, ſequitur corpora ſimplicia fore tantum quinque, adeò vt non excedant quinarium, nec ab illo deficiant.

Vlterius cùm probauerit Cœlum cieri tantùm motu circulari, nititur etiam ex hoc oſtendere, T. XXIV. illud eſſe ingenerabile, & incorruptibile, vndè ſic ratiocinatur: omne quod corrumpitur à ſuo contrario corrumpitur, ſed motus circularis, quo mouetur Cęlum, nullum habet contrarium, ergo nec Cęlum in ſuo moueri habebit contrarium, ac proindè erit incorruptibile. Maior ſupponitur probata in Phyſicis. Minorem probat multipliciter, & primo ſic, ſi motus circularis haberet alium motum contrarium, maximè foret motus rectus, ſed hoc eſt falſum, ergo &c. Sequela maioris probatur, nam illa ſunt contraria, T. XXV. quæ ſub eodem genere poſita maximè à ſeinuicem diſtant, ergo cùm ſub genere motus ponantur circularis, & rectus, & circularis magis diſtet à recto, quàm ab alio circulari, ſequitur, ſi motui circulari alius motus ſit contrarius, illum non poſſe eſſe niſi motũ rectum. Minorem probat, T. XXVI. quia vnus motus rectus contrariatur alteri recto, quia vnus ad medium, alter à medio, ergo nequit eſſe contrarius circulari, alioquin vnum haberet duo contraria, quod tamen repugnat, ſiquidem, vt probatum eſt ſuperius, vnum tantùm vni aduerſatur.

Quia tamen aliquis poſſet dicere, motum circularem habere contrarium alium motum circularem, probat hoc eſſe non poſſe; T. XXVII. vſque ad T. XXX. nam ſi motus circularis poſſet eſſe alteri circulari contrarius, hoc maxime eſſet ratione terminorum, ſibinuicem aduerſantium, propter diſtantiam adinuicem, aut locorum ad quæ terminantur, & à quibus incipiunt motus, ſed neutrum iſtorum dici poteſt, ergo nec vnum circularem motum alteri circulari eſſe contrarium dici nequit ſeque-

ſequela maioris probatur, quia ideò duo motus recti ſunt ſibinuicem contrarij, vel quia fiunt ſuper linea recta, cuius termini, ob eorum diſtantiam, ſunt contrarij, aut quia deſeruiunt in locis contrarijs, vt ſunt ſurſum, & deorſum, ergo ſi duo motus circulares poſſent adinuicem contrariari, hoc non eſſet, niſi ratione terminorum lineæ circularis, aut locorum, in quibus haberent deſinere, motus circulares. Minor probatur, quia cum in vna linea circulari poſſent duci infinitæ lineæ, ad infinitos terminos, & ſuper ipſis fieri infiniti motus circulares, ſequeretur vni motui circulari infinitos aduerſari poſſe, atqui hoc eſt falſum, quia vni vnum duntaxat contrariatur, ergo falſum eſt, motum circularem aduerſari alteri motui circulari. Tertiò probat eamdem minorem, quia ſi motus circularis habere poſſet alium circularem contrarium, tunc in linea circulari poſſent aſſignari duo termini contrarij, ratione quorum aduerſarentur, ſiquidem motus contrarij expoſcunt terminos contrarios, ſed hoc admitti nequit in linea circulari, cum incipiat à puncto, & in idem punctum deſinat, ergo &c. Quartò adhuc eamdem ſuadet in T. XXXI. nàm ſi circularis motus eſſet circulari contrarius, ſequeretur alterum fore fruſtraneum, ſed hoc non eſt dicendum, quia Deus, & natura nihil faciunt fruſtra, ergo potiùs dicendum eſt, nō eſſe adinuicem contrarios. Sequela maioris probatur, quia omnis motus ordinatur ad acquiſitionem vnius termini, ſed in motu circulari eſt tantum vnus terminus acquiſibilis, (ſiquidem deſinit in eundem terminum à quo incipit) igitur cum per vnum motum circularem eſſet talis terminus acquiſitus, iam alter ſuperfluerat. Quintò ſic, quia contrarij motus locales fiunt ad contraria loca, quæ ſunt ſurſum, & deorſum, ante, & retro, dextrorſum, & ſiniſtrorſum, ſed motus circularis non terminatur ad aliquam iſtarum poſitionum determinatè, verū omnes pertranſit indifferenter in nulla ſiſtendo, vt patet de motu, qui fit in rota, ergo nulli dantur motus circulares.

Ex his infert, T. XXXII. quod ſi duo motus circulares forent contrarij, darentur etiam de neceſſitate duo mobilia ſimplicia, quæ inter ſe poſſent eſſe contraria, ſiquidem vnius motus ſimplicis datur vnū corpus ſimplex, vt probatum eſt ſuperius ſum. 4. t. 7. ſed hoc illatum eſt impoſſibile, ergo & quod motus circulares ſint contrarij, erit impoſſibile. Minorem probat, quia aut talia corpora ſimplicia contraria, eſſent æqualis virtutis, aut inæqualis. Si dicatur æqualis virtutis, ergo neutrum moueretur, cùm neutrum alterum ſuperaret, & ſic eſſent fruſtra in natura, quod repugnat, quia Deus, & natura nihil agunt fruſtra. Si verò dicatur fore inæqualis virtutis, ergo alterū ſuperflueret, quia vnum tantū moueretur, & operaretur, nēpe id, quod vinceret, proindeque fruſtra eſſet in natura, cùm tamen neque Deus, neq; natura quicquam fruſtra moliatur, ergo de primo ad vltimum concludendum eſt, quod ſicut repugnant duo mobilia circularia ſibinuicem aduerſa, ita pariter repugnat, vnico motui circulari alium circularem eſſe contrarium.

Ex hoc textu obſeruant nonnulli Expoſitores, quod Ariſtoteles agnouerit, Cœlum fuiſſe factum à Deo, licet ab æterno, & per conſequens ſibi innotuiſſe Mundi creationem, licet in æternitate, vt aſſeruerunt D. Thom. hic, & 8. Phyſicorum ad t. 4. Scotus in 2. d. 1. q. 3. & alij, vt etiam nos adnotauimus ſuper 8. Phyſicorum diſp. 1. q. 2. & 3.

Demonſtrato igitur ex ſupradictis in hac Sum. 6. quod Cœlum ſit ingenerabile, & incorruptibile, inaugmentabile, & indiminuibile, ac inalterabile, & inſuper quod in ſuo motu locali nullum habeat contrarium corruptiuum, inferendum eſt, dari de neceſſitate quintū corpus ſimplex mobile circulariter, penitùs diſtinctum ab alijs quatuor corporibus, nempè ab Elementis, quæ recto cientur motu ſimplici.

De Vniuerſi perfectione, ac vnitate.

DISPVTATIO I.

Acturi in hac prima Diſputatione de perfectione ac vnitate vniuerſi, ſeù Mundi, opere prætium duximus tollere æquiuocationem, quam præſefert hæc vox Mundus, ſiquidem rerum intelligentia pēdet ab vniuoco intellectu verborum. Mundus igitur, in propria ipſius ſignificatione, interdum ſumitur adiectiuè, & ſic idem

Digitized by Google

eſt, quod purus, ſeù nitidus: interdùm ſubſtantiuè, pro quodam ornatu muliebri, qui mundus muliebris appellatur: & interdùm pro ſyſtemate, machina, ſiue opificio Cœli, & Terræ, in qua ſignificatione intelligitur illud Epheſ. cap. 1. *Elegit nos in ipſo ante Mundi conſtitutionem*. Mundus autem, in ſignificatione impropria, aliquando accipitur pro certa Mundi portione, vel ſuperiore, vel inferiore, & ſic vſurpatur illud Ioa. cap. 15. *Exiui à Patre, & veni in Mundum, iterum relinquo Mundum, & vado ad Patrem*; & illud Marci cap. vltimo. *Ite in Mundum vniuerſum, hoc eſt in omnem regionem orbis terrarum*: aliquando pro omnibus creaturis, tàm viſibilibus, quàm inuiſibilibus ambitu Mundi comprehenſis: aliquando pro hominibus, qui habitant Mundum, iuxta illud Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret*: aliquando pro malis hominibus, iuxtà illud Chriſti Domini apud Ioan. capit. 17. *Nunc autem pro eis rogo, non pro Mundo*. Et aliquando pro incolis Mundi, humana, & mundana ſectantibus, de quibus locutus eſt Io. in ſua 1. epiſt. cap. 2. cùm dixit: *Nolite diligere Mundum*. Hic nomine Mundi, ſeù vniuerſi, intelligimus aggregatum omnium corporum ſimplicium, cùm ſublunarium, tùm cœleſtium, de quo, quàmuis nonnulla diſſeruerimus in 8. Phyſicorum diſp. 1. quæſt. 2. 3. & 4. ac in diſput. Procem. huius operis, tamen occaſione textus Ariſtotelis, nonnulla alia vlteriori diſputationi ſubijciemus, quæſtiones reſoluendo iuxtà mentem Doctoris Subtilis. Quæritur igitur primo de perfectione vniuerſi.

Vtrum Vniuerſum ſit perfectum?

QVÆSTIO I.

Vniuerſum eſſe perfectum teſtatur, ac probat Ariſtoteles in hoc primo libro tra. 4. ex perfectione partium, ex quibus coaleſcit, & aggregatur: cæterùm quia non ſe explicauit de qua perfectione ſit locutus, eſſentiali videlicet, an accidentali, propterea nonnulli Doctores varias habuerunt opiniones, quibus tamen poſt habitis, cum ſit parui momenti diſſidium, quænàm fuerit mens germana Philoſophi, quibuſdam notatis, breuiter exponemus.

Primò igitur Notandum eſt (quod etiam aliàs innuimus) nomine vniuerſi Mundum magnum venire, ſiquidem communiter enumerantur quinque Mundi, Archetypus, Angelicus, Elementaris, Mundus magnus, & Mundus paruus. Primus eſt ipſa mens Diuina, in qua ſunt rationes, exemplaria, & ideæ omnium rerum efficiendarum, quæ ſecundum D. Auguſtin. lib. 1. Retract. cap. 3. *Eſt ratio ſempiterna, & immutabilis, qua Deus Mundum condidit*. Secundus eſt Angelorum Cœtus, ſeù triplex ipſorum Hierarchia in nouem Ordines diſtributa. Tertius complectitur Corpora Cœleſtia, & Elementaria. Quartus coaleſcit ex omnibus creaturis, quæ in ipſo continentur, videlicet ex Cœlis, Elementis, Animalibus, Plantis, ac cæteris Mixtis ſub propria ratione ſpecifica conſideratis. Quintus tandem eſt homo, qui dicitur Mundus paruus, eo quia quæcunque in vniuerſo ſpectantur, ſimpliciter, virtualiter, eminenter, ac participatiue continet. Eſt enim ipſius corpus compactum ex Elementis virtualiter, eminenter plantarum vitam viuit, animantium ſenſus poſſidet, intelligendi vi Angelis, quaſi coæquatur; vnde inquit D. Gregorius Magnus Homil. 29. in Euangelia: *Omnis creaturæ aliquid habet homo: Habet namque commune eſſe cum lapidibus, viuere cum arboribus, ſentire cum animalibus, & intelligere cum Angelis*. Hic eſt ſermo de Mundo magno, qui ſecundum Ariſtotelem lib. de Mundo ad Alexandrum, cap. 2. *Eſt compages, è Cælo, terraque coagmentata: atque ex ijs naturis, quæ intra eam continentur*: Siue vt ibidem ſubdit: *Mundus eſt ordo, & digeſtio vniuerſorum, quæ à Deo & per Deum aſſeruatur*: Vel vt placet Timplero in Phyſica Generali capit. 2. quæſt. 2. *Mundus eſt ædificium corporeum pulcherrimum, & ampliſsimum ex Cœlis, & Elementis artificioſè à Deo in gloriam ſuam, & vſum hominum conditum*.

Secundò Notandum eſt, perfectum ſumi dupliciter, nimirum ſimpliciter, & ſecundum quid. Perfectum ſimpliciter, quod etiam perfectum extra genus appellatur, eſt cui nec perfectionis aliquid deeſt,

nec quicquam ſibi addi poteſt, immo repugnat aliquam perfectionem ſibi adiungi, cùm nihil eo perfectius ſit, aut eſſe poſſit, & ſic Deus duntaxat eſt perfectus. Perfectum ſecundum quid, ſeù in genere, eſt quodcumque perfectum limitatum iuxtà perfectionem ſui generis, & ſic homo dicitur perfectus in genere animalium, motus circularis in genere motuum, & ſic de alijs.

Tertiò Notandum eſt duplicem eſſe perfectionem ſcilicet eſſentialem, & accidentalem. Perfectio eſſentialis eſt quæ ad rei eſſentiam, & quiditatem pertinet, vt animal rationale ad quiditatem hominis. Econtra eſſentialis imperfectio eſt, quæ aliquam quiditatis partem aufert, vt corpus ſolum, vel anima ſola, quippe corpus abſque anima non eſt homo, nec econuerſo anima abſque corpore. Perfectio accidentalis eſt, quæ in qualitatibus, quantitatibus, ac diſpoſitionibus alijs à natura dimanantibus conſiſtit, quare hoc pacto dicitur homo perfectus, ſi qualitatibus animæ, & corporis ſit prædìtus, nempe ſi facilitate ad capeſcendas doctrinas, ſi valetudine polleat, ſi debitam quantitatem ſit adeptus, & ſic de cæteris accidentibus eidem à natura conuenientibus. Ad perfectionem eſſentialem vniuerſi ſpectant omnia corpora naturalia, tùm ſimplicia, vt Orbes Cœleſtes, ac Elementa: tum mixta ſecundum eſse ſpecificum, ſiue generentur vniuocè, vt homo, æquus, leo &c. ſiuè æquiuocè, vt mures, ranæ, vermes, & ſimilia animalia: vnde Mundus dicitur, *vniuerſitas creaturarum, vel corporum, tùm æthereorum, & ſuperiorum, tum elementarium, & inferiorum, aliarumque naturarum, quæ in his naturaliter continentur, bonum, & ſapienter, pulchrèque ordinatum ſyſtema*: vel vt placet Picolomineo, *eſt ordinata ſeries cunctorum natura conſtantium à Deo, & per Deum ſeruata*. Ad accidentalem verò eius perfectionem attinet, elementorum temperies, animalium, cæterorumque mixtorum debita quantitas, & pulchritudo, ac Cœlorum omnium debita claritas, regularis motio, purgata influentia, ac ſimiles effectus, qui ab eis deriuantur.

Quartò Notandum eſt, ordinem, ex quo deſumitur aliqua perfectio vniuerſi, ſecundum D. Auguſtinum libr. 19. de Ciuit. Dei cap. 13. eſse parium, diſpariumque rerum ſua cuique loca tribuentem diſpoſitionem, quæ in eo conſiſtere videtur, quod res ſint inter ſe optimo ordine collocatæ, & quod ſint ordinatæ ad Deum, vt earum Auctorem: referuntur enim ad Deum, vt ad cauſam efficientem, exemplarem, & finalem: vnde in rebus dicitur eſse modus ſpecies, & pondus, ſiquidem, vt dicitur Sapient. cap. 11. omnia in numero, pondere, & menſura conſtituit Deus: numerus enim ſpeciem ſignificat, cùm ſpecies ſint ſicut numeri ex Ariſtot. lib. 8. Metaph. t. 10. pondus ordinem, quia vt corpora ponderibus, ita res quælibet innata propenſione fertur in ſuum finem: & menſura modum indicat, quo vnaquæque ſuo certo, ac limitato ſitu, ac loco diſponitur; quippe ita collocatæ conſpiciuntur, vt mutuò iuuari poſſint, ſiquidem inferiora corpora per ſuperiora reguntur, ſuperiora ab intelligentijs mouentur, vnde Ariſtoteles inquit primo lib. Meteor. cap. 2. *Neceſſe eſt hunc mundum inferiorem eſſe continuum lationibus ſuperioribus, vt inde virtus ipſius gubernetur*. Quādoquidem animalia a plantis, hæ ab Elementis, iſta à corporibus cœleſtibus, & corpora Cœleſtia à Virtutibus Motricibus in ſuis gubernijs ordinatè pendent.

Ex his ſit prima Concluſio. Vniuerſum eſt vndequaque perfectum, tàm eſsentiali, quàm accidentali perfectione. Probatur prima pars, quia ſi vniuerſum careret eſſentiali perfectione, ſua quiditate deſtitutum exiſteret, ſed hoc eſt falſum, ergo &c. conſequentia liquet ex diffinitione eſsentialis perfectionis. Falſitas patet pariter, cum nulla res exiſtere poſſit abſque propria quiditate. Secunda pars ſuadetur, quia accidentia propria fluunt ab eſsentia vniuſcuiuſque rei, atque adeò inuariabilia ſunt in vnoquoque indiuiduo: Communia verò, quæ aduentitia dicuntur, quamuis in omni indiuiduo ſeorſim non conſpiciantur, nihilominus in cunctis indiuiduis cuiuslibet ſpeciei ſparſim exiſtunt, vt in ſpecie humana, quoad omnia indiuidua, ſaltem reperiuntur omnes qualitates, & virtutes, quæ ſibi adaptari poſsunt: Et idem dicendum eſt de cæteris ſpeciebus, ergo vniuerſum eſt preditum vtraque perfectione, tùm eſsentiali, tùm accidentali. Deindè probatur tota concluſio ſimul ex nomi-

ne vniuerſi, ſeù Mundi, quod latini pulchrum & perfectum verterunt ex Græco: vnde pulchrum accidentalem, & perfectum eſſentialem perfectionem deſſignãt. Prætereà vniuerſum eſt Dei opus, vt dicitur Geneſis cap. 1. *In principio creauit Deus Cælum, & Terram*, hoc eſt omnia, quæ in Cęlis, & in Terra continentur, & ſubdit eorum perfectionem, dùm inquit Moyſes: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona*, ergo vniuerſum, quod omnia à Deo creata, ac condita complectitur, eſt valde bonum, ac proindè perfectum: bonum enim & perfectum cõuertuntur. Deniquè ratione fundamentali probatur tota Concluſio: nam illud dicitur perfectum cui, nihil deeſt eorum, quæ, vel eſſentialiter, vel accidentaliter ad ipſum pertinent, vt patet ex 2. Not. ſed vniuerſum eſt huiuſmodi, ergo vniuerſum eſt perfectum. Minor probatur ex eius diffinitionibus, in quibus includuntur omnia entia creata: nam Ariſtoteles libro de Mundo ad Alexandrum inquit: *Mundus eſt compages ex Cælo, & Terra, & quæ in his continentur naturis coagmentata*. Vel vt alijs placet, *eſt vniuerſitas creaturarum, vel corporum, tùm æthereorum, & ſuperiorum, tum elementarium, & inferiorum, aliarumque naturarum, quæ in his naturaliter continentur, bonum, & ſapienter, pulchreque ordinatum ſyſtema*, atqui perfectio vniuerſi conſiſtit in diſpoſitione, & ordine omnium, quæ à Deo ſunt condita, ſiue per creationem, ſiue per generationem, aut emanationem à ſuis cauſis, & principijs, quippe inquit Ariſtoteles libr. 12. Metaph. t. 52. *Cuncta coordinata quodammodo ſunt, verùm non ſimiliter natantia, & volatilia, & plantæ, nec ita ſe habent, vt ſit vllum alteri ad alterum, ſed ſunt ad quidpiam: ad vnum nanque coordinata ſunt omnia: Dico autem pariformiter, quod neceſſe eſt in diſcrimen, ſeu ſegregationem venire, & alia ita ſunt, quibus omnia communicat ad vniuerſum*. Ergo dicendum eſt vniuerſo nihil perfectionis deeſſe, ac proindè fore vndequaque completum, & perfectum.

Secunda Concluſio. Perfectio, quam colligit Ariſtoteles in t. 4. deberi vniuerſo, eſt tantùm eſſentialis, non autem accidentalis. Probatur prima pars, quia perfectio, quæ reſultat vniuerſo ex partium integralium perfecta quiditate, eſt duntaxat eſſentialis, vt patet ex dictis ſuperiùs Not. 3. ſed Ariſtoteles in citato textu, tantùm meminit perfectionis, quæ oritur ex perfecta quiditate partium integralium vniuerſi, ergo tantùm intellexit de eſſentiali. Minor probatur ex verbis relatis in præcitato textu: inquit enim. *Vnumquodque igitur corporum, quæ in partis forma ſunt, ſecundum rationem tale eſt: omnes enim habet dimenſiones, quæ propter modo quodam multa corporum vnumquodque eſt. Ipſum autem, cuius hæ partes ſunt, perfectum neceſſe eſt eſſe, & quemadmodum nomen ipſum ſignificat omniquaque, & non hac quidem, hac autem non*, ergo ſolùm loquitur de perfectione vniuerſi, reſultante ex perfectione corporum, quæ ſunt eius partes integrantes. Secunda pars ſuadetur ex verbis, quæ ibidem ſubdit inquiens: *De ipſius igitur vniuerſi natura, ſiuè infinita ſit ſecundum magnitudinem, ſiue ſit ſecundum totam molem, poſterius conſiderandum eſt*. Sed finitas, & infinitas in magnitudine, ſunt affectiones accidentales, ex quibus reſultat tantùm accidentaria perfectio, vt inferiùs videbimus, ergo in præſenti conſiderauit perfectionem vniuerſi, ſecundum partes eſſentiales tantùm, & non accidentales.

Obijcitur contra primam Concluſionẽ multipliciter, & primo quia perfectum eſt cui nil deeſt, nil vè addi poteſt ex Ariſt. 3. Phyſicorum t. 64. & hic t. 4. at vniuerſo multa deſunt, pluraque addi poſſunt, ergo non eſt perfectum. Minor probatur, nam hyemis algore multæ plantæ deficiũt, pluresque rerum ſpecies à Deo creari poſſunt, ergo &c.

Reſpondetur negando minorem. Ad probationem dico, nec plantarum, nec aliarum rerum ſpecies deficere, ſiquidem virtualiter ſemper exiſtunt, vel in radicibus, vel in ſeminibus, ac etiam actu in alijs regionibus. Quod autem Deus poſſit alias ſpecies perfectiores producere, mundumque pulchriorem condere vtique concedimus; at id nil officit; nam mundi præſentis ſtatus nullas alias ſpecies poſtulat, quam Diuina manu iam conditas.

Obijcitur ſecundo nam in vniuerſo cõtinuè videtur rerum ſublunarium viciſſitudo,

do, ac indiuiduorum interitus, ergo vniuerſi perfectio non conſiſtit.

Reſpondetur negando conſequentiam. Neque rerum interitus vllam imperfectionem affert vniuerſo, quandoquidem ex rebus caducis, dùm aliæ corrumpuntur, aliæque generantur, ſequitur pulchra temporum viciſſitudo, ac ſucceſſiue noua producta ex ſurgunt, quæ mundum ornamentis augent.

Objicitur tertio. Multa ſuperuacanea conſpiciuntur in Orbe, ſiquidem ſpecies commode conſeruari poſſunt in vno; vel paucis indiuiduis. Inſuper vermes, & alia animantia, quæ nullam vtilitatem, verùm multam moleſtiam afferunt, ſunt penitus ſuperflua, ergo in his conſiſtere nequit vniuerſi perfectio.

Reſpondetur negando conſequentiam. Vnde ad primum de multitudine indiuiduorum, dico nequaquam ſuperfluere. Quandoquidem, licet non requirantur tot indiuidua ad conſeruationem ſpecierum & ad mundi perfectionem eſſentialem, ac primariam, conferunt tamen valdè ad eius pulchritudinem, & accidentariam perfectionem. Ad ſecundum dicendum ſimiliter, quod licet videatur prima facie aliqua inutilia, & noxia, nihilominus etiam talia proſunt; nam vt ait D. Auguſtinus libr. 3. de Geneſi ad literam cap. 17. *Homines, aut pœnaliter lædunt, aut ſalubriter exercent, aut vtiliter probant, aut ignoranter docent.*

Objicitur quarto. In vniuerſo reperiuntur Monſtra, quæ ſunt errantis naturæ vitia inſuper Elementorum pugnæ, quæ tranquillum ordinem rerum turbant, inducunt in vniuerſum, locorum diſſidia, populorũ antipathiam, ob qualitates adinuicem pugnantes, quæ ab illis deriuant, ergo cùm in Mundo conſpiciantur huiuſmodi defectus, nequaquam dicere poterimus, ipſum fore vndequaque perfectum.

Reſpondetur negando conſequentiam; neque motiua in probationem aſſumpta multum vrgent: quare ad primum dico Monſtra, cùm ſint à Deo intenta, quamuis ſint errantis naturæ particularis vitia, tamen ad Mundi ornamentum ſpectari, quatenus ex eorum intuitu, alia pulchriùs reſſident, & magis accepta fiunt. Ad ſecundum ſimiliter dico, Elementorum pugnam ad rerum ordinem maximè conferre, quatenus illorum diſcordia concors deſeruit rerum compoſitioni, ac generationi. Neque diſſidia locorum, populorumque antipathia pulchritudinem vniuerſi fœdare poterunt, quinimò illam augent, & conſeruant, cùm ipſa in varietate conſiſtat; tùm etiam, quia res, quæ vna ex parte diſſident, eædem ex altera conueniunt, & mutuo inter ſe fœdere copulantur, atque adeò ea de cauſa, ordinis tranquillitatem ſeruant.

Vtrum Vniuerſum ſit ita perfectum, vt non poſſit perfectius à Deo fieri?

QVÆSTIO II.

Circa hanc perdifficilem quæſtionem varia ſunt Doctorum placita, vt videri poteſt apud Philoſophos hic cap. 9. & apud Theologos in 1. ſent. diſt. n. 44. & 46. quandoquidem ſuppoſita illa communi diſtinctione, ſiue diuiſione perfectionis in genere in eſſentialem, & accidentalem, abierunt in varias opiniones, quæ tamen potiſſimùm reducuntur ad tres.

Prima igitur opinio aſſerit, non poſſe hoc vniuerſum meliùs, ac perfectiùs à Deo fieri, quàm factum ſit ſiquidem Dei perfecta ſunt opera, atqui perfecto nil addi poteſt, alioquin non perfectum, ſed imperfectum eſſet. Ita nonnulli, quos ſine nominibus refert Hugo Victorinus apud Conimbric. hic cap. 9. q. 2. art. 1. & Ruuium ibid. q. 4. vbi citat etiam D. Thomam 1. p. q. 25. art. 6. pro hac ſententia.

Secunda opinio docet hoc vniuerſum non poſſe perfici formaliter, licet bene materialiter. Ita D. Thomas loco citato, & in 1. d. 44. q. 1. art. 2. vbi Capreolus, Alenſis 2. p. q. 18. memb. 3. D. Bonau. in 1. d. 44 q. 4. Altiſiodorenſis in Sum. lib. 1. cap. 12. qu. 7. Conimbric. loco cit. art. 2. aſſert. 5. & alij.

Tertia opinio cenſet ex oppoſito, hoc vniuerſum poſſe reddi perfectius, quàm factum fuerit, etiam quoad ordinem quarumdem partium integrantium, non quidem eſſentiali perfectione, verùm accidentali duntaxat. Ita Durandus in 1. diſt. 44. quæſt. 3. Argentinas ibidem quæſt. vnica art. 3. Aureolus relatus à Capreolo in 1. diſt. 43. quæſt. 1. art. 2. & Vaſquez tom. 1. in 1. part. D. Thom. diſput. 107. cap. 3. quos omnes

omnes refert, ac ſequitur Ruuius hic cap. 9. quæſt. 4.

Quid autem nobis dicendũ ſit cum Doctore Subtili, quibuſdam de more adnotatis, noſtram aperiemus ſententiam in ijs Concluſionibus infra ponendis, ac probandis.

Primò igitur Notandum eſt, ex D. Bonauentura loco citato, hanc quæſtionem tripliciter exagitari poſſe, & quantum ad ſubſtantiam partium integrantium, & quãtum ad proprietates, & quo ad ordinem earundem partium, nedum inter ipſas, verùm & vt finem reſpiciunt. Si primo modo pertractetur quæſtio, hoc poteſt dupliciter intelligi, vel capiendo ſubſtantiam partium integrantium formaliter, & ſecundum eſſe ſpecificum, & ſic vniuerſum perfici, aut meliorari nequit, manens idem, quia rerum eſſentiæ ſunt immutabiles, quæ ſi fierent meliores, & perfectiores, iam non eſſent huius vniuerſi partes, ſed alterius: vel ſumendo ſubſtantiam partium materialiter, ſeù ſecundum eſse indiuiduale, ſicque non inconuenit hoc vniuerſum perfici, ac meliorari poſse, ſiquidem poſsent Elementa, & Corpora Cęleſtia fieri maiora, latiora, & profundiora, quàm nunc ſint, ac proinde vniuerſum fieret maius, & amplius ſubſtantialiter, & non tantùm accidentaliter. Si autem quæſtio exagitetur ſecundo modo; aut eſt ſermo de proprietatibus intrinſecis partium vniuerſi, aut de extrinſecis. Si de prioribus ſit quæſtio, cum fluant ab eſse formali, & ſpecifico rerum, certum eſt illas non poſse reddi meliores, ſicut nec earum principia formalia, ac per conſequens, neque in ordine ad illas vniuerſum perfici poterit. Si verò de poſterioribus exagitetur difficultas, non eſt dubium, quin à Deo effici poſſint meliores, & vniuerſum per ipſas reddi perfectius; quandoquidem accidentia communia ſuſcipere poſsunt maius, & minus, & magis, & minus. Si denique diſcutiatur quæſtio tertio modo, aut loquimur de ordine partium ſubſtantialium in toto vniuerſo, aut prout dicunt relationem in finem vltimum. Si loquamur de prioribus, aut eſt ſermo de primarijs, & incorruptibilibus, vt ſunt Orbes Cęleſtes, & Elementares, & iſtæ ſunt ita optimè ordinatæ, vt aliter mutari non poſſint abſque deſtructione propriarum naturarum; terra enim, cum ſit grauiſſima, collocanda eſt ſemper in imo, & ignis, quia leuiſſimus in extremo ſuperiori; aqua verò, cum participet magis de grauitate, quam aer, collocanda eſt immediate ſuper terram; aer verò immediate ſub igne, cùm magis leuis ſit quàm grauis; ſimiliter Orbes Cęleſtes, cùm incorruptibiles exiſtant, & magis appropinquent ſuo fini, quàm Elementa, debuerunt eminere, & illa ſubſidere. Sin autem agatur de ſecundarijs, & corruptibilibus, aut ſpectantur ſecundum ſuum eſse abſolutum, & ſic potuerunt, meliùs ordinari, aut prout reſpiciunt finem, in quem tendunt, & ita ſunt optime ordinatæ, quemadmodum & omnes aliæ partes, ſiquidem manifeſtant omnes eius ſapientiam, & bonitatem, quibus nil melius, aut perfectiùs excogitari poteſt. Nam ſicut in productione rerum ex nihilo oſtenditur eius potentia, ſic ex ordine rerum in toto vniuerſo manifeſtatur eius ſapientia, & eius bonitas in ordinatione earum in Deum tamquàm in ſuum vltimum finem.

Secundò Notandum ex *Doctore Subtili* in primo d. 43. quæſt. vnica, hanc quæſtionem poſſe agitari, vel de potentia ordinaria, vel abſoluta. Si de priori potentia exagitetur, cùm hæc reſpiciat leges à Deo in æternitate conditas, ſecundum quas facit, quicquid ad extra ordinarie operatur, dicendum eſt, non poſſe vniuerſum melius, ac perfectiùs a Deo fieri, quàm quod factum ſit, alioquin quicquid ageret inordinate ageret. Si verò ſit ſermo de poſteriori potentia, quia ſecundum iſtam agit de facto, & non de iure; verùm præter legem iam ordinatam à Diuina Voluntate, vniuerſum, manens idem, quod nunc eſt, poterit melius, ac perfectiùs fieri, quàm quod factum fuerit, in ijs tamen, quæ non implicant contradictionem, ſiquidem huiuſmodi potentia ſe extendit ad omnia, quę ex ſuis rationibus formalibus non repugnant fieri, vt aliás dictum fuit. Quæ autem ſic repugnant, ſunt rerum quiditates, & eſſentiæ, ac earum paſſiones, ſeù proprietates intrinſecæ, ſiquidem impoſſibile eſt, leonem, vel equum reduci ad perfectionem hominis, itaut ſint ambo rationales, & riſibiles, cùm rationalitas, & riſibilitas, huius pugnent formaliter cum irrationalitate, & rugibilitate, ac hinibilitate

illo-

Digitized by Google

illorum. Verùm enim verò cætera omnia, quæ ſunt in mundo, ſiuè ſint ſubſtantiæ ſiuè accidentia, ſiuè corruptibilia, ſiuè incorruptibilia, ſi ſpectentur quò ad modum, & ordinem, quem ad præſens ſeruant in vniuerſo, cùm perfectè ſubſint Dei potentiæ abſolutæ, ſicut poſſunt perfici, ac meliorari, ita reddere poterunt vniuerſum meliùs, ac perfectiùs, quàm quod factum fuerit.

Tertiò Notandum ex eodem in primo d. 36. & 43. quæſt. vnica potentiam paſſiuam ad eſſe, vel fieri cuiuſcumque rei poſſe dupliciter attendi; vel originaliter, ſeù principiatiuè, vel formaliter, quaſi in ratione principij formalis. Primò modo habent res poſſibilitatem, & impoſſibilitatem ab Intellectu Diuino illas producente in eſſe cognito, vel ideali, & in poſteriori ſigno naturæ poſſunt denominari tales, vt volibiles, vel non volibiles à Diuina Voluntate, & denique factibiles, aut non factibiles per ordinem ad Omnipotentiam Dei. Secundò modo autem dicuntur poſſibiles, aut impoſſibiles ex ſuis rationibus formalibus. Ad propoſitum res, quæ continentur in vniuerſo, ſi habeant poſſibilitatem, ſeù capacitatem ad recipiendam maiorem perfectionem, ſiuè formaliter, ſiuè originaliter, poterunt de potentia Dei abſoluta ſaltem reduci ad actum, ac meliorari: verùm ſi careant tali potentia paſſiua, ſiuè capacitate, cùm ex illa ſequatur impoſſibilitas formalis, per nullam potentiam poterunt perfici, ac meliorari, quin contingat earum eſſentias deſtrui: Ignis enim, inquit Scotus in primo d. 43. ad primum argumentum, manens ignis nequit intelligere, aut velle, quamuis Deus abſolute operetur, quia non poteſt eſſe intellectus, & voluntatis capax, ob repugnantiam formalem, quæ reperitur in ſuis rationibus formalibus, ac proinde ſequitur, quod neque Diuina Omnipotentia poteſt illum reducere ad maiorem perfectionem eſſentialem, quam, eius natura poſtulet. Quod dicitur de ignis quiditate, eodem modo philoſophandum eſt de omnibus rebus, quæ ſunt vniuerſi partes integrantes, quoad illarum eſſentias, & quiditates.

Quartò tandem huc reuocanda ſunt ea, quæ de vniuerſi perfectione, tam eſſentiali, quam accidentali, adnotauimus in præcedenti quæſtione, ſiquidem non parum iuuabunt ad huius difficultatis reſolutionem.

Ex his igitur ſit prima Concluſio. Vniuerſum, ſi attendatur ſola ordinaria Dei potentia, nequit perfici, aut meliorari, quàm ſit ad præſens, ſiuè eſſentialiter, ſiuè accidentaliter. Eſt communis, colligiturque ex Doctore Subtili in 1. d. 44. quæſtio vnica. Probatur, quia potentia Dei ordinaria non ſe extendit vltra leges à Deo iam præfixas de creatione, ſeù conditione vniuerſi, ſed in huiuſmodi non continetur maior perfectio vniuerſi, quàm quæ ad præſens conſpicitur, ergo ſecundum potentiam ordinariam vniuerſum nequit fieri perfectius, quàm quo ad præſens ſit factum. Maior liquet ex diffinitione potentiæ ordinariæ. Minor patet, tùm quia dicitur Geneſis cap. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*, hoc eſt, vndequaque perfecta, quod non poſſet dici, ſi in huiuſmodi lege de conditione rerum vniuerſi, contenta fuiſſet maior perfectio: tùm etiam, quia ſi huiuſmodi lege repræſentata fuiſſet huiuſmodi perfectio maior, vtique expreſſa foret in conditione, vt innuit D. Auguſtini lib. 3. de lib. arbitr. cap. 5. cùm inquit: *Quicquid tibi rectâ ratione melius occurrerit, ſcias Deum feciſſe, tanquam bonorum omnium conditorem*: alioquin aut inuidentiæ, aut impotentiæ, inſimulari poſſet, vt ſubdit idem D. Auguſt. ſuper Gen. ad lit. Vidit Deus &c. *Si bona facere non poſſet, nulla eſſet potentia; ſi poſſet, ſed nollet, magna eſſet inuidentia: quia ergo ſummè bonus, & ſummè potens eſt, ſingula fecit valde bona*, ergo reſpiciendo leges potentiæ ordinariæ non poteſt facere meliora, ac proindè neque vniuerſum perfectius reddere.

Secunda Concluſio. Si autem ſpectetur potentia, qua præter leges agere poteſt, quæque abſoluta nominatur, poteſt Deus vniuerſum perfectiùs reddere, quàm quod factum fuerit, accidentali tamen, non verò eſſentiali perfectione. Colligitur ex Doctore Subtili loco nuper citato. Probatur prima pars, quia potentia abſoluta Dei ſe extendit ad omnia, quæ non implicant contradictionem, vt patet ex eius diffinitione, ſed perfectio accidentaria maior, quàm quæ ad præſens conſpicitur in ſingu-

lis vniuerſi partibus, illis non repugnat, ergo poteſt eiſdem de potentia Dei abſoluta ſuperaddi. Minor probatur, quia maior lux, ſplendor, claritas non repugnant Corporibus cœleſtibus, & Aſtris, incorruptibilitas Elementis, ac Mixtis, æqualitas in virtute, & elegantia omnibus indiuiduis eiuſdem ſpeciei, ſiquidem huiuſmodi accidentia non extraherent illa extra Sphæras propriarum ſpecierum, ac quidditatum, ergo perfectio accidentaria maior, & melior, quam quæ de facto conſpicitur in ſingulis vniuerſi partibus, eiſdem non repugnat, ac proinde abſolutè poſſunt illis ſuperaddi. Confirmatur adhuc minor ex D. Auguſtino ſuper Geneſis ad lit. vbi inquit cap. 2. *Si Deus feciſſet hominem, qui peccare non potuiſſet, quis dubitet, quod eum feciſſet meliorem?* ſed impeccabilitas in homine eſſet perfectio accidentaria, vt eſt manifeſtum in Beatis, ergo talis non repugnat ſpeciei humanæ, ac per conſequens potuiſſet ſic fieri, ſi Deo placuiſſet. Secunda pars probatur, quia perfectio eſſentialis attenditur penes ſpecies, & quiditates rerum, ſed iſtæ ſunt immutabiles, & augeri non poſſunt, quin è proprijs ſphæris extrahantur, ex Ariſtotele libr. 8. Metaph. cap. 5. t. 10. vbi docet, ſpecies eſse, ſicut numeri, qui augeri non poſsunt, abſque ipſorum deſtructione, ergo vniuerſum, nec de potentia abſoluta Dei, augeri poterit in perfectione eſsentiali. Conſequentia patet, nam potentia Dei abſoluta non ſe extendit ad ea, quæ implicant contradictionem, & repugnantiam ex ſuis rationibus formalibus ex ſecundo Notando at implicat vnam ſpeciem reduci ad perfectionem alterius, vt puta leonem ad perfectionem hominis, cum rationes formales vtriuſque adinuicem formaliter pugnent; neque vna eſt capax maioris perfectionis eſsentialis, ſiquidem non ſuſcipiunt magis, & minus, cùm omnes ſint ſubſtantiæ, ſiuè formaliter, ſiuè æquiualenter, ergo vniuerſum, ſecundum perfectionem eſsentialem, neque de potentia Dei abſoluta, perfici, aut augeri poterit.

Tertia Concluſio. Vniuerſum hoc, manens idem numero, nec de potentia Dei abſoluta, perfici poterit materialiter, additione nimirum nouarum partium integralium, ideſt, plurium Corporum Cœleſtium, Elementorum, aut ſpecierum, tùm materialium, tùm immaterialium. Probatur quia totum integrale, ſicut manens idem, coaleſcit ex omnibus partibus ſimul ſumptis, de neceſſitate ad eius eſse requiſitis, ita variatur, ac deſtruitur identitas numeralis, ſi nouę ſuperaddantur partes integrales, ergo cum vniuerſum ſit totum quoddam integrale, coaleſcens ex omnibus ſpeciebus, tàm materialibus, quàm immaterialibus, & omnibus corporibus, ſiuè ſimplicibus, ſiuè mixtis, ſiuè corruptibilibus, ſiuè incorruptibilibus ſimul ſumptis, ſi nouæ partes ſuperaddi poſsunt, iam non erit idem totum, quod nunc eſt, ſed aliud, quod tamen nequit fieri abſque deſtructione identitatis numeralis totius vniuerſi. Confirmatur, quia vniuerſum conſtat ex partibus integrantibus, ſicut numerus ex vnitatibus, ſiquidem ambo ſunt tota integralia, ſed numerus, per additionem vnitatis ad vnitates præcedentes, variatur numerali identitate ſaltem, (quicquid ſit de formali pro nunc) ergo, & vniuerſũ variabitur numeraliter, ſi contingat ſibi ſuperaddi nouas partes integrales.

Quarta Concluſio. Vniuerſum hoc, ſpectata etiam potentia Dei abſoluta, nequit perfici, ſeù meliorari, quoad ordinem, quem dicunt inter ſe, & ad finem vltimum. Probatur prima pars, quia eſse vniuerſi formaliter conſiſtit in ordine, quem dicunt partes integrales ad ſe inuicem, & ad ſitum locorum, quibus continentur, nempè quod in Corporibus Cęleſtibus conuexum orbis Lunæ ſit contiguum concauo orbis Mercurij, & aſcendendo vſque ad concauum vltimæ Sphæræ in quo omnia locantur, ſimiliter quod Elementa grauia ponantur in imo, leuia verò in ſupremo loco ſuper grauibus, cùm hoc expoſcat eorum natura, nam huiuſmodi ordine diſsoluto, diſſoluitur quoque eſse formale vniuerſi, adeo vt non ſit amplius, quod prius erat, ergo neque de potentia Dei abſoluta poterit aliter ordinari vniuerſum, quin idem deſtruatur: Conſequentia patet, quia huiuſmodi potentia non ſe extendit ad ea, quæ implicant contradictionem, atqui deſtructo ordine, non eſset amplius hoc vniuerſum, & tamen ex ſuppoſitione eſset, igitur eſſet, & non eſset, quod inuoluit contradi-

ctio-

ctionem. Secunda Pars probatur quia vltimus finis eſt ipſe Deus, vt Auctor naturæ, ſiquidem omnia propter ſemetipſum operatus eſt, ſed nequit reperiri perfectior finis ipſo Deo, cùm ſit infinitus in ſapientia, potentia, & bonitatẽ, quæ potiſſimùm elucent in operibus rerum Vniuerſi, ergo Vniuerſum nequit perfici rebus, quæ in ipſo continentur, vt præſeferunt ordinem in ſuum finem vltimum.

Quinta Concluſio. Vniuerſum nequit meliorari quoad partium integrantiũ proprietates intrinſecas, ſecus quoad extrinſecas. Colligitur ex D. Bonauent. in primo diſt. 44. art. 1. quæſt. 2. ac ex Doctor. Subtili in primo d. 43. quæſtio vnica §. ad primum argumentum probatur primã pars, nam proprietates intrinſecæ fluunt ab eſſentijs, & quiditatibus rerum, vt patet de riſibilitate hominis, quæ fluit ab animali rationali, quod eſt eius eſſentia, & ſic de cæteris animalibus, ac partibus ſubſtantialibus, ex quibus eſſentialiter integratur vniuerſum, ſed rerum eſſentiæ ſunt immutabiles, vt probatum eſt ſupra in Concluſione ſecunda, ergo & earum proprietates intrinſecæ. Secunda pars probatur, quia nulla adeſt repugnantia, nec ex parte Dei, qui eſt infinitæ potentiæ, ſapientiæ, ac bonitatis, ſecundum quas nouit, poteſt, & vult illas perficere: nec ex parte rerum, tùm quia dicitur Eſaiæ capit. 33. *Erit lux Luna ſicut lux Solis, & lux Solis ſicut lux ſeptem dierum*: tùm quia huiuſmodi proprietates extrinſecæ ſunt accidentia communia, quæ non ſuperaddunt niſi accidentariam perfectionem, quæ ſuſcipere poteſt maius, ac magis, & minus, vt probatum eſt Concluſione ſecunda ergo cùm nullã adſit repugnantia, ſequitur vniuerſũ, Deo volente, poſſe perfici quoad proprietates extrinſecas ſuarum partium integrantium.

Obijcitur primo contra primam Concluſionem, quia partes integrantes vniuerſum, de facto ſunt finitæ bonitatis, tàm intenſiuè, quàm extenſiuè, ſed omni finito poteſt Deus aliquid adderẽ, etiam ſecundum potentiam ordinariam, quæ ſemper eſt infinita, ergo ſpectata potentia ordinaria poterit Vniuerſum ſecundum partes integrantes, ſaltem accidentaliter meliorari, ac perfici.

Reſpondetur Minorem eſſe veram, niſi adſit repugnantia ex parte potentiæ ordinariæ, quæ cum teneatur conformare ſe legibus à Diuina Voluntate iam latis de tanta perfectione, & non maiori, quamuis bonitas rerum ſit finita, ei nihilominus fieri nequit additio, quia eius capacitas eſt, ſecundum legem ordinariam, limitata ad tantam perfectionem, tàm intenſiuè, quàm extenſiuè, & non ampliùs, ac proinde, licet potentia Dei ſit infinita, non operatur tamen infinito, ſed tantum finito modo.

Obijcitur ſecundo contra ſecundam Concluſionem quia materia, ſecundum ſe capax eſt formæ nobiliſſimæ, intra latitudinem tamen entis finiti, ſed Deus, de ſua potentia abſoluta, poteſt illam producere in materia, ergo poterit meliorarẽ illud compoſitum, quàm prius erat, ac proinde ponere in vniuerſo illam perfectionem eſſentialem maiorem, ac nobiliorem, quàm erat prius, igitur cùm idem poſſit dici de alijs compoſitis ſubſtantialibus, ſequitur vniuerſum poſſe, ſaltem abſolutè, à Deo perfici, ac meliorari eſſentiali perfectione, quàm prius erat.

Reſpondetur negando vltimam conſequentiam, quandoquidem argumentum ſolùm probat, quod Deus poſſit facerẽ aliud vniuerſum hoc perfectius, vt potẽ coaleſcens ex perfectioribus partibus eſſentialibus, quàm modò ſint, non tamen oſtendit, Deum poſſe hoc vniuerſum eſſentialiter perficere, meliorando ſpecies, quæ de facto in ipſo exiſtunt: Modo ſicut prius facilè admitti poteſt, poſterius tamen omninò negandum eſt.

Obijcitur tertio ſi Deus abſolute poſſet accidentaria perfectione hoc vniuerſũ meliorare, ſequeretur ipſum poſſe inuidentiæ inſimulari, quod initio illud tali perfectione non decorauerit, ſed hoc aſſerere foret hæreticum, ac Diuinæ bonitatis penitùs offenſiuum, ergo potiùs dicendum eſt, vniuerſum nullatenus perfici poſſe, nec de potentia abſoluta Dei. Sequelã maioris probatur ex argumento D. Auguſtini libro tertio contra Maximum capit. ſeptimo, & libro 83. qq. quæſtion. 50.

Digitized by Google

quo probabat Deum non potuiſse meliorem filium gignere; quia ſi voluit, & non potuit, infirmus eſt; ſi potuit, & noluit, inuidus, ergo à ſimili ſi Deus abſolute poterat, abſoluta ſua potentia perficere vniuerſum accidentaliter, quam quod fecit, nec tamen meliorauit, inuidiæ accuſandus eſt.

Reſpondetur negando ſequelam maioris. Ad probationem neganda eſt ſimilitudo, quia in gignitione Filij, cùm ſit agens neceſſarium, debuit ei dare totum, quod potuit, alioquin inuidiæ inſimulandus, ſi noluit, quia denegaſset ſibi, quod ex vi generationis infinitæ erat ei debitum. Cæterùm cùm erga creaturas Deus ſit agens liberum, & nulla neceſſitate adſtringatur ad communicandum eis totum, quod poteſt, propterea ſi non communicauit, attribuendum eſt libertati, non autem inuidentiæ vitio, aut bonitatis defectui, ſiquidem hæc regulanda fuit, ſecundum leges Diuinæ ſapientiæ, & ſecundum determinatam capacitatem vniuſcuiuſque creaturæ.

Obijcitur quarto contra tertiam Concluſionem quia additio nouarum ſpecierum ad illas, quæ de facto nunc exiſtunt in vniuerſo, non repugnat, ergo vniuerſum manens idem poterit materialiter perfici. Antecedens patet, quia aliud vniuerſum non repugnat, vt communiter conceditur, ergo nec nouæ ſpecies, aut partes integrales nouæ, ex quibus coaleſceret, atqui, data hypotheſi, tales poſsent ſuperaddi iſtis, quæ nunc exiſtunt in hoc vniuerſo, ergo &c.

Reſpondetur negando conſequentiam, quia ſi adderentur nouæ partes integrales iſtis, quæ nunc exiſtunt, deſtrueretur eſse huius totius, & aliud fieret vniuerſum, cuius iſtud cum ſuis partibus eſset pars integralis.

Obijcitur quinto contra quartam Concluſionem quia ordo vniuerſi eſt bonitatis finitæ, ergo ſapientia Dei, cùm ſit infinita, melius ſciuit ordinare, ſed quicquid ſciuit, potuit, & nunc poteſt, igitur vniuerſum perfici poteſt etiam quoad ordinem partium in toto.

Reſpondetur negando conſequentiam: Neque probatio vrget, quia quamuis ſapientia Dei ſit infinita, tamen res non ſunt capaces niſi ordinis finiti, & ipſa ſapientia ſumma, ſummum dat ordinem, quem habere poſſunt, modo ſummo nequit fieri additio.

Vel dicendum, quod melior ordinatio poſset quidem accidere in alio vniuerſo, ſicut meliùs, & perfectiùs iſto, poteſt per Dei ſapientiam condi, non tamen in Mundo, qui nunc exiſtit, cùm ordo rerum, ſicuti modo eſt, ſit eius ratio formalis conſtitutiua, quæ variari, & mutari non poteſt, neque per Dei potentiam abſolutam, cùm illa non ſe extendat ad ea, quæ inuoluunt contradictionem, ſicut accideret in propoſito, ſi mutaretur ordo vniuerſi, vt demonſtratum eſt in probatione concluſionis.

Obijcitur ſexto contra quintam Concluſionem, quia corruptibilitas, & incorruptibilitas ſunt proprietates intrinſecæ corporum naturalium, ſiquidem illa demonſtratur per conſtare ex materia, & forma phyſica de corporibus ſublunaribus, iſta verò de cœleſtibus per carentiam materiæ primæ ex Ariſtotele in hoc primo libro de Cœlo à t. 20. vſque ad 22. & incorruptibilitas eſt melior corruptibilitate, atqui Deus poſset reddere omnia corpora incorruptibilia, ergo vniuerſum, quoad proprietates intrinſecas ſuarum partium integrantium, poteſt iterum perfici, ac meliorari.

Reſpondetur negando conſequentiam, quia licet Deus poſset condere aliud vniuerſum ex partibus incorruptibilibus, non tamen poteſt dare incorruptibilitatem ab intrinſeco partibus integrantibus huius vniuerſi abſque earundem partium mutatione eſsentiali; quare minor eſt vera de incorruptibilitate ab extrinſeco proueniente, non tamen ab intrinſeco, quia hæc repugnat corporibus ſublunaribus, quæ habent in ſe principiũ corruptibilitatis, nempè materiam primam.

Obijcitur ſeptimo contra ſecundam partem eiuſdem concluſionis: Nàm agens ex tota ſua ſubſtantia facit rem optimo modo, quo fieri poteſt, niſi impediatur, ſed Deus eſt agens ex tota ſua potentia in omni ſua actione, & nequit impediri, ergo cum tribuerit proprietates extrinſecas partibus vniuerſi in primordio ſuæ conſtitutionis, dicendum eſt, illas optimo modo feciſse.

feciſſe, vt nullo pacto poſſint fieri meliores.

Reſpondetur maiorem eſſe veram de agente neceſſario & naturali, falſam de agente libero, quod poteſt moderari actiones ſuas ad beneplacitum ſuum: modò Deus ad extra eſt agens omninò liberum, vnde potuit dare tantam perfectionem ex triuſecam partibus vniuerſi, quæ ad illarum capacitatem ſufficeret, cum hoc tamen, vt illam potuerit tunc, & nunc poſſit illam augere, ſi ſibi libuerit, aut modò velit.

Vtrum Vniuerſum ſit factum ex nihilo, aut formatum ex aliquo præexiſtenti?

QVÆSTIO III.

Quamuis ex ſacris literis, ac ex nonnullis Theologis appareat, videaturuè vniuerſum, ſeù Mundum eſſe creatum ex nihilo, quorum fundamenta adducentur in fine, tamen cùm hactenus ſuppoſuerimus illud eſſe quoddam totum integratum ex varijs partibus, tùm ſubſtantialibus, tùm accidentalibus, concludere debemus, eſſe formatum à Deo ex aliquo præexiſtenti. Verùm quia eſſe formatum includit habere formam, in præſenti videndum eſt, quęnam ſit huiuſmodi forma, ſiquidem multi multa dicunt, quare.

Aliqui dixerunt huiuſmodi formam eſſe Deum, à quo habuit eſſe effectiuum, & formale ſimul.

Alij poſuerunt huiuſmodi formam fore animam per totum eius corpus diffuſam. Ita ex Philoſophis antiquioribus cenſuerunt Zoroaſter, Hermes, Orpheus, Pythagoras, Plato, & alij, quorum meminit Timplerus in ſua Phyſica Generali cap. 2. Probl. 12.

Alij ſtatuerunt Cœlum pro forma Mundi: Alij eius ſphæricam figuram, & alij artificioſam diſpoſitionem ſingularum illius partium, in vnum corpus, ſeù ſyſtema ordinatarum.

Quid autem, ſecundum veritatem, tùm Catholicam, tùm Philoſophicam nobis dicendum ſit, quibuſdam adnotatis, mox patefaciemus.

Primò ergo Notandum eſt, ſecundum veriorem opinionem, vniuerſum non præſeferre aliquod vnum per ſe diffinibile, vt nonnulli putarunt, ſed aggregatum quoddam per accidens, integratum ex varijs, ac diuerſis partibus, tùm ſubſtantialibus, tùm accidentalibus, non tantum corruptibilibus, verùm & incorruptibilibus, vt ſunt Orbes Cœleſtes, & eorum Intelligentiæ motrices, Elementa, ac ex eis mixta corpora, & vt vno verbo omnia complectar, omnia creata, ſiuè ſint ſimplicia, ſiuè compoſita; ex quibus euidenter infertur, Deum non pertinere ad conſtitutionem vniuerſi, neque tamquam partem, neque veluti formam eiuſdem, cùm iſta dicant imperfectionem, quæ omnino repugnat infinitæ perfectioni Dei. Secundò infertur vniuerſum non poſſe habere aliquam formam informantem, ſiquidem hæc cum materia prima, ſi fuerit ſubſtantialis, conſtituit vnum per ſe; ſi verò accidentalis conſtituit cum materia ſecunda vnum per accidens; cùm igitur vniuerſum non ſit vnum per ſe, nec vnum per accidens, ſed quoddam aggregatum ex diuerſis entibus, aut per ſe, aut per accidens, ſequitur carere forma informante, ſiuè ſubſtantiali, ſiuè accidentali. Tertiò infertur vniuerſum habere formam aſſiſtentem, qua regitur, & gubernatur, & eius partes in vnum ſyſtema apte ordinentur, ac diſponantur, nempe Deum ipſum, à quo omnia, quæ in eodem continentur, ſunt ordinata, ac rite diſpoſita, vt inquit Sapientia cap. 11. in numero, pondere, & menſura.

Secundò Notandum, vniuerſum poſſe dici creatum ex nihilo, vel immediatè, vel mediatè. Priori modo nequit dici ex nihilo creatum, vel conditum, immò ex aliquo præexiſtenti formatum, cùm coaleſcat ex omnibus corporibus, ſiuè ſimplicibus, ſiuè mixtis, ſiuè cœleſtibus, ſiuè ſublunaribus, vt alibi diximus: Poſteriori autem modo poteſt aliquo pacto appellari creatum, ſeù ex nihilo conditum, ſiquidem omnes partes, ex quibus conſtituitur, reſoluuntur finaliter in materiam primam, quæ habuit eſſe immediatè à Deo per creationem vt oſtendimus in libr. primo Phyſicorum diſp. 3. quæſt. 1. ex D. Auguſt. libr. 12. confeſs. capit. 32. & ſuper Geneſim cap. 7. & lib 8. Phyſic. diſp. 1. qu. 3.

Tertiò Notandum eſt ex Ariſtotele 2. de Anima capit. 6. & 12. Animam eſſe actum pri-

primum corporis phyſici, organici, potentia vitam habentis; & hæc diuiditur in Vegetatiuam, Senſitiuam, & Rationalem. Prima reperitur in Plantis, ſecunda in Animalibus, tertia in Hominibus formaliter; virtualiter verò vegetatiua reperitur in ſenſitiua, & vtraque in rationali. Vnaquæque ſupponit vnum corpus naturale, phyſicum, & organicum, cum quo conſtituit, & componit vnum corpus animatum. Ex his infertur, quod cum vniuerſum non ſit vnum corpus phyſicum, & organicum, ſed aggregatum quoddam duntaxat ex multis corporibus naturalibus, non poterit vna anima, quæcumque ſit illa, informari, & per conſequens nec eſſe vnum corpus animatum.

Ex his ſit prima Concluſio. Vniuerſum non eſt factum ex nihilo immediatè, ſed benè mediatè. Eſt communis. Probatur prima pars, quicquid coaleſcit ex aliquo præſuppoſito, non eſt factum ex nihilo immediatè, ſed vniuerſum eſt huiuſmodi, ergo non eſt factum immediatè ex nihilo. Maior patet; quia fieri ex nihilo importat negationem alicuius præexiſtentis, veluti principij materialis, ex quo aliquid fieri poſſit, ergo quicquid ſit ex aliquo præſuppoſito non ſit immediatè ex nihilo. Minor clareſcit ex duabus quæſtionibus præcedentibus, in quibus præſuppoſitum fuit vniuerſum conſtare ex omnibus corporibus naturalibus, tàm cœleſtibus, quàm ſublunaribus, veluti ex partibus ipſum integrantibus, ergo vniuerſum coaleſcit immediatè ex aliquo præſuppoſito. Secunda pars probatur, quia vniuerſum conſtat ex materia prima, mediantibus corporibus naturalibus, quæ ex ipſa cum ſuis formis reſultant, ſed materia prima eſt producta ex nihilo ſui, ergo & vniuerſum, hoc pacto, dicitur eſſe factum ex nihilo. Minor fuit aliàs probata à nobis in 8. Phyſic. diſp. 1. quæſt. 3. ex Concilio Lateranenſi, relato in cap. Firmiter, de Summa Trinitate, & Fide Catholica. Et ex D. Auguſtino ſuper Gen. capit. 7. vbi inquit: Duo feciſti Domine, vnum propè te ſcilicet Angelum, & aliud propè nihil, hoc eſt, materiam primam, ergo materia prima eſt producta ex nihilo immediatè à Deo, & quæ dependent ab ipſa dicuntur fieri ex nihilo mediatè.

Secunda Concluſio. Vniuerſum, quamuis non ſit vnum totum per ſe, ſed ſolum quoddam aggregatum per accidens, habet nihilominus ſuam formam, quæ tamen non eſt Deus, nec Cœlum, aut ſphærica figura, vt nonnulli putarunt, ſed eſt ordo, ſiuè diſpoſitio illius ſingularum partium adinuicem, & in toto vniuerſo. Probatur prima pars, quia omne materiatum habet formam, ſiquidem forma nequit ſaltem naturaliter ſeiungi à materia, vt aliàs demonſtrauimus, ſed vniuerſum eſt materiatum, cùm coaleſcat ex partibus materialibus, ergo neceſſe eſt ipſum habere aliquam formam. Secunda pars probatur, quia forma partis dicit imperfectionem in eo, cuius eſt forma, quia dependentiam à ſua materia, & à toto, ſed Deus, cum ſit infinitus, nullam admittit imperfectionem in toto vniuerſo, ergo &c. Tertia pars probatur, nam Cœlum eſt vna pars integralis, & materialis vniuerſi, vt patet ex dictis, ergo nequit eſſe eius forma. Quarta pars probatur, quia forma dat eſſe formale rei, cuius eſt forma, ſed figura ſphærica præſupponit vniuerſum prius eſſe formatum, cum ſit relatio, ipſum conſequens, ergo figura ſphærica nequit eſſe vniuerſi forma. Quinta pars probatur ex diffinitione vniuerſi, quam tradit Ariſtoteles lib. de Mundo ad Alexandrum, nempè; quod ſit compages è Cœlo, terraque, atque ex iis naturis, quæ inter eas continentur, coagmentata; ſiue ordo, & digeſtio vniuerſorum, quæ à Deo, & per Deum aſſeruatur, ergo forma vniuerſi eſt ordo, ſeu diſpoſitio ſingularium illius partium adinuicem, & in toto ſyſtemate ordinata, atque diſtincta compactio.

Tertia Concluſio. Vniuerſum ſic ordinatum, apteque diſpoſitum non eſt animatum, vt dicebant Antiqui, ſed inanime quoddam totum integrale. Probatur quia omne corpus animatum debet eſſe corpus naturale phyſicum, organicum, potentia vitam habens ex Ariſtotele ſecundo de Anima t. 6. ſed vniuerſum non eſt huiuſmodi, ergo &c. Minor patet ex dictis in præcedenti, ſiquidem diffinitur eſſe quoddam totum, ex varijs corporibus naturalibus, ſiuè animatis, ſiuè inanimatis, artificioſe compactum, ergo &c. Confirmatur ex Ariſtotele hic t. 4. vbi diſcribens vniuerſum inquit.

inquit: *Ipſum autem omne, cuius hæ partes ſunt, perfectum neceſſe eſt eſſe, & quemadmodum nomen ipſum ſignificat omniquaque, & non hac quidem, hac autem non*, ergo ſecundum Ariſtorelem vniuerſum non eſt aliquod corpus phyſicum, organicum, anima actuabile, ac proinde vniuerſum non eſt animatum. Præterea, ſi foret corpus animatum, aut eſſet animatum vegetatiua, aut ſenſitiua, aut rationali à ſufficienri diuiſione, ſed nulla iſtarum eſt animatum, quia nec augetur, nec nutritur, nec generatur, aut generat, nec, ſentir, ſenſibus, viſus, auditus, olfactus, guſtus, aut ractus, nec inrelligir, aur vult, vt experienria comprobari poteſt, ergo nulla harum trium animarum præditum dici poteſt, ac proindè inanimè fatendum eſt penitus eſſe.

Obijcitur primo contra primam Concluſionem. Quicquid à Deo eſt creatum, id ex nihilo factum eſt, ſed vniuerſum à Deo eſt creatum, ergo ex nihilo factum eſt. Maior parer ex diffinitione crearionis, quam expendimus in libro 8. Phyſicorum diſput. 1. quæſt. 1. Minor probatur ex illo 2. Machabæorum capir. 2. *Peto nate, vt aſpicias ad Cœlum, & Terram, & ad omnia, quæ in eis ſunt, & intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus.* Item Gen. capit. 1. *In principio creauit Cœlum, & Terram*, & alibi pluries, ergo vniuerſum eſt à Deo creatum.

Reſpondetur Maiorem eſſe veram de crearione immediata, falſam de mediata; Modò vniuerſum dicitur creatum mediate, quatenus eius partes conſtant ex materia prima, quæ eſt immediate creáta à Deo; ſicque intelligitur id eſſe factum ex nihilo, ideſt ex materia prima, quæ habuit eſſe ex nihilo.

Obijcitur ſecundo contra ſecundam Concluſionem, quod Deus ſit vniuerſi forma, quia vniuerſum habuir eſſe formaliter à Deo, ergo Deus eſt eius forma. Conſequentia patet, quia forma eſt, quæ dat eſſe rei, & conſeruat rem in eſſe, vt patet ex eius diffinitione. Antecedens patet, quia Deus ordinauit, ac diſpoſuit omnia, quæ ſunt in vniuerſo, aprando illa ſuis locis, ac poſitionibus, vt ſuperius ſæpius dictũ fuit, & patet ex ſecunda diffinitione Mundi, tradita ab Ariſtotele lib. de Mundo ad Alexandrum cap. 2. nimirum, quod ſit ordo, & digeſtio vniuerſorum, quæ à Deo, & per Deũ aſſeruatur, ergo vniuerſum habuit eſſe formaliter à Deo, & per Deum.

Reſpondetur Antecedens, & eius probationem habere veritatem de Deo, per modum cauſæ efficientis, non autem formalis, ſiquidem eſſe formam partis dicit imperfectionem, quæ Deo omninò repugnat.

Obijcitur tertio cõtra quartam, & quintam partem eiuſdem concluſionis, quia genus mundi nequit eſſe forma eius; ſed diſpoſitio, & coagmentatio artificioſa ſingularum Mundi partium eſt genus ipſius, vt patet ex diffinitione ſuperius tradita.

Reſpondetur negando antecedens, ſiquidem diffinitio, quæ eſt cauſa formalis totalis rei diffinitæ coaleſcit ex genere, & differentia.

Vel dicendum ſecundo coagmentationem, & diſpoſitionem ſingularum partium in vniuerſo non eſſe genus vniuerſi, ſed aggregatum illud materiale earundem partium gerere vicem generis, diſpoſitionem verò ſingularum partium ad inuicem ſubire rationem differentiæ: per ipſam enim differt totum, quod eſt vniuerſum, à toto, quod eſt acernus rerum abſque vlla diſpoſitione, vel ordine.

Obijcitur quarto nam accidens nequit eſſe forma corporis ſubſtantialis, ſed vniuerſum eſt corpus ſubſtantiale, vt colligitur ex Ariſtotele hic tra. 4. eſt enim aggregatum ex partibus ſubſtantialibus, nempe ex Cœlis, & Elementis, quæ ſunt ſubſtanriæ, ſicut & corpora mixta ex illis. Ergo eius forma nequit eſſe diſpoſitio, & coagmentatio, quæ ſunt relationes.

Reſpondetur Minorem eſse veram materialiter, ſumpto vniuerſo pro ſuis partibus, ex quibus componitur, non tamen formaliter, quia ſic tantum imporrat vnionem accidentalem illarum partium, cuius forma eſt illa diſpoſitio, ſeù digeſtio rerum vnitarum in ſeinuicem, & in toto vniuerſo.

Obijcitur quinto contra tertiam concluſionem, quia vniuerſum eſt omnium corporum perfectiſſimum ex Ariſtotel. hic r. 4. ergo eſt animatum, cõſequentia tenet, quia corpus animatum eſt perfectius inanimi,

ergo

Digitized by Google

ergo ſi vniuerſum eſt omnium corporum perfectiſſimum, ſequitur illud eſſe animatum. Tùm ſecundo cuius corporis præcipua pars eſt animata, illud debet eſſe animatum, ſed Cœli, & Aſtra, quæ ſunt vniuerſi præcipuæ partes, ſunt animata, vt tenent ex Theologis Origenes, D. Hieronymus, D. Auguſtinus, & alij, vt ſuo loco dicturi ſumus, ergo &c.

Reſpondetur antecedens eſſe verum de corporibus artificialibus, falſum de naturalibus; neque inde ſequitur illud fore animatum, cùm nullum corpus artificiatum ſit capax animæ. Ad ſecundum neganda eſt abſolute minor, ſiquidem Cœlum, & Aſtra ſunt expertia cuiuſcumque animæ, vt probabimus in ſequenti Diſputatione, & ſatisfaciemus auctoritatibus Theologorum Antiquorum.

Dices animalia tàm rationalia, quàm irrationalia ſunt partes vniuerſi, ergo cum illa ſint animata, indicant etiam totum vniuerſum fore animatum; nàm cuius pars eſt animata, & totum debet eſſe animatum.

Reſpondetur negando conſequentiam; ad probationem dico, illud axioma eſſe verum de parte, & toto naturali, non autem de artificiali, cuiuſmodi eſt vniuerſum.

Vel dicendum illam propoſitionem eſſe veram de toto, & parte per ſe, non verò de illis peraccidens, vt ſunt vniuerſum, & eius partes, quæcumque ſint illæ, ſiuè vita præditæ, ſiuè expertes animæ. Et hæc de vniuerſo pro nunc dicta ſufficiant, plura his, & alijs, quæ de incæptione, & deſitione diſputauimus in lib. 8. Phyſicorum diſp. 1. q. 1. & 2. ſuffecturi.

De Corpore circulari ſimplici, ac de eius Motu, & Affectionibus, ſibi in communi conuenientibus.

DISPVTATIO II.

HActenus egimus de vniuerſo, ac eius partibus ſic in communi, nunc de illis agendum nobis eſt deſcendendo ad particulares naturas. Verùm quoniam inter præcipuas præſtantiorem locum obtinet corpus ſingulare ſimplex, quod circulariter mouetur, appellatum Cœlum, ideo primùm diſputare debemus, poſt habitis tamen nonnullis quæſtionibus, quas, occaſione textus Ariſtotelis pertractauimus, & ſoluimus in 1. Phyſicorum diſp. 3. q. 10. & 11. in 2. diſp. 1. q. 3. & lib. 1. Meteorologicorum diſput. 1. q. 3 ſect. 1. & 2. concernentes eius naturam ſubſtantialem, & motum circularem. Primò igitur videndum eſt: An Cœlum ſit corpus naturale ſimplex, aut compoſitum ex materia, vel mixtum ex elementis. Secundò. An ſit corpus animatum, vel inanimatum. Tertiò. An ſit graue, vel leue. Quartò. An ſit fluidum, vel ſolidum. Quintò. An Motus circularis ſit ſimplex, & an habeat contrarium.

Vtrum Cœlum ſit corpus naturale ſimplex, aut compoſitum ex materia & forma, vel mixtum ex Elementis?

QVÆSTIO I.

COElum eſſe corpus naturale ſimplex eſt concors Peripareticorum ſententia, cum hoc manifeſte probet Ariſtoteles à t. 1. 5. & 7. vſque ad t. 20. verùm quonàm pacto id intelligatur non conueniunt Doctores.

Nàm aliqui dicunt dici corpus naturale, quia conſtat ex materia, & forma, quæ ſunt naturæ, vt probatum eſt 2. Phyſicor. t. 10. & 12.

Alij verò cenſent expers eſſe materiæ, & formæ, appellatique naturale à ſubſtantia corporea mobili, quæ dicitur natura, cum ſit principium motus circularis naturalis.

Verùm quia vtranque ſententiam tutati ſumus etiam de mente Ariſtotelis in primo Phyſicorum diſp. 3. q. 10. ab eadem etiam nunc recedere non debemus.

Circa 2. p. pariter diſſident, ſiquidem Antiqui fecerunt Cœlum mixtum ex omnibus Elementis, vel ex aliquibus: nam Heraclitus, & Pythagoras docuerunt Cœlum eſſe naturæ ignis; Empedocles fecit illud compoſitum ex aere, & igne, ſolidumque veluti chryſtallum. Thales, & Anaximenes aſſeruerunt eſſe terreſtre, ex terraque compactum. Plato in Timeo, & Alcinous de doctrina Platonis cap. 12. exiſtimauit illud eſſe factum ex præſtantioribus vniuſcuiuſque Elementi partibus, veluti

Digitized by Google

luti quoddam ſertum ex floribus, aut florum delicijs. Et licet nonnulli dubitent hęc eſſe dicta de mente Platonis, tamen hæſitationem tollunt eius præcipui Sectatores, nempè Plotinus libr. de Mundo, Porphyrius, & Proclus: D. Baſilius, D. Ambroſius, D. Auguſtinus, & Theodoretus, quorum meminit Colleg. Conimbric. lib. 1. de Cœlo cap. 2. q. 5. art. 1. cum omnes teſtentur ſubſtantiam Cœlorum, de mente Platonis, eſſe ex Elementis mixtam.

Porrò Ariſtoteles, & eius ſectatores, tùm Antiqui, tùm Moderni, ex oppoſitò aſtruunt ſimplicitatem Cœli, vt potè omninò ab Elementis immunem, quippe aſſeuerant eſſe cęlum quintum corpus ſimplex ab vnoquoque Elementorum penitus diſcretum, ac ſeiunctum.

Quid autem dicendum ſit nobis, ſecundum intentionem Doctoris Subtilis, pro reſolutione vtriuſque difficultatis, facilis eſt reſponſio ex iam dictis, ac probatis in primo Phyſicorum diſp. 3. q. 10. & 11. & libr. 1. Meteorologicorum diſp. 1. q. 3. ſect. 1. ac 2. quippe in priori loco concluſimus Cœlum eſſe compoſitum ex materia, & forma phyſica, ne dùm ſecundum Theologos, vt aſſerit Scotus in 2. d. 14. q. 1. verùm etiam ſecundum Ariſtotelem; & in poſteriori probauimus eſſe quintum corpus ſimplex diſtinctum ab vnoquoque Elementorum. Verùm quoniam huiuſmodi reſolutiones adinnicem pugnare videntur, nedum intentioni Ariſtotelis, ſed etiam menti Doctoris Subtilis penitus refragantes, propterea noſtrum erit oſtendere earum conuenientiam, & quonam pacto ſubſiſtere poſſit, quod Cœlum ſit corpus naturale ſimplex, ac etiam compoſitum ex materia, & forma, ac proindè ingenerabile, & incorruptibile, quamuis habeat materiam.

Primò igitur Notandum eſt, nomine Cœli, vt etiam aliàs innuimus, intelligi illas ſubſtantias corporeas extenſas, aſtriſque ornatas, quæ communi nomine Cœli nuncupantur, vel quia ſuperna nobis abſcondita obuellare videntur, aut quoniam in ſeipſis inſculptam continent ingentem ſyderum multitudinem, quandoquidem vt nonnullis placet, Cœlum dicitur à cælando, quod abſcondere ſignificat; vel à cælando, quod ſculpere manifeſtat: at quouis modo trahat Cœlum ſuam ethimologiam non eſt tanti faciendum, quanti curandum nobis eſt, vt rectè manifeſtetur eius natura per diffinitionē quid rei: Quare placet illa, quam tradit Timplerus in ſua Apsychologia libr. 1. de Cœlo capit. 2. his verbis. Cœlum naturale eſt corpus æthereum, ſupra Elementorum regionem vndequaque à Deo ſubtiliſſimè expanſum, vt ſuo ambitu alias creaturas complectatur. In qua diffinitione ponitur corpus naturale tanquam genus, cum ſit commune ad omnia corpora naturalia. Ponitur æthereum ad differentiam Elementorum, quæ ſunt corpora ſublunaria. Additur ſupra Elementorum regionem &c. ad denotandum, quod Cœlum ſpectat ad partem ſuperiorem vniuerſi, ſicut Elementa ad inferiorem. Subditur à Deo ſubtiliſſime expanſum, ad innuendum Cœlum non eſſe ab æterno, vt malè ſenſit Ariſtoteles, ſed à Deo in tempore factum. Adiungitur tandem, vt ſuo ambitu alias creaturas complectatur, vt indicet finem ad quem illud condidit omnium Creator Deus. Ex quibus infertur, quod cùm huiuſmodi diffinitio ſit data per genus, & differentiam, conueniatque ſoli, & omni Cęlo, illam eſſe bonam, ac conuenienter aſſignatam.

Secundò Notandum, vt colligitur ex Scoto in 1. d. 8. q. 2. ſimplex eſſe quoddam æquiuocum, quod multipliciter dicitur. Nàm primò dicitur ſummè ſimplex, & eſt id, quod nullo pacto eſt compoſitum, aut componibile, & ſic ſolus Deus dicitur ſimplex, cum ſit puriſſimus actus, expers cuiuſcumque potentiæ, omnis autem creatura per oppoſitum eſt compoſita, vel componibilis, aut ex his, aut cum his. Compoſita autem ex his dicuntur, quæ ex partibus, ſiuè ſubſtantialibus, ſiuè accidentalibus componuntur. Compoſita verò cum his ſunt, quæ cum alijs efficiunt compoſitionem, vt ipſæ partes, quæ cum alijs ſunt compoſſibiles. Secundò dicitur ſimpliciter ſimplex, quod videlicet non eſt reſolubile in plures conceptus, vt ſunt vltimæ rerum differentiæ. Tertiò dicitur ſimplex metaphyſicè, & eſt id, quod non conſtat ex genere, & differentia, cuiuſmodi ſunt genera generaliſſima, & differentiæ. Quartò dicitur ſimplex accidentale, quod non eſt compoſitum ex ſubſtantiæ, & accidente, &

te, & per oppoſitum, quod ſic eſt compoſitum, appellatur compoſitum per accidens. Quintò vocatur ſimplex quantitatiuum, quod videlicet caret partibus integrantibus, & quantitatiuis, ſeù ad quantitatem ſpectantibus, & ſic res ſpirituales, & indiuiſibiles, vt anima, punctus, & vnitates dicuntur ſimplices. Econtra, compoſitum, quod partibus quantitatiuis, vel ad quantitatem attinentibus conſtat, dicitur totum integrale, vt corpus humanum, quod varijs partibus, & numerus pluribus vnitatibus coaleſcunt. Sextò dicitur ſimplex, quod ex Elementis non eſt conflatum, & hoc pacto ignis, aer, aqua, & terra dicuntur Elementa ſimplicia, quia non fiunt ex alijs elementis, nec formaliter, nec virtualiter. Viceuerſa Mixta omnia, quæ ex omnibus, vel aliquibus Elementis compacta ſunt, appellantur hoc pacto compoſita. Septimò vocatur ſimplex phyſicè, quod caret materia, & forma phyſica, & ſic ipſa materia, forma, & priuatio dicuntur ſimplices phyſicè, quia non fiunt ex alijs, nec ex alterutris. Et per oppoſitum homo, quia conſtat anima, & corpore, vt materia, & forma, dicitur compoſitus phyſicè. Ex his colligitur Cœlum non eſſe ſimplex primò modo, cum ſit aliquid creatum, & conſequenter componibile ſaltem cum ſuis perfectionibus. Nec ſecundò modo, quia eſt reſolubile inplures conceptus, nempe ſubſtantiæ corporis, & entis creati. Nec tertiò modo, quia conſtat genere, & differentia, vt dictum eſt in præcedenti notabili. Nec quartò modo, quia Cœlum eſt ſubſtantia corporea cum quantitate, & quibuſdam qualitatibus ideſt lumine, virtute, & influxu. Nec quintò modo, cum habeat partes integrantes, & extenſas. Verùm ſextò modo eſt ſimplex, ſiquidem nec eſt Elementorum aliquid, nec ex Elementis conflatum, ſed quintum corpus ſimplex ab eis diſtinctum. An autem ſit ſimplex, vel compoſitum phyſicè controuertitur, & vtrumque dici poteſt, etiam ſecundum Ariſtotelem.

Tertiò Notandum ex eodem Scoto ibidem, corpus naturale conſtans ex materia, & forma phyſica eſſe generabile, & corruptibile, poſſe dupliciter intelligi, vno modo remotè, alio modo propinquè. Illud corpus naturale eſt generabile, & corruptibile remote, quod habet quidem materiam, quæ eſt principium generationis, & corruptionis paſſiuum cum priuatione ad contrarium oppoſitum formæ, quam habet, ſed caret agente naturali, potente corrumpere illam formam, quam poſſidet, & aliam inducere. Illud verò corpus naturale eſt generabile, & corruptibile propinque, quod non tantum habet materiam cum priuatione ad formam oppoſitam ei, quam habet, ſed etiam ſubditur alicui agenti naturali potenti illam vincere, & oppoſitam inducere, vt quotidie accidit in tranſmutationibus ſubſtantialibus: Modò ad propoſitum, ſi admittatur materia, & eiuſdem rationis cum materia ſublunarium in Cœlo, etiam ſecundum Philoſophum, vt probatum eſt à nobis in Phyſicis loco citato, dicendum eſt, illud quidem eſſe generabile, & corruptibile remote, cùm habeat materiam, quæ eſt principium paſſiuum generationis, & corruptionis, & in potentia contradictionis ad non eſſe illius formæ, quam poſſidet, eſſe tamen ingenerabile, & incorruptibile, & per conſequens inalterabile, & inaugmentabile, aut indiminuibile propinque, cum nullum dari poſſit agens creatum, quod poſſit vincere eius formam, & tranſmutare eius materiam ad oppoſitam contrariam. Et hoc ſufficit Philoſopho ad ſaluanda omnia prædicata, quæ videntur repugnare Cœlo, ponendo in illo materiam eiuſdem rationis cum materia horum corporum ſublunarium.

Quartò Notandum eſt, Cœlum dici corpus ſimplex de mente Philoſophi, poſſe dupliciter intelligi; vno modo, vt ſimplicitas opponitur compoſitioni ex materia, & forma, & ſic non eſt ſimplex, vt aliàs oſtendimus: alio modo vt opponitur mixtioni, ſeù compoſitioni ex quatuor Elementis, & ſic dicendum eſt, Cœlum eſſe quintum corpus ſimplex ab Elementis diſtinctum, vt probauimus in Meteorologicis loco ſæpiùs citato; quippè Elementa ſubduntur generationi, & corruptioni, ac cæteris tranſmutationibus, non item Cœlum, vt experientia tot ſæculorum hactenus comprobatum eſt, ſiquidem nunquam fuit corruptum, & aliud genitum, nunquam fuit auctum, aut diminutum, & nunquam alterationibus ſubiectum, alioquin

fuiſ-

Digitized by Google

fuiſſet aliquando genitum, & corruptum; alterario enim ordinatur ad generationem, vel corruptionem.

Ex his ſit prima Concluſio. Cœlum ſecundum Ariſtotelem, & veritatem ipſam, non eſt corpus naturale ſimplex, vt ſimplicitas opponitur compoſitioni, ſed ſolùm vt opponitur mixtioni. Probatur prima pars, quia ſecundum Ariſtotelem omne corpus naturale componitur ex materia, & forma, ex eodem 2. Phyſicorum cap. 2. ſed Cęlum eſt corpus naturale ex 1. de Cœlo cap. 1. ergo. Confirmatur quia omne corpus ſenſibile conſtat ex materia, & forma ex libr. 8. Metaph. cap. 2. & t. 3. vbi inquit: *Senſibiles verò cunctæ ſubſtantiæ materiam habent*, ſed Cœlum eſt corpus ſenſibile ex 1. de Cęlo cap. 1. 2. & 3. ac t. 94. & 95. ergo Cęlum conſtat ex materia, & forma. Aliæ auctoritates Ariſtotelis, quæ idem probant, videri poſſunt in 1. Phyſic. diſp. 3. q. 10. concl. 3. Probatur ſecunda pars, tùm quia ſi Cęlum eſſet mixtum ex Elementis, haberet in ſe principium intrinſecum motus, quo mouentur Elementa, hoc eſt, à medio, & ad medium, ſed hoc non eſt dicendum, quia Cœlum mouetur circa medium, vt dicit Ariſtoteles in hoc 1. de Cœlo t. 6. & 7. ergo Cœlum non eſt mixtum ex Elementis, ſed ſimplex. Sequela maioris patet, quia in tantum mixtum mouetur, vel à medio, vel ad medium, in quantum in ipſo prædominatur aliquod Elementum, quod mouetur, vel à medio, vel ad medium ex Ariſtotele loco nuper citato à t. 7. vſque ad 10. & in 4. de Cœlo t. 2. ergo ſi Cœlum eſſet mixtum ex Elementis, haberet in ſe principium intrinſecum motus Elementi prædominantis. Minor probatur, quia tunc non poſſet moueri circulariter ſecundum naturam, ſed præter naturam, aut violenter, aut neutraliter, quod eſt contra eundem Philoſophum loco citato, ſiquidem eſſet determinatum ad motum rectum, ac proinde eſſet violenter, vel ſaltim neutraliter ſub motu circulari. Tum ſecundo quia Cęlum eſſet corruptibile in potentia propinqua, ſicut Elementa; quandoquidem haberet in ſe qualitates Elementorum inter ſe contrarias, ex quarum actione, & paſſione ſequitur tandem mixti diſſolutio, & corruptio, quod repugnat Doctrinæ Ariſtotelis in hoc primo libro à t. 20. & ſequentibus, in quibus demonſtrat perpetuitatem Cęli, ergo dicendum eſt Cęlum non eſſe mixtum ex Elementis, ſed ſimplex ſimplicitate oppoſita mixtioni.

Secunda Concluſio. Cęlum non eſt vllum ex Elementis. Eſt Ariſtotelis contra Antiquos relatos in prima ſententia. Probatur inductiuè, ſiquidem non eſt terra, cùm nullam ſimilitudinem habeat cum ipſa: Cęlum namque eſt corpus lucidum, diaphanum, & ſubtile, vt notum eſt experientia, terra verò tenebroſa, opaca, & craſſa: neque ignis, quia tunc conflagraret, nedum cætera Elementa, verum etiam omnia mixta, cùm ſuo ambitu omnia complectatur, & hactenus omnia eſſent conſumpta, cùm ignis ſit maximæ actiuitatis, quæ tamen repugnant experientiæ. Neque aqua, quia iſta humectat, & frigefacit, Cęlum verò calefacit, & exſiccat. Neque aer, quia Cęlum interdum frigefacit, quod eſt alienum ab aere, ergo Cęlum non eſt vllum Elementorum. Hanc concluſionem ex profeſſo probauimus in Meteoris lib. 1. diſp. 1. q. 3. & ſect. 2. idcircò ſimplicem ſuaſionem adiecimus, nè fiat inutilis repetitio rationum, quas eò loci inculcauimus.

Tertia Concluſio. Compoſitio Cęli ex materia, & forma phyſica, non tollit ab eo ſimplicitatem, quam in ipſo prætendit Ariſtoteles. Colligitur ex hucuſque probatis, quæ nihilominus adhuc clariùs, & efficacius ſuadetur; nàm in tantum Ariſtoteles exegit ſimplicitatem ſubſtantiæ corporeæ in Cęlo, inquantum docuit ipſum eſſe æternum, ſempiternum, incorruptibile, inalterabile, inaugmentabile, & indiminuibile, quæ nequeunt conuenire, niſi corpori omninò ſimplici, & materiæ experti, vt fuſiùs probauit hic à t. 20. vſque ad finem libri, ſed omnia hæc conſiſtere poſſunt in corpore Cęleſti, etiamſi ponatur compoſitum ex materia, & forma phyſica, ergo &c. Minor probatur, tùm quia Ariſtoteles 2. de Gener. & Corrup. t. 52. inquit: *Principia ſunt numero æqualia, quæ in æternis, & corruptibilibus, & genere eadem*. Sed corruptibilia conſtat ex materia, & forma, ergo & ſempiterna, & æterna: cum hac tamen differentia, vt in corruptibilibus materia ſit cauſa, qua res poſſit eſſe,

& non eſſe, in æternis vero, ac ſempiternis minime, quapropter ſubdit ibidem. *Vt igitur materia generabilibus cauſa eſt, quod poſsibile ſit, & non ſit: Horum autem hac quidem impoſsibile eſt non eſſe, quia non cõtingit circa neceſſarium aliter ſe habere*: tũ etiam quia ibid. t. 37. docet, quod ea, quæ comparantur ſecundum molem, & demẽſiones habent communem materiam, Cęli autem comparãtur cum ſublunaribus,quia dicimus ſolem eſſe maiorem terra, lunam minorem; tùm denique, quia 12. Metaph. t. 10. inquit: *Cuncta verò quæcumque mutantur, materiam habent, ſed diuerſam, nã & ipſorum ſempiternorum, quęcumque non ſunt generabilia, ſed latione mobilia, attamen non generabilem, ſed vndè quò*. Ergo, licet Cœlum ſit æternum, ſempiternum, vt docet 8. Phyſicorum t. 53. & 12. Metaphy. t. 10. ſimiliter ingenerabile, & incorruptibile, vt dicit, & probat in t. 20. & ſequentibus, nil prohibet de mente Ariſtotelis, illud eſſe compoſitum ex materia, & forma phyſica. Secundò probatur concluſio, quia ſimplicitas, quam prætendit Ariſtoteles, eſt, quæ opponitur mixtioni, ſed iſta ſtat cum compoſitione ex materia, & forma phyſica, vt patet in Elementis, quæ ſunt compoſita ex materia, & forma phyſica, vt pluribus in locis oſtendit idem Ariſtoteles, & præſertim lib. 2. de Gener. & Corrupt. à t. 46. vſque ad t. 48. & nihilominus ſunt ſimplicia, vt ſimplicitas opponitur mixtioni, alioquin non eſſent prima principia mixtorum, ſed fierent ex alijs, quod eis repugnat ratione primitatis, vt docet Philoſophus in 1. Phyſicorum t. 42. ergo ſimplicitas, quam exigit Ariſtoteles in Cœlo non tollitur per compoſitionem eius ex materia, & forma phyſica. Maior, in qua eſt tota vis, probatur, quia ſimplicitas, quam exigit in Cœlo, eſt, quæ excludit corruptionem eius, redditque illud perpetuum, & ſempiternum, (huc enim collimant omnes rationes eius, quas congerit à t. 20. vſque ad 23.) atqui ſimplicitas, quæ opponitur mixtioni, præciſa quauis alia ſimplicitate, excludit corruptionem compoſiti, ergo de hac loquitur, & hanc ſolam exigit Ariſtoteles in Cęlo. Minor probatur, quia corruptio mixtorum ſufficienter habetur per abſentiam, vel præſentiam contrariorum, nullo habito reſpectu ad materiam, ex qua conſtant, vt docet in 1. Phyſicorum t. 68. his verbis: *Sufficiens enim erit alterum contrariorum abſentia, & præſentia facere mutationem*. Ergo ſimplicitas, quæ opponitur mixtioni, vt pote quæ excludit præſentiam, & abſentiam contrariorum, ſufficiens erit excludere corruptionem compoſiti, ac proinde rectè conſiſtere poteſt, quod Cęlum ſit corpus naturale ſimplex, & etiam compoſitum ex materia, & forma phyſica de mente Ariſtotelis. Tertiò probatur, quia ideò Ariſtoteles concludit Cęlum eſſe corpus ſimplex, quia mouetur vnicò ſimplici motu, inquit enim in t. 8. huius 1. libr. de Cęlo: *Simplicis corporis ſimplex eſt motus, & ſimplex motus ſimplicis corporis*, ſed ſimplex motus non excludit compoſitionem ex materia, & forma in eo, quod mouetur ſimplici motu, vt patet in vnoquoque Elementorum, quod mouetur motu ſimplici, & tamen eſt compoſitum ex materia, & forma, ergo etiam Cęlum de mente Ariſtotelis poteſt eſſe corpus ſimplex, & ſimul compoſitum ex materia, & forma.

Obijcitur primò contra primam partem primæ Concluſionis ex Rubeo in ſuo curſu Philoſophico 2. p. diſp. 1. q. 2. concluſione prima. Illud, quod conſtat ex materia, & forma, non eſt ſimpliciter neceſſarium, & perpetuum, ſed Cęlum ſecundum Ariſtotelem 1. Cęli tra. 20. & 21. ac 2. Metaphy. com. 4. & 5. Metaphy. com. 6. eſt ſimpliciter neceſſarium, & æternum, ergo ſecundum ipſum Ariſtotelem non conſtat ex materia, & forma. Maior probatur quia materia de ſe, & ab intrinſeco ſui, vbi reperitur, ſemper remanet in potentia contradictionis, vel ad alienam formam à forma quam habet, vel ſaltim ad priuationem eiuſdemmet formæ, quam retinet, cùm materia ſibi ab intrinſeco nullam formam determinet, ergo id, quod conſtat ex materia, & forma, non eſt ſimpliciter neceſſarium, & perpetuum, ac proindè ſi Cęlum conſtaret ex materia, & forma, non eſſet ſimpliciter neceſſarium, & perpetuum, vt docet Ariſtoteles.

Reſpondetur Maiorem eſſe veram de neceſſario, & perpetuo ſimpliciter, & à ſe, cuiuſmodi eſt ſolus Deus, ſiquidem tale neceſſarium, cum ſit puriſſimus actus, excludit

cludit quamcumque potentialitatem, & ſic etiam materiæ; falſam verò de neceſſario, & perpetuo ſecundum quid, & ab alio, quia huiuſmodi, cum in ſui eſſentia admittat dependentiam ab alio, poterit dependere in eſſe etiam à materia, & forma, ſi ſibi aliundè non repugnet; & ſic negatur minor, quod Cęlum ſecundum Ariſtotelem ſit ens ſimpliciter neceſſarium, & æternum, ſeù perpetuum; quinimò diſertè fatetur in hoc 1. libr. de Cęlo t. 32. ipſum in eſſe dependere ab alio, nempe à Deo, vt rectè obſeruarunt D. Thomas ſuper eodem textu, & 8. Phyſicorum ad t. 4. Scotus in 2. d. 1. q. 3. Conimbricenſes, Roccus, & alij ad illum t. 32. quare ſi à t. 20. vſque ad 22. ac alibi probat Cęlum eſſe æternum, ſempiternum, & neceſſarium, exponendus eſt de neceſſario, & æterno dependenti ab alio, non verò ſimpliciter, vt non benè ſupponit Rubeus, qui etiam malè citauit Ariſtotelem ad id comprobãdum in 2. Metaphy. com. 4. & 5. Metaphy. com. 6. cùm in neutro, nec minimum quidem loquatur de Cęlo, ſiue de illius neceſſitate, ac perpetuitate, vt inſpicienti manifeſtum erit.

Obijcitur ſecundo ex Rocco hic qu. 14. omne conſtans ex materia, & forma eſt corruptibile, ſiquidem materia eſt cauſa, vt res ſint, & non ſint ex Ariſtotele in hoc libr. t. 136. & 9. Metaphyſic. t. 17. ſed Cęlum eſt ingenerabile, & incorruptibile ex eodem hic à t. 20. vſque ad 22. ergo Cęlum non conſtat ex materia, & forma.

Reſpondetur Maiorem eſſe veram, vel proximè, vel remotè; ſi materia ſit affecta contrarijs qualitatibus, erit corruptibile proximè, remotè verò ſi fuerit contrarijs denudata qualitatibus, quandoquidem, vt inquit Ariſtoteles hic t. 20. omne, quod generatur, aut corrumpitur, fit à contrario quodam, & ſubiecto ideſt materia, in qua recipiuntur generatio, & corruptio; modò cùm materia Cęli non ſit affecta qualitatibus contrarijs, ſequitur illud eſſe ingenerabile, & incorruptibile proximè, corruptibile verò tantum in potentia remota, quod non repugnat eius neceſſitati, æternitati, aut ſempiternitati, quia hæ ſunt affectiones aduenientes Cęlo tantùm ab extrinſeco, cùm Deus non dederit ſibi aliquod contrarium ipſum valens corrumpere, non verò ab intrinſeco, & ratione ſuæ naturæ.

Contra, inquit Rubeus, quia poteſt dari corruptio in materia, quamuis non ſit affecta qualitatibus contrarijs, ergo ſi ponatur Cęlum habere materiam erit ſemper corruptibile ab intrinſeco; ſiquidem materia eſt ſemper principium intrinſecum corruptionis formæ, quam habet, cùm non ſolum appetat aliam ſibi incompoſſibilem, ſed etiam priuari illa, quam poſſidet. Antecedens probatur, nam ſi per impoſſibile forma ignis eſſet ſpoliata calore, & forma aquæ frigore, aut quolibet alio contrario, adhuc eſſet ab intrinſeco ſui corruptibilis, quia haberet in ſe principium potens recipere formam ſibi incompoſſibilem, ergo ſi daretur agens inducens in materiam aquæ formam ignis, forma ignis corrumperetur, & è contrà, cum duæ formæ ſint incompoſſibiles naturaliter in eadem materia, ergo poteſt dari corruptio in materia, quamuis non ſit affecta qualitatibus contrarijs.

Reſpondetur negando antecedens, naturaliter loquendo; Ad probationem dico antecedens eſſe verum remotè, non tamen proximè, quia ſic forma ignis, & forma aquæ, aut non agerent ad ſeinuicem, aut ſi agerent, vna non expugnaret aliam ad eius corruptionem ob defectum contrarietatis, ſiquidem ſubſtantiæ nihil eſt contrarium, & tamen corruptio naturalis, nequit fieri niſi à contrario: vnde ſupponitur vnum falſum, quod aliquod agens naturale poſſet inducere vnam formam ſubſtantialem abſque præuia qualitatum contrariarum diſpoſitione.

Obijcitur tertio contra ſecundam partem eiuſdem concluſionis, quia Cęlum eſt calidum, ſicut ignis, eſt diaphanum, ſicut aer, ſed non eſt ignis, nec aer, qui ſunt corruptibiles, Cęlum verò incorruptibile, ergo erit quid mixtum ex vtroque, ac proindè non ſimplex ſimplicitate mixtioni oppoſita. Antecedentis prima pars patet ex Pſalm. 18. vt dicitur de Sole, qui eſt vna Cęli pars; *Non eſt, qui ſe abſcondat à calore eius*, & vtraque pars experientia liqueſcit, ergo &c.

Reſpondetur antecedens, & eius probationem habere veritatem de calido virtualiter,

Digitized by Google

liter, non verò formaliter; nec experientia, aut ſcriptura allata aliud exprimere poteſt, cum ad eius veritatem ſufficiat calor virtualis. Ad aliud de aere, dico diaphaneitatem non eſſe propriam eiuſdem aeris, cũ pluribus alijs corporibus conueniat, quare ex eo, quod competat Cęlo formaliter, nequit inferri illud eſſe de natura aeris, aut aere mixtum, alioquin etiã Chryſtallus, & aqua eſſent mixta ex aere, quod eſt falſum.

Obijcitur quarto, quia Cęlum, & Elementa conueniunt in multis accidentibus, ſiquidem eſt quantum, & expanſum, ſicut aqua, ſolidum ſicut terra, lucidum ſicut aer, coloratum ſicut ignis, ergo debet etiam participare naturam Elementorum, ſiquidem accidentia magnam partem conferunt ad cognoſcendum quidquid eſt ſecũdum Ariſt. lib.1. de Anima t.11.

Reſpondetur negando conſequentiam, ſiquidem accidentia, in quibus conueniunt Cęlum, & Elementa ſunt communia pluribus ſubiectis, & non propria, quare nequeunt eſſe medium demonſtrandi identitatem Cęli cum Elementis. Neque auctoritas Ariſtotelis citata vrget, cùm ſit intelligenda de accidentibus proprijs, non autem de communibus, vt ibidem oſtendimus in propria quæſtione de hac re.

Contra, quia in Cęlis dantur qualitates propriæ Elementorum, vt dicunt Aſtrologi, nàm luna eſt humida, & frigida, quæ ſunt qualitates Aquæ: Saturnus eſt frigidus, & ſiccus, quæ ſunt propria Terræ; Mars calidus, & ſiccus ad inſtar Ignis, & Mercurius pollet calido, & humido, ſicut Aer, ergo ſi ex proprijs accidentibus, conuenientibus aliquibus conuincitur identitas naturæ inter illa, concludendum Cęlos eſſe eiuſdem naturæ cum Elementis, cum conueniant in eiſdem accidentibus proprijs.

Reſpondetur Negando antecedens. Ad probationem dico huiuſmodi qualitates, quæ ab Aſtrologis attribuuntur Stellis, ſiuè Erranticis, ſiuè Fixis, non eſſe in eis formaliter, ſed tantùm virtualiter, quatenus illas influunt in hæc inferiora: Verum ex illis non licet conijcere identitatem naturæ Cęleſtium corporum cum ſublunaribus, alioquin deberemus facere ipſum Deum eiuſdem naturæ cum creaturis, cum in eis influat omnia ſua infinita virtute quod nemo ſanæ mentis dixerit. Quod etiam obijci poteſt de coloribus, qui videntur in Cęlo, iam ſatis diximus in primo Meteorolog. vbi oſtendimus illos eſse apparentes, non autem veros, quare nequit ex eis colligi in Cęlis quatuor permixtio qualitatum, à quibus veri colores demanare ſolent, nec conſequenter Cęlum eſse ex Elementis mixtum quoddam.

Obijcitur quarto contra tertiam Cõcluſionem, quia mens Ariſtotelis in adſtruendo ſimplicitatem in corporibus Cęleſtibus, eò potiſſimum tendit, vt oſtendere valeat eorum ingenerabilitatem, incorruptibilitatem, æternitatem, & perpetuitatem, quibus paſſim illa eſse decorata, ac prædita palam euulgauit, vt manifeſtè colligitur in hoc primo lib. à tex. 20. ac ſequentibus, 12. Metaphy. cap.2. lib.8. Phyſicorum t.53. ac alibi pluries, ſed hęc omnia euaneſcunt, ſi ponantur Cęli compoſiti ex materia, & forma, ergo huiuſmodi compoſitio tollit eorum ſimplicitatem intentam ab Ariſtotele. Maior patet, quia quò aliquid eſt ſimpliciùs, eò minùs habet potentialitatis, quæ eſt cauſa paſſiua corruptionis, vt habet idem Ariſtoteles 1. Phyſicorum t.81. & 82. ac alibi ſæpè, ergo ideò Ariſtoteles adſtruit ſimplicitatẽ in Cęlis, vt illos faciat ingenerabiles, incorruptibiles, & perpetuos. Minor probatur, quia materia eſt potentia contradictionis, hoc eſt, indifferentiæ ad eſse, & non eſse, vel ſubſtantiale, vel accidentale ex eodem 9. Metaphy. t.17. atqui non eſse ſubſtantiale repugnat æternis, & incorruptibilibus, vt probat ibidem ſequentibus verbis: *Nihil igitur ſimpliciter incorruptibilium ſimpliciter potentia eſt: ſecundum aliquid autem nihil prohibet, vt quale, aut vbi: actu ergo omnia*, ergo ſi ponatur in Cęlis potentia materiæ, ad eſſe ſubſtantiale, neceſsariò ab eis tollitur ingenerabilitas, incorruptibilitas, & æternitas, quæ ab ipſo deſiderantur in Cęlis. Non igitur conſiſtere poſsunt, ſecundum Ariſtotelem, ſimplicitas quæcumque ſit illa, & compoſitio Cęlorum ex materia, & forma.

Reſpondetur negãdo Minorem. Ad probationem dico maiorem eſse verã, vel proximè, vel remotè, non autẽ ſemper proximè, cũ nõ ſit pro ſẽper affecta diſpoſitionibus ordinatis ad generationem, & corruptio-

ptio-

poſitionem ſubſtantialem, quæ tamen neceſſariò exiguntur, vt quodlibet non fiat ex quolibet, ſicut aliàs probatum eſt, & palam fatetur Ariſtoteles 1. de Cœlo t. 20. 2. de Gener. Sum. 3. cap. 1. & 2. & Sum 4. cap. 1. & 7. Metaph. t. 22. & 53. ac alibi pluries innuit hanc diſtinctionem materiæ ſub alijs verbis, nempe de materia coniuncta, & nõ coniuncta cum actu, ſeù de materia generabilium, & ſimplicium; modò materia, quæ eſt affecta qualitatibus diſpoſitiuis ad generationem, & corruptionem, eſt potentia contradictionis proxima, cùm ſemper non ſit coniuncta cum actu, & iſtam repugnare ſimpliciter incorruptibilibus, & æternis, fatemur, & etiam nos, non verò illam remotam, quæ cum ſit ſemper coniuncta actui nequit eſſe indifferens ad eſſe, & non eſſe: vndè cum hæc non repugnet æternitati compoſiti, nec intentioni Philoſophi, poterit optimè conſiſtere cum ſimplicitate corporum cœleſtium.

Vtrum Cælum ſit corpus animatum?

QVÆSTIO II.

ANtiqui Philoſophi, qui præceſſerunt Ariſtotelem, vt Arabes, & Ægyptij, quorum meminere Conimbricenſes libr. 2. de Cœlo cap. 1. q. 1. Ruuius ibi, & alij Recentiores, poſuerunt Cœlos animatos, non tantum per aſſiſtentiam Intelligentiæ motricis, ſed etiam per informationem. Erant tamen diuiſi in aſſignandis huiuſmodi animabus; ſiquidem aliqui dicebant eſſe animatos vegetatiua, alij ſenſitiua, & alij intellectiua anima.

Vera tamen ſententia, nobiſque tenenda, docet Cœlos eſſe cuiuſcumque animæ informantis expertes; & per quandam metaphoram ſolum poſſe affirmari, Intelligentias motrices orbium eſſe eorum animas. Ita ſancti Patres nonnulli, & Scholaſtici, cùm Theologi, tum Philoſophi, quos referunt, ac ſequuntur Conimbricenſes, & Ruuius locis nuper citatis.

Quid autem ſentiendum ſit de mente Ariſtotelis, non eſt ità manifeſtum, quamobrem quibuſdam notatis, quid reſpondendum ſit mox patefaciemus.

Primò igitur notandum eſt, aliquid vniri alteri poſſe dupliciter intelligi, vel per informationem, vel per aſſiſtentiam. Quod vnitur alicui primo modo facit compoſitionem cum ipſo, vel per ſe, ſi fuerit per ſe actus, & id cui vnitur per ſe potentia, vel per accidens, ſi id quod vnitur ſit forma accidentalis, & cui vnitur, compoſitum ſubſtantiale, ſiquidem, vt probatum eſt à nobis in 1. Phyſicorum diſp. 4. q. 4. nequit accidens informare immediate materiam, verùm duntaxat mediante aliqua forma ſubſtantiali. Quod autem vnitur alteri per aſſiſtentiam nullam facit compoſitionem cum illo, nec ſubſtantialem, neque accidentalem, verùm ſolùm eſt præſens eidem, & in ipſo cauſat motum localem. Ita ſe habent Angeli in corporibus aſſumptis, & Intelligentiæ, ſecundum Ariſtotelem in Orbibus Cœleſtibus, ſiquidem 8. Phyſicorum t. 40. & 41. ait motorem Orbis cœleſtis vniri cum ſuo Orbe contactu virtutis, ac proindè excludẽte compoſitionem formalem, qualis eſt animæ cum corpore, per quam communicat ei, nedùm virtutes operandi per ipſam, & in ipſum, ſed etiam ſeipſam dando illi eſſe formale, quod prius non habebat.

Secundò Notandum ex Scoto pluribus in locis, communicabile alteri eſſe duplex ſcilicet vt quo, & vt quod. Id eſt communicabile alicui vt quo, quod eſt ratio eſſendi illi formaliter, ideſt, quod dat eſſe alicui formaliter, & per modum formæ, ſiuè accidentalis, ſiuè ſubſtantialis. Illud verò eſt communicabile alicui vt quod, quod eſt natum prædicari de eo, prædicatione dicente hoc eſt hoc, vt quodlibet ſuperius reſpectu inferioris. Et per oppoſitum incommunicabile, vt quo dicitur illud, quod nequit eſſe ratio eſſendi alteri per modum formæ informantis, cuiuſmodi eſt omne ſuppoſitum Prædicamenti ſubſtantiæ. Incõmunicabile verò, vt quod, eſt omne ſingulare, ſiuè ſubſtantiale, ſiue accidentale; omne namque tale caret inferioribus de quibus poſſit prædicari. Ad propoſitum Intelligentiæ, cùm ſint ſuppoſita ſubſtantialia, habentia eſſe completum, nequeunt communicari, vt quo, Orbibus, quibus vniuntur per informationem, ſed tantum per aſſiſtentiam, mouendo illos circulariter.

Tertiò Notandum, formam informantẽ duo præſtare cõpoſito. Vnum, quod per eã habet

Digitized by Google

habet eſſe formale, quo prius carebat; Alterum, quod per ipſam poteſt operari conuenienter iuxta naturam, eiuſdem formæ: patet in caliditate, quæ dat eſſe calidum ſubiecto, quod informat, & eſt in eodem principium calefaciendi alia, quæ ſibi adhærent. Ad propoſitum, Cœlum non eget anima, vt forma informante, quoad primum munus, quia ſi teneatur eſſe omnino corpus ſimplex, repugnat ſibi vniri alteri, cum quo faciat compoſitionem; ſi verò dicatur eſſe compoſitum ex materia, & forma, fruſtranea foret animæ informatio, cum cenſeatur eſſe conſtitutum in eſſe completo, & perfecto formaliter, per priorem formam, à qua præhabuit eſſe formale totale; neque eget anima propter alterum munus, ſiquidem ſufficienter mouetur cõtinuè, ac perpetuò circulariter ab intelligentia: neque enim eſt capax alterius motus, vel mutationis, vt egere cogatur inde principio intrinſeco, quod ſit aliqua animæ potentia; nàm vt probat Ariſtoteles à t. 20. huius libri, eſt ingenerabile, & incorruptibile, inaugmentabile, & indiminuibile, ac inalterabile, ratione quorum fit expers animæ vegetatiuæ; inſuper caret ſenſu, & intellectu, cum ſit corpus inorganicum, vt hinc videatur carere etiam anima ſenſitiua, & intellectiua, igitur concludendum eſt, Cœlum, quamuis ſit perfectum inter corpora naturalia, eſſe cuiuſcumque animæ penitùs expers.

Quartò Notandum ex Ariſtotele ſecundo de Anima t. 7. ac ſequentibus vſque ad 24. Corpus naturale phyſicum, de quo acturus erat in diffinitione animæ, ſupponere illam diuiſionem corporis naturalis, vt ab artificiali ſeccernitur, in organicum, & inorganicum. Corpus organicum eſt, quo conſtat ex partibus diſſimilaribus, ſic à natura diſpoſitis ad varias operationes obeundas, vt corpus plantæ, & animalis, ſiquidem planta conſtat ex radicibus, ramis, corticibus, & folijs, vt varijs partibus diſſimilaribus: animal verò ex capite, brachijs, manibus, thorace, cruribus, pedibus; Rurſus in capite habet quinque inſtrumenta, quæ organa vocantur; nempe oculos, aures, nares, os, quæ omnia ſunt diſpoſita ad operationes varias exercendas, mediante aliquo principio intrinſeco in illis exiſtente, quod appellatur anima; quare Philoſophus illam definiens in præcitato loco, inquit, *eſſe actum corporis, phyſici organici, potentia vitam habentis*. Hoc eſt dictu, Anima eſt principium intrinſecum informans corpus organicum, quo exercere valet corpus animatum diuerſas operationes vitales, nempe vegetare, ſentire, moueri, & intelligere; vnde ſubdit in t. 24. *Anima eſt, quo viuimus, & ſentimus, & mouemur, & intelligimus*; ex quibus innuit triplex principium *quo* exercendi huiuſmodi operationes in corpore organico, nimirum vegetatiuum, quo viuimus, ſenſitiuum, quo ſentimus, & mouemur, & intellectiuum, quo intelligimus. Corpus autem inorganicum eſt, quod caret huiuſmodi partibus diſſimilaribus, conſtatque partibus eiuſdem rationis cum ſuo toto, eiuſdemque nomenclaturæ cum ipſo, vt lapis, ferrum, & ſimilia, ſiquidem quælibet pars lapidis lapis dicitur, & ferri appellatur ferrum. Et hoc diuiditur in ſimplex, & mixtum. Simplex ſubdiuitur in Cœleſte, & Elementare. Hoc inſuper in quatuor Elementa, & illud in omnia corpora cœleſtia. Mixtum verò partitur in perfectum, & imperfectum. Perfectum comprehendit omnia corpora naturalia inanimata, vt ſunt lapides, metalla, & etiam viuentia, vt plantæ, & animalia. Imperfectum verò amplectitur omnia Meteorologica. Ex omnibus colligitur, Cœlos, & Stellas, cùm ſint corpora inorganica, ſiquidem conſtant ex partibus ſimilaribus, & homogæneis, eiuſdemque rationis cum ſuis totis, non poſſe eſſe animatos vlla anima; alioquin data hypotheſi, quod eſſent aliqua anima prædíti, illa cogerentur in eis otiari, cùm careant inſtrumentis aptis ad operationes, ab anima, vt principio quo, prodeuntes, obeundas; Quarè nè cogamur concedere huiuſmodi inconuenientia, cùm Deus, & Natura nihil moliantur fruſtra, teſte Ariſtotele in hoc primo libro de Cœlo t. 32. fateri debemus, Cœlos eſſe inanimatos, ſaltem formaliter.

Ex his ſit prima Concluſio. Cœlum, vt complectitur in ſe omnia corpora cęleſtia, eſt expers cuiuſcumque animæ, ſiuè vegetatiuæ, ſiuè ſenſitiuæ, & intellectiuæ per informationem. Eſt communis contra Antiquos relatos in prima ſententia, & eam pro-

probat Scotus in 2. d. 14. quæſt. 1. ſub B. Probatur primo quia corpus animatum eſt corpus organicum, ſed Cœlum non eſt corpus organicum, ergo non eſt corpus animatum. Maior eſt Ariſtotelis in ſecundo de Anima t. 6. dicentis: *Anima eſt actus primus corporis phyſici, organici, potentia vitam habentis*, ergo corpus animatum debet eſſe organicum, ſiquidem diffinitio, & diffinitum conuertuntur, vndè infertur ex oppoſitis, quod corpus inorganicum nequit eſſe animatum; diffinitio enim ſoli diffinito, & non alteri ab eo, conuenire poteſt. Minor probatur, quia corpus organicum coaleſcit ex partibus diſſimilaribus, ſeù alterius rationis, ordinatis ad diuerſas, ac diſparatas operationes obeundas, vt patet in corpore humano, cuius partes ordinantur ad operationes diſparatas, vt eſt manifeſtum, ſed Cœlum conſtat ex ſimilaribus partibus, quæ omnes ordinantur ad vnam tantum operationem, nempè ad motum circularem, ergo Cœlum non eſt corpus organicum, ac proindè nec animatum. Secundò probatur, quia ſi Cœlum eſſet animatum, aut huiuſmodi anima eſſet vegetatiua, aut ſenſitiua, aut intellectiua, ſed de harum nulla dici poteſt, ergo &c. Minor probatur. Non poteſt dici illud eſſe præditum vegetatiua, cùm nec nutriatur, nec augeſcat, nec generet &c. quæ ſunt operationes animæ vegetatiuæ, ergo ſignum eſt, ibi deeſſe animam vegetatiuam, alioquin eſſet ibi fruſtra, quod non eſt dicendum, cum Deus, & Natura nil agant fruſtra, vt dicitur in t. 32. huius primi libri de Cœlo. Nec ſenſitiua, quia nondum obſeruatum fuit Cœlum videre, audire, olfacere, guſtare, tangere, aut motu progreſſiuo progredi, aut cieri, quæ ſunt operationes animæ ſenſitiuæ, ergo concludendum eſt, Cœlum non eſſe tali animâ præditum. Neque intellectiua, quia Cœlum eſt agens naturale, neceſsarium, & determinatum ad vnum tantum modum agendi, nimirum ad motum, & influxum in hæc inferiora, ſed anima intellectiua, ex parte voluntatis, eſt principium liberum, & ad vtrumlibet, vt cernitur in hominibus, ergo ſignum eſt, Cœlū carere huiuſmodi principio, & ſic anima intellectiua, ac proindè dicendum eſt, Cœlū eſse corpus inanime per informationem.

Secunda Concluſio. Cœlum, etiam ſecundum Ariſtotelem, eſt expers animæ informantis, licet ſit animatum per aſſiſtentiam. Eſt Doctoris Subtilis in 2. d. 14. quæſt. 1. & omnium Scotiſtarum. Probatur prima pars, quia ſecundum Ariſtotelem in 2. de Anima t. 13. animatum ab inanimato ſecernitur per ipſum viuere, ſed Cœlum caret vita, ergo & anima informante. Minor probatur, quia omnis vita, aut eſt vegetatiua, aut ſenſitiua, aut intellectiua ex eodem ibidem, ſed Cœlum caret principio vegetatiuo, ſenſitiuo, & intellectiuo, vt probatum eſt in præcedenti, ergo, & quauis vita, ac proinde eſt expers cuiuſcumque animæ informantis. Confirmatur, quia ſi Cœlum eſset animatum de mente Philoſophi, eius anima maximè foret Intelligentia eiuſdem motrix, vt obſeruauit Scotus in 2. d. 14. q. 1. B. ex eodem Ariſtotele in 2. de Generat. à t. 63. vſque ad finem libri, & 12. Metaph. à t. 42. vſque ad t. 52. At Intelligentia nequit eſse forma informans Cœlum, cùm ſit incommunicabilis vt quo, & vt quod, ergo Intelligentia non poteſt eſse forma informās Cœlum, ac proindè nec animatum formaliter. Secunda pars probatur, nàm illud eſt animatum per aſſiſtentiam, cui aſſiſtit aliquod principium viuens, ipſumque mouet, ſiquidem animatum, & inanimatum ipſo viuere diſcriminantur ex 2. de Anima t. 13. ſed Cęlo aſſiſtit Intelligentia, quæ eſt principium viuens ex eodem 12. Metaphy. à t. 42. & ſequentibus, illudque mouet in gyrum perpetuò, vt probat ibidem, ergo Cęlum, hoc pacto poteſt dici animatum ſecundum Ariſtotelem, & non aliter, vt etiam obſeruauit Scotus citatus ex eodem in 2. de Cęlo, & Mundo t. 61.

Tertia Concluſio. Suſtinere Cęlos eſse formaliter animatos, eſt hæreticum, aut ſaltem erroneum in fide. Probatur prima pars, quia in Synodo 5. Conſtantinopolitana, vt refert Iouerius in ſua Summa conſiliorum fuit talis opinio anathemate percuſsa ſequenti Decreto: *Si quis dicit, Cœlum, Solem, Lunam, Stellas, & Aquas, quæ ſuper Cœlos ſunt, animantes quaſdam eſſe, & materiales virtutes, anathema ſit.* Confirmatur, nam Doctor Subtilis in 2. d. 14. q. 1. propè finem inquit: *Si Cœli non ſunt animati, hoc eſt creditum*, igitur de-

Digitized by Google

fendere eorum animationem formaliter, eſt contrarium ei, quod de fide credendum eſt. Hinc Sotus lib.8. Phyſicorum q. 3. vocat huiuſmodi opinionem contrariam fidei, atqui quod eſt contrarium fidei eſt hæreticum, igitur hæreſis damnari poterit, qui illam pertinaciter ſuſtinere tentauerit. Secunda pars probatur, ſiquidem illud eſt erroneum in fide, quod aſſeritur contra communem ſenſum Sanctorum Patrum, ac Doctorum Catholicorum, vt patet ex diffinitione propoſitionis erroneę, ſed aſſertio huiuſmodi de animatione formali Cęlorum eſt contra communem ſenſum Patrum, ac Doctorum Catholicorũ, ergo &c. Minor probatur, nam D. Hieronymus ſuper Deuteronomij capit. 32. illam recenſet inter errores Originenis D. Epiphan. lib. 11. Panarij & D. Iræneus libr. 1. contra Hæ eſ. enumerant illam inter Marcoſiorum Dogmata damnata erroris. D. Bonauentura in 2. d. 14. art. 3. q. 2. appellat eam falſam, & erroneam. Gabriel ibid. q. 1. & Capreolus d. 9. q. 1. art. 1. iudicant illam non eſse conſonam fidei. Alenſis p. 2. q. 87. memb. 3. art. 4. Albert. Magn. tract. 4. de Coæuis quæſt. 4. art. 25. Durand. in 2. d. 14. quæſt. 2. Ægydius ibidem quæſt. 3. Ochamus quæſt. 12. & communiter Theologi, & Philoſophi Catholici eandem falſitatis inſimulant, ergo huiuſmodi opinio eſt contra conſenſum Doct. Cathol. ac proinde abſque erroris nota ſuſtinere nequit.

Obijcitur primo contra primam Concluſionem nam omne corpus naturale eſt viuum, ergo omne corpus naturale eſt animatum, ſiquidem Ariſt. 2. de Anima t. 13. per viuere diſtinguit corpus animatum ab inanimato. Antecedens probatur, quia nullum corpus naturale à Deo fuit productũ mortuum, alioquin non fuiſset opus Dei, cum Dei opera ſint valde bona ex Geneſ. cap. 1. & corpus mortuum non eſt valdè bonum; viuum eſt melius, ergo omne corpus naturale eſt viuum.

Reſpondetur negando antecedens, ad cuius probationem, negatur conſequens, ſiquidem inter corpus naturale viuum & mortuum datur medium, non poſitiuum, ſed per abnegationem, nempè non viuum, cuiuſmodi eſt corpus naturale inanimatum omne, & ſic etiam Cęlum.

Obijcitur ſecũdo quia omne corpus habens ſex poſitiones eſt animatum ex Ariſtotele 2. de Cęlo, & Mundo t. 9. ſed Cęlum habet ſex poſitiones, nimirum ſurſum, & deorſum, ante & retro, dextrorſum, & ſiniſtrorſum, ex eodem ibidem t. 13. ergo ſequitur Cęlum eſse animatum.

Reſpondetur ex Doctore Subtili in 2. d. 2. q. 5. & 6. ſub A, negando minorem, ſiquidem in Cœlo ex natura reí, neque eſt dextrum, neque ſiniſtrum, ſicut reperitur in animali, in quo pars dextra eſt validior ſiniſtra, cum illa ſit capax maioris virtutis animæ, quam iſta, non ſic autem eſt in Cęlo, quia ſi ponatur ſemper mobile, & non quieſcens, nullus punctus eſt magis oriens, quam alius, ſed quilibet punctus eſt oriens ſucceſſiuè, & omnes ſunt capaces eiuſdem motus, ac non magis vnus, quàm alius. Ad Ariſtotelem dici poteſt eo loci, locutum fuiſse de mente aliorum, qui imaginabantur Cęlum eſse ad inſtar cuiuſdam ſenis, cuius caput erat in polo arctico, pedes in antarctico, brachia extenſa ad orientem, & occidentem, tamen ſecundum veritatem, ab ipſo alibi manifeſtatam Cęlum eſt inanimatum, vt probatum eſt concluſione 2. & per conſequens expers cuiuslibet poſitionis, quibus carent inanimata.

Obijcitur tertiò. Res animatæ nequeunt regi à re inanimata, alioquin eſsent deterioris conditionis illæ, quam iſta, ſed hæc animata reguntur, & gubernantur à Cęlo, vt docet Ariſtoteles lib. 1. Meteorolog. c. 2. ergo Cęlum debet eſse animatum.

Reſpondetur Minorem eſse veram accipiendo Cęlum pro aggregato ex Intelligentia & Orbe, non tamen accepto Cęlo pro ſolo Orbe, quia ſicut priori modo ſumptum eſt perfectius hiſce animatis, ſic poſſunt ab eo regi, & gubernari, vt dicit Ariſtoteles in citato loco; modo libenter fatemur, Cęlum ſic acceptum eſse animatum per aſſiſtentiam Intelligentiæ, non autem ſumptum pro ſolo Orbe.

Obijcitur quartò Mundus eſt animatus, ergo & Cęli, qui ſunt eiuſdem præcipua pars, debent eſse animati. Antecedens probatur, quia aliquæ Mundi partes ſunt animatæ, vt patet de animalibus, & plantis, ergo & totus Mundus debet eſse animatus, alioquin totum eſset deterioris conditionis, quàm eius partes, quod nequit

quit

Digitized by Google

quit dici, cum totum coaleſcat ex partibus. Conſequentia tenet, quia Cœli non ſunt deterioris conditionis, quam aliqua animalia, & plantæ, à quibus habent eſſe per generationem, (ſiquidem Sol eſt omnium generationum parens) ſed animalia, & plantæ ſunt animata, ergo etiam Cœli ſunt animati.

Reſpondetur negando antecedens, ſiquidem Mundus, vt ſuperius oſtendimus, eſt quoddam aggregatum per accidens, & totum quaſi artificiale coaleſcens ex partibus diuerſarum rationum; ac ſubiectum animæ debet eſſe vnum per ſe potentiale, ſicut anima eſt vnum per ſe actuale. Ad probationem negatur conſequentia; eius namque probatio habet veritatem de toto per ſe, non verò per accidens, cuiuſmodi eſt Mundus. Et cum arguitur à minori ad maius, nimirum Cœlos potiori ratione debere eſſe anima præditos, cum ab eis producantur animalia quædam ex putri genita, & plantæ, neganda pariter eſt conſequentia, cum ſupponat vnum falſum, nempè, quod animæ vegetatiuæ, & ſenſitiuæ illorum producantur à Cœlis, quandoquidem diſpoſitiuè ſolùm pendent ab influxibus Cœlorum, & effectiuè à ſolo Deo, vt ex Doctore Subtili in ſecundo diſtin. 18. quæſtione vnica ſub I, probauimus nos in ſecundo de Anima diſputat. tertia quæſtione ſexta ſectione tertia.

Obijcitur quintò contra tertiam Concluſionem. Nam D. Auguſtinus libro 3. Enchiridion cap. 58. inquit, non eſſe certum, an Cœlum ſit, vel non ſit animatum. Et D. Thom. libr. 2. contra Gentes cap. 70. dicit non eſſe contra fidem aſſerere Cœlos eſſe, vel non eſſe animatos, ergo non bene concluſimus partem affirmatiuam fore, vel hæreſeos, aut erroris damnatam, vel damnandam.

Reſpondetur negando conſequentiam: nam hi aliter locuti ſunt de animatione Cœlorum, ac nos; ſiquidem illi intelligunt de animatione extrinſeca, ſeù per aſſiſtentiam, de qua dubium eſt, an conſiſtat in vnione neceſſaria Intelligētiarum cum ſuis Orbibus, vt docet Ariſtoteles libr. 12. Metaphyſic. Sum. 2. cap. 4. an verò in contingenti, & quicquid dicatur, nec eſt error in fide, neque aſſertum ſecundum fidem, cùm de huiuſmodi controuerſia nihil ſit actum in Eccleſia: Cæterum nos loquimur de formali animatione Cœlorum, ac potiſſimùm de intellectiua, de qua intelligebant antiqui Philoſophi vt obſeruat Scotus in 2. diſt. 14. quæſt. 1. ſub B. dùm aſſerebant Cœlos eſſe animatos formaliter, ac intrinſecè: Vnde cum de hac ſolùm fuerit diſſidium inter Catholicos, & Philoſophos, & Eccleſia Catholica in Concilio Conſtantinopolitano quinto diffinierit ſub anathemate Cœlos eſſe inanimatos, proinde non eſt, mirum ſi oppoſita ſententia fuerit damnata, non ſolùm vt erronea, ſed etiam, vt hæretica in noſtra concluſione, quamuis aliqui Recentiores verean tur eam hæreſis inſimulari, aut quia non adeſt certitudo, inquiunt, de illa ſententia Concilij, aut quia non eſt immediatè contra fidem, ſed ſolùm deducta per euidentem conſequentiam ex vna de fide. Aſt quicquid ſit de hoc, non eſt adeò curandum, cùm ſufficiat nobis oſtendiſſe, Cœlos non eſſe formaliter animatos, quod eſt intentum.

Vtrum Cœlum ſit graue, vel leue?

QVÆSTIO III.

COElum neque graue, neque leue exiſtere, fuit expreſſa ſententia Ariſtotelis in hoc lib. 1. de Cœlo t. 18. quem communiter poſtea ſequuti ſunt omnes Peripatetici, excepto vno Timplero, qui in ſua Apſychologia lib. 1. cap. 2. Probl. 8. viſus eſt ab illo diſcedere, aſſerens, Cœlum eſſe leuitate præditum, cum omnibus corporibus ſibi ſubiectis emineat. Cæterùm ob hanc rationem non eſt recedendum à communi, ac vera ſententia, quam præ cæteris tenet, ac defendit etiam Doctor noſter in 2. d. 2. q. 6. O, & in 4. d. 48. q. 2. E, & O, cùm docuerit motum Cœli eſſe neutrum, non verò naturalem, hoc eſt determinatum ad terminum ab eius natura intentum, vel ſurſum, vel deorſum, quò nimitùm tendunt grauia, & leuia.

Pro cuius maiori declaratione, præter ea, quæ obſeruauimus circa textum, adnotandum eſt primo ex eodem Ariſtotele hic t. 17. & in 4. lib. de Cœlo t. 26. graue, & leue dupliciter attendi poſſe, aut in ordine ad mo-

Digitized by Google

motum, aut in ordine ad eius terminum, in quo reſpectiuè quieſcere debent. Si priori attendantur modo, Graue eſt illud, quod ferri natum eſt ad medium, hoc eſt ad centrum vniuerſi: Leue autem, ex oppoſito, quod à medio, ideſt, à centro ſurſum verſus concauum Lunæ mouetur. Si verò poſteriori modo ſpectetur, Graue illud dicitur, quod omnibus ſubſidet: Leue autem, quod omnibus ſupereminet. Vtrumque verò dupliciter conſideratur, vel ſimpliciter, & abſolute, vel ſecundum quid, & comparatè. Graue primo modo, quod etiam grauiſſimum ab Ariſtotele nominatur, eſt illud, quod omnibus corporibus grauitate pollentibus ſubſiſtet, ſiue ſubſtat, vt eſt terra, quæ ſubſtat aquæ, & cæteris corporibus grauitate præditis. Et per oppoſitum leue ſimpliciter, quod leuiſſimum appellatur, eſt illud, quod omnibus corporibus leuitate affectis, ſupereminet, cuiuſmodi eſt ſolus ignis. Graue, & Leue comparate accepta, ſunt, quæ participant de grauitate, & leuitate grauiſſimi, & leuiſſimi reſpectiuè, dicunturque grauia, & leuia in comparatione ad aliud, & aliud, vt ſunt aer, & aqua. Nam aer ſi comparetur ad ignem, dici poteſt grauis, cùm non ſit ſimpliciter leuis; at in ordine ad aquam, dicitur leuis, cùm illi ſuperemineat: Similiter aqua in comparatione ad terram, vocari poteſt leuis, cùm non ſit ſimpliciter grauis, verùm in comparatione ad aerem, cenſetur grauis, cùm illi ſubſideat. Ex his infertur, quod tàm graue, quàm leue ſimpliciter ſumpta, ſicut determinantur ad proprium motum rectum ſuper linea recta fiendum, vel ad medium, vel à medio, ita diffiniuntur proprio loco, per huiuſmodi motus, acquiſibili, adeout ſi extra contingat eis exiſtere, pati coguntur violentiam ab agente impediente, vel prohibente, aut extrahente illa è proprijs locis. Hinc ad propoſitum deducendum eſt, Cœlum nec eſſe ſimpliciter graue, quia non mouetur ad centrum vniuerſi, neque in illo quieſcit, nec ſimpliciter leue, cùm neque moueatur à medio, neque in loco ſibi oppoſito quieſcat, verùm continuè voluatur circa medium. Et licet ſupereminere videatur omnibus corporibus infra ipſum contentis, cùm omnia ſua circumferentia ambiat, nihilominus nequit dici leue, cùm nec locum ſupra ſe petat, neque in aliquo, medio oppoſito, determinatè quieſcat, quod eſt proprium corporis leuitate præditi.

Secundò Notandum ex Doctore Subtili in 1. d. 23. quæſt. vnic. ſub H. & d. 28. q. 1. & 2. ſub B. & G. Negationem poſſe dupliciter accipi, vno modo negatiuè, alio modo priuatiuè. Negatio priori modo accepta eſt, quæ omnia negat, ac deſtruit, & nil ponit à parte rei, vt in hac propoſitione: Chymera non eſt ens, in qua negatur ab ipſa Chymera, nedum exiſtentia, ſed etiam eſſentia eius à parte rei. Negatio verò poſteriori modo ſumpta eſt, quæ deſtruit aliquid, & aliquid ponit connotando, vt in hac propoſitione: aſinus non eſt rationalis, in qua, ly non, negat ab aſino rationalitatem, tamen connotat eſſe animalis, cui conuenire poteſt rationalitas, & irrationalitas, & hæc eſt triplex ſcilicet extra genus, in genere, & in ſpecie. Negatio extra genus eſt, quæ negat formam, quam ſubiectum natum eſt habere ſecundum rationem illimitatam ad omnia genera, vt cum dicimus, homines non ſunt infiniti, ly *non* negat infinitatem ab hominibus, quam nati ſunt habere, non vt homines, vel animalia, aut corpora animata, aut corpora, aut ſubſtantiæ ſunt, ſed tantum, vt entia ſunt, ſiquidem ens diuiditur per finitum, & infinitum. Negatio priuatiue ſumpta in genere eſt, quæ negat formam ab aliquo ſubiecto, quam natum eſt habere ſecundum genus ſuum, vt cùm dicimus: Angelus eſt incorporeus, lapis eſt innanimatus, ſiquidem ab Angelo negatur eſſe corporis, quod natus eſt tamen habere ratione ſui generis, nempe ſubſtantiæ, cui conuenit aut conuenire poteſt eſſe corporeum, & incorporeum, & à lapide negatur eſſe animatum, cui competere poteſt, vt corpus naturale exiſtit. Negatio tandem priuatiuè accepta in ſpecie eſt, quæ negat formam ab aliquo ſubiecto, quam natum eſt habere ſecundum propriam naturam; Et negatio hoc modo ſumpta eſt duplex ſcilicet indeterminata, & determinata. Prior conuenit materiæ primæ in ordine ad omnes formas, quas non habet, ſiquidem connotat in ea aptitudinem indeterminatam ad omnes formas: Poſterior verò ponit aptitudinem in ſubiecto determinatam

natam ad illam formam, quam natum eſt habere, & incapacitatem, ſeù repugnantiam ad alias præter ipſam. Ad propoſitum cum dicitur: Cœlum neque eſt graue, neque leue, illa negatio neque, non accipitur negatiue, cum ſupponat ipſum exiſtere in rerum natura; nec priuatiuè extra genus, quia grauitas, & leuitas poſſunt conuenire Cœlo ratione entis, cum aliquod ens ſit graue, vel leue: nec in genere, quia poſſunt ſibi conuenire, vt corpus naturale eſt; non in ſpecie indeterminatè, cùm eius natura non ſit nata recipere hanc, vel illam proprietatem, ſed tantum in ſpecie determinatè, quia natura Cęli eſt ita determinata ad motum circularem, vt repugnet ſibi motus grauis, qui eſt ferri deorſum, & leuis, qui eſt ferri ſurſum: Similiter ratione ſui motus eſt ita indeterminatus ad locum particularem, vt repugnet ſibi eſſe determinatè in loco ſurſum, vel deorſum, ſiquidem cùm continuè, & ſucceſſiuè perpetuò moueatur in neutro determinatè ſiſtere poteſt, licet vtrumque in aliquo puncto contingat.

Ex his ſit prima Concluſio. Cęlum, neque eſt graue, neque leue, ſumendo graue, & leue per ordinem ad motum. Eſt Ariſtotelis in hoc 1. libr. de Cęlo t. 18. Probatur, quia graue eſt, quod per rectam lineam mouetur ad medium ideſt centrum vniuerſi, leue verò, quod per rectam lineam mouetur à medio ſurſum, & ambo naturaliter, ſed Cęlum naturaliter, neque mouetur ad medium, neque à medio, verùm duntaxat circulariter circa medium ſuper linea circulari, ergo Cęlum neque graue, neque leue eſſe poteſt. Maior patet ex diffinitionibus allatis ex Ariſtotele in 1. Not. Minor probatur, ſi Cęlum moueretur, aut ad medium, aut à medio ſecundum naturam ſequeretur, quod vnius corporis ſimplicis eſſent duo motus ſimplices ſecundum naturam, vnus rectus, & alter circularis, ſed iam probatum eſt ſuperius, vnius corporis ſimplicis non poſſe eſſe duos motus ſimplices ſecundum naturam, alioquin vni poſſent eſſe duo contraria, quod pariter improbatum eſt in tex. 9. ergo ſi Cęlum mouetur vnico motu ſimplici ſecūdum naturam circa medium, non poterit moueri, neque ad medium, neque à medio, & ſic nec eſſe leue, nec graue, quod eſt propoſitum. Neque valet dicere, quod Cęlum poſſet moueri, aut à medio, aut ad medium præter naturam, & ſic eſſe graue, aut leue, ſaltem præter naturam, non valet inquam, quia dato, quod Cęlum moueri poſſit præter naturam ad medium, ergo motus ſurſum, ſiue à medio eſſet illi ſecundum naturam, & è conuerſo, ſi motus à medio eſſet illi præter naturam, motus ad medium adueniret ei ſecundum naturam, ſiquidem quod ineſt vni præter naturam, oppoſitum eius ineſſe debet eidem ſecundum naturam, vt patet diſcurrendo per omnia contraria, ac diſparata, atqui iam oſtenſum eſt, non poſſe Cęlo competere ſecundum naturam, nec motum ad medium, nec à medio, ergo neuter illorum poterit ei competere præter naturam, ac proinde Cęlum, per ordinem ad motum nullo pacto poterit eſſe graue, vel leue.

Secunda Concluſio. Neque ſumendo graue, & leue per ordinem ad locum poterunt conuenire Cęlo. Eſt eiuſdem ibid. t. 18. & 19. Probatur, quia natura ita eſt principium ſtatus in loco, ſicut motus ad locum, ex Ariſtotele 2. Phyſicorum t. 3. ſed natura grauis, & leuis ordinata ad motum repugnat Cęlo, vt probatum eſt in præcedenti concluſione ergo etiam ſibi repugnabit prout dicit ordinem ad locum, acquiſitum per motum. Secundò probatur, quia vnum vni tantum eſt contrarium, ſed locus grauis, & locus leuis ſunt contrarij, ergo ſi Cęlum eſſet graue, aut leue per ordinem ad horum loca, tunc haberet duo contraria, vnum cum loco grauis, & alterum cum loco leuis, ac proinde vni poſſent eſſe duo contraria, quod eſt contra ſuppoſitum, ſuperius probatum ex lib. 10. Metaphy. t. 14. & 15. per definitionem contrariorum.

Tertia Concluſio. Natura Cęli dicit repugnantiam formalem cum grauis, & leuis natura, ac proindè nullo pacto ſimul conſiſtere poſſunt in eodem ſuppoſito. Eſt eiuſdem Ariſtotelis ibidem. Probatur, quæcunque habēt diffinitionem quiditatiuam, vel formaliter, vel æquiualenter diuerſam, dicunt ad inuicem repugnantiam formalem, ſed grauia, & leuia, ac Cęlum habent diuerſas diffinitiones quiditatiuas, ſaltem æquiualenter, ergo adinuicem formaliter

liter

liter repugnant. Maior patet, quia diffinitiones diuerſæ quiditatiuæ indicant diffinita eſſentialiter diuerſa, ac proinde repugnantia, ſiquidem diffinitio quiditatiua eſt oratio indicans eſſe rei per eſſentialia, ergo quæ habent diffinitionem quiditatiuam diuerſam, adinuicem formaliter repugnant. Minor probatur, nam leue eſt, quod importat naturam mobilem à medio ſurſum: graue verò naturam mobilem ad medium deorſum, Cœlum autem præſefert naturam mobilem circa medium, ſed huiuſmodi diffinitiones ſunt æquiualenter quiditatiuæ, cum dentur per motum ſimplicem diuerſum, quorum quilibet indicat propriam naturam, vt à cæteris quiditatiuè diſtinguitur; paſſio namque, cum fluat à principijs intrinſecis ſubiecti, manifeſtat, demonſtratque à poſteriori eius naturam, vt à cæteris eſſentialiter diſtinctam, vt patet de riſibilitate, quæ à poſteriori oſtendit naturam hominis, à qua eſſentialiter dimanat, fore eſſentialiter diuerſam à leonis natura, ergo cùm natura Cœli, & naturæ leuis, & grauis ſint eſſentialiter diuerſæ, ſequitur illas eſſe adinuicem formaliter repugnantes.

Obijcitur primo ex Philopono, & Timplero, probando Cœlum eſſe leue in ordine ad motum & locum, quia Ariſtoteles in t. 17. diffiniendo leuiſſimum inquit, eſſe illud, quod omnibus ſupereminet, ſed Cęlum, ſubdunt iſti Doctores, omnibus ſupereminet ergo Cœlum eſt leuiſſimum. Deinde Ariſtoteles 4 Phyſicorum t. 4. & 5. omnibus corporibus natura præditis aſſignat proprium locum, aut ſurſum, ſi fuerint leuia, aut deorſum ſi grauia extiterint, ſed Cœlum eſt corpus naturale ex eodem hic t. 1. ergo Cœlum debet habere locum ſurſum, vel deorſum, & ita eſſe leue, vel graue.

Reſpondetur negando vtramque conſequentiam; neque probationes multum vrgent, quare ad primam dico, diffinitionem leuiſſimi non afferri ab his Doctoribus fideliter, ſed mutilam; nam verba Philoſophi ſunt hæc: *Leuiſsimum verò, quod omnibus ſupereminet, quæ ſurſum feruntur.* En quomodo omittitur illa particula, *quæ ſurſum feruntur*, quæ eſt ita neceſſaria ad determinationem leuiſſimi, vt illud ſine illa conſiſtere nequeat; leuiſſimum enim cum ſit ſuperlatiuum, ſupponitur ſapere naturam ſui poſitiui, nempe leuis, & illi poſteà ſuperaddere ſupremum gradum leuitatis; cùm igitur Cœlum refugiat naturam leuis, quia non mouetur à medio ſurſum, conſequenter nec poterit ſapere leuiſſimi naturam, licet ſuperemineat cæteris corporibus, quæ in ipſo continentur. Ad ſecundam dico Ariſtotelem ibidem loqui de corporibus naturalibus, quibus conuenit propriè eſſe in aliquo loco, aſſignando illis ſecundum propriam naturam, aut locum ſurſum, aut deorſum; at Cęlum, cùm ſecundum Ariſtotelem, non ſit in loco, ſaltem quoad locari, vt probatum eſt in 4. Phyſicorum, conſequenter, licet ſit corpus naturale, non poterit eſſe in aliquo ſurſum, vel deorſum, ac proindè, nec leue, nec graue.

Obijcitur ſecundo, quia corpus nullam habens inclinationem naturalem ad locum eſt mathematicum ex Ariſtotele libr. 3. de Cęlo t. 55. & 4. Phyſicorum t. 5. ſed Cęlum non eſt corpus mathematicum, verùm naturale ex eodem in hoc 1. libr. t. 5. ergo habere debet inclinationem naturalem leuitatis, aut grauitatis ad aliquem locum, vel ſurſum, vel deorſum.

Reſpondetur negando conſequentiam, ſiquidem, vt Cęlum ſit corpus naturale, & non mathematicum, ſufficit vt dicat aliquam inclinationem ad locum circularem, cum ſit corpus circulariter mobile, & non eſt neceſſe, vt inclinetur ad locum determinatum ſurſum, vel deorſum, cùm hoc ſit proprium Elementorum, & Elementatorum, vt docet idem Ariſtoteles in hoc 3. lib. de Cęlo t. 55. citato.

Obijcitur tertio, quia eadem eſt ratio totius, & partis ex eodem Ariſtotele hic t. 19. & alibi pluries, ſed aliqua pars Cęli poteſt moueri ſurſum, & deorſum, ergo, & totum Cęlum. Minor probatur, ſi per poſſibile, vel impoſſibile detrahatur aliqua pars Cęli, vt puta Stella Veneris, vel Mercurij in terram, quæritur an ibi quieſceret, vel moueretur. Si quieſceret, an huiuſmodi quies eſſet ſibi naturalis, an præter naturam. Si primum dixeris, ergo motus ad illum locum deorſum erit ſecundum naturam, & ſic illa ſtella erit naturæ grauis: ſi ſecundum, ergo mouebitur indè ſecundum naturam, quia corpus naturale, à loco

loco in quo quieſcit præter naturam, mouetur ſecundum naturam. Si autem dicatur, ipſam motam iri, quæritur ſi moueretur motu recto, vel circulari. Non circulari, quia motus circularis ſimplex fit tantum circa medium, cuiuſmodi non eſſet terra; in qua maneret, ergo moueretur rectà, & ſic ſurſum, ac proindè eſſet leuis.

Reſpondetur negando Minorem. Ad probationem, admiſſo caſu per impoſſibile, ſaltem naturaliter, huiuſmodi Stellam in terram detractam fore mouendam ad partem ſuperam ſui totius ſecundum naturam, non vt ad locum ſurſum, quia huiuſmodi differentia loci in Cœlo non datur, cùm nec ipſum ſit in Cœlo, ſed ſolùm vt partem integralem ad ſuum totum, cui vniri præoptaret, ſiquidem ſeparatio eius à ſuo toto, & illius detractio in terram eſſet illi Stellæ innaturalis, vel vt meliùs dicam contra naturam, igitur eiuſdem reunitio toti Cœlo foret ei naturalis.

Contra, quia nulla inclinatio naturalis eſt à natura conceſſa Cęlo ad motum, per quam ſe reſtituere valeat in propriam ſedem, ſi ab eadem fuiſſet extractum, ergo nec eius parti, vt reuniri poſſit eius toti, ſi ab eo deturbata fuerit. Conſequentia tenet ex t. 19. vbi dicitur eſſe eandem rationem totius, & partis. Antecedens probatur, quia fruſtranea eſſet talis inclinatio, quam exercere naturaliter non poſſet, cùm naturæ Cęli repugnet à propria ſede extrahi, vel extra illam fieri, ergo nè talis inclinatio ſit fruſtrà, dicendum eſt, illam nequaquam fuiſſe Cęlo conceſſam à natura.

Reſpondetur negando antecedens, quinimò ſicut natura collocauit Cęlum in tali ſede, ita videtur ſibi tribuiſſe vim conſeruandi ſe in eadem, ac proinde ſe in illam reſtituendi, ſi ab ipſa fuiſſet deturbatum. Nec ſequitur illam fore fruſtraneam, ſicut per Ruuium materia non ponitur fruſtra in Cęlo, quamuis ſit naturaliter incorruptibile, & illam nunquam fore mutandam in aliam formam, ad quam tamen inclinatur, quare à ſimili dicendum eſt, etiam particulæ Cęli ſi fuiſſet ab aliquo agente detracta ab eo, fuiſſe à natura conceſſam inclinationem ſe mouendi à terra, vt iterum iungi poſſet cum ſuo toto.

Vel dicendum ſecundo ad tertium argumentum quod data hipotheſi, ſtella illa quieſceret in terra, non naturaliter, nec violenter, cum nullam præſeferat inclinationem ad ipſam, ſed præter naturam, ſeù neutraliter: nam queadmodum motus Cęli, ratione termini, eſt ſibi neuter, vt oſtendimus in ſecundo Phyſicorum diſputat. 1. quæſt. 3. ita dicendum eſt de illius quiete. Cùm igitur ſit eadem ratio totius, & partis, eodem modo philoſophari debemus de aliqua particula Cęli, ſi fuiſſet ab eodem abſtracta, & in terris poſita. Et hæc reſponſio videtur priori præferenda, cum ſit conformior ijs, quæ de motu Cęli, ac eius quiete tradit Scotus in 2. d. 2. quæſtio 6. O, & in 4. d. 48. quæſtione ſecunda E, & O, vt inſpicienti textum patere poterit.

Vtrum Corpora Cœleſtia ſint ſolida, vel fluida?

QVÆSTIO IV.

Circa hanc perdifficilem quæſtionem varia ſunt Doctorum placita, vt videre eſt apud Recentiores, nàm aliqui docent Cęlos omnes eſſe natura fluidos, ac peruios, ad inſtar aquæ, vel aeris, vt quibuſcumque corporibus de facili cedere poſſunt; immò aſtra in eis vagari, ac mouêri, vt aues in aere, vel in aqua piſces. Ita Plato in Timæo cum multis ex Antiquis, quos poſtea ſequuti ſunt Tycho Brahe cum cæteris recentioribus Aſtronomis. Eiuſdem ſententię videntur fuiſse nonnulli ex antiquis Patribus, vt D. Gregorius Nyſſenus in Hexam. Iuſtinus Martyr ad quæſt. 39. Orthodox. D. Ambroſius libr. 1. Hexamer. c. 6. D. Baſilius ibid. Seneca lib. 7. Natural. Quæſt. quibus probabiliter ſe iunxere Arriaga hic ſect. 4. nu. 53. & Ouiedo diſp. vnica p. 3. n. 25.

Alij diſtinguentes inter Stellas errantes, & inerrantes dicunt, has ſolido Cęlo infixas eſſe, illas verò per liquidos, fluidoſque Orbes ferri, ac moueri. Sic D. Anſelmus Cantuarienſis libro 1. de Imaginibus Mundi cap. 14. D. Iſidorus lib. 3. Ethymol. cap. 49. quibus adhæſerunt nonnulli

ex Recentioribus Aſtronomis, qui cùm obſeruarint in ſuperioribus Orbibus noua phænomena, ac meteorologica ſuper Orbem lunæ, auſi ſunt docere, Cœlos huiuſmodi eſſe corruptibiles, ſecundum aliquas partes ſui, licet non ſecundum totum. Huius opinionis fuit etiam Serbellonus de Cœlo diſp. vnica q.2. art.4. §. 62. & alij ex Modernis Philoſophis.

Alij denique aſſerunt, omnes Cœlos, tùm Planetarum, tùm Stellarum fixarum, eſſe natura ſua ſolidos, firmos, ac duros, ita ut diuiſioni reſiſtere queant. Ita Ariſtoteles lib. 1. de Cœlo à t.20. & ſequentibus, vbi probat totum Cœlum eſſe ingenerabile, incorruptibile, inaugmentabile, indiminuibile, & inalterabile, & lib. 2. de Cęlo à t.43. vſque ad 52. vbi demonſtrat Stellas omnes cieri ad motum ſuorum Orbiū, non autem proprijs motibus circumferri. Eiuſdem opinionis fuerunt multi Sancti Patres, ac Doctores, tùm ex Antiquis, tùm Modernis, vt Hieronymus, Damaſcenus, Baſilius, Ambroſius, Chryſoſtomus, Cyrillus Hieroſolymit. Ioſephus libr. 1. Antiquitatum, Philo libr. 1. de Gigant. Ptolomæus 1. Almageſti cap. 1. & alijs quos referunt, ac ſequuntur Tannerus tractat. 1. diſp.6. q.3. dub. 2. num.51. & 66. ac Comptonus diſp. 1. de Natura Cœli ſect. 3. n.6. & hanc puto veriorem, conformioremque ſacris literis.

Pro cuius dillucidatione, ac firmiori fundamento dicendorum, notandum eſt primò, corporum naturalium, alia eſſe ſolida, & dura, alia verò fluida, & liquida. Corpora ſolida, & dura ſunt illa, quæ ſecundum ſuperficiem prementi non cedunt in ſe, neque abſque ſciſſione, aut diuiſione ab alio penetrari, tranſirique poſſunt, vt lapides, metalla, chryſtallus, vitrum, & huiuſmodi. Corpora verò fluida, & liquida dicuntur illa, quæ de facili penetrantur, peruiumque præbent aditum cuicumque corpori tranſire conanti, vt ſunt aer, & omnia aquea, in quibus volueres, & piſces reſpectiuè commeare poſſunt, abſque illorum ſciſſione. Ex his infertur, Cęlum, cùm nequeat alteri corpori quanto, abſque ſui ſciſſione, aut diuiſione peruium præbere aditum, non eſſe naturæ fluidæ, verum ſolidæ, ac duræ, ſaltem vt vitrum perlucidum, ſiue chryſtallus.

Secundò Notandum, vt colligitur ex Doctore Subtili in 2. d.14. q.2. Cœlos Planetarum ex tribus orbibus partialibus coaleſcere, nempè eccentrico ſimpliciter vno, & duobus eccentricis ſecundum quid, exceptis tamen Cęlis Mercurij, & lunæ, qui ex pluribus orbibus componuntur. Eccentricus ſimpliciter dicitur ille, qui ſecundum vtramque ſuperficiem, tam concauam, quam conuexam habet centrum diuerſum à centro totius vniuerſi, & eſt vniformis quoad craſſitiem. Eccentrici verò ſecundum quid vocantur, qui ſecundum vnam ſuperficiem extremam idem habent centrū cum toto vniuerſo, aliud verò ſecundum alteram, & ſunt difformis craſſitiei, quorum alter ſtat ſuper eccentricum ſimpliciter, & alter infra ipſum. Superior tenuiſſimus eſt ea parte, qua eccentricus Orbis maximè à Mundi centro recedit, craſſiſſimus verò in parte oppoſita, vbi idem eccentricus ad terram appropinquabat. Viceuerſa in inferiori pars craſſiſſima tenuiſſimæ ſuperiori ſubeſt, & craſſiſſimæ tenuiſſima: hoc enim pacto, tam ſuperficies conuexa orbis ſuperioris, quam concaua inferioris idem centrum obtinebit, quod totum Cœlum Planetæ, nempe centrum Mundi. Concaua autem ſuperficies ſuperioris, & conuexa inferioris idem habebit centrum, quod orbis eccentricus, & ſic totum Cęlum; vel ſecundùm concauum, vel ſecundum conuexum æqualiter à centro Mundi diſtabit, cuius diſtantiæ. Æqualitas non ſequeretur, niſi circa eccentricum ſimpliciter ponerentur ij duo eccentrici ſecundum quid, inæqualem habentes craſſitiem, quæ omnia meliùs videri, ac conſpici poterunt, ſi huic theoricæ adhiberetur figura, aut ſphæra lignea, vel alia ſimilis.

Tertiò Notandum ex eodem ibidem, Epyciclum eſſe ſphærulam ſolidam, ſeù circulum paruum intra craſſitiem eccentrici ſimpliciter immerſum. In Epicyclo autem affixus Planeta, & ad eius motum circa centrum Planeta reuoluitur, ſicut Epicyclus ad motum eccentrici ſimpliciter circa terram circumducitur; idcircò Epicyclus à Ptolomæo nuncupatur Orbis Planetam reuoluens, & eccentricus, ab Artificibus, dicitur Deferens Epicyclum, ſeù Planetam; quod notanter additur propter So-

lem,

Digitized by Google

lem, qui non habet Epicyclum, ſed eſt in eccentrico ſimpliciter fixus, ac ad eius motum circumducitur. Ex his colligitur, omnes Cœlos, cùm ſint eiuſdem naturæ, differantque ſolùm ſecundum maius, & minus, eſſe ſolidos; tùm quia craſſi ſeruant æqualem proportionem, ac diſtantiam ad centrum vniuerſi; tùm etiam, quia Stellæ fixæ ſiuè inerrantes in Cœlo fixo, ſeù Firmamento, ſeruant inter ſe æqualem diſtantiam, quæ non eſſent, ſi Cœli eſſent fluidi: Non enim ſeruari poſſet vniformitas motus in mobili liquido, ac fluido. Secundò colligitur, Orbes etiam Planetarum fore ſolidos, ſi Cœlum ſtellatum fuerit durum, ac ſolidum; ſiquidem omnes ſunt eiuſdem rationis, & naturæ ſubſtantialis, ſeruantque æqualem proportionem, ac diſtantiam ad centrum vniuerſi, quicquid dicant nonnulli Recentiores, fidentes ſuis Teleſcopijs; quandoquidem hallucinantur, vel ex imperfectione, inſtrumentorum huiuſmodi, vel ex refractione luminis, quæ valdè detrahit à vera locatione, ſyderis, aut ex nimia, & improportionata diſtantia, ſicut aliàs diximus de Stellis Comatis, quæ videntur aliquibus ſupra Lunam, & in altiori locatione poſitæ, cùm, tamen non tranſeant ſphæram Aeris. Huius autem erroris inditium manifeſtè depræhenditur ex diſcordia in aſſignanda, parallaxi, ſeù diſtantia, non tantùm Stellarum Cometarum, ſed etiam Planetarum, in qua valdè variant, vt videre eſt apud illos.

Ex his igitur fit Concluſio. Corpora, Cęleſtia, ſiuè Orbes Stellarum, tàm fixarum, quàm errantium, ſunt omninò ſolida, non autem fluida. Colligitur ex Doctore Subtili in 2. d. 14. q. 2. ſub A, vbi ex Ariſtotele lib. 2. de Cœlo, & Mundo t. 50. & 59. concludit, nullam ſtellam habere, proprium motum localem, ſed omnem, cieri ad motum Orbis, in quo locatur, alioquin, aut deberet dari vacuum in ea parte, quam dereſeret, aut ſi aliquod corpus ſuccederet ad illud impediendum, concludendum foret, corpus cœleſte poſſe rareſieri, aut condenſari, aut ſcindi, & iterum continuari, quæ omnia eſſent abſurda in, corporibus cœleſtibus, igitur de mente, Scoti dicendum venit, Cœlos non eſſe, fluidos ſed ſolidos, & in hoc ſequutus eſt communiorem ſententiam Philoſophorum, ac Theologorum contra nonnullos ex Antiquis, & Recentioribus, relatos in prima, & ſecunda opinione, quibus adiungitur Clemens Timplerus libr. 1. de Cœlo cap. 2. q. 8. Probatur primo ex Sacra Scriptura, nàm Geneſ. cap. 1. dicitur, Deum creaſſe Firmamentum, quod vocauit Cœlum, ſed nomen Firmamenti indicat ſoliditatem, igitur &c. Deinde lib. Iob cap. 37. num. 18. ſubditur ſententia vnius ex tribus eius Amicis, dicentis: *Tu forſitan cum eo* (ſupple cum Deo) *fabricatus es Cœlos, qui ſolidiſsimi, quaſi ære fuſi ſunt*, at æs ſimul ſolidum eſt, ac durum, non autem fluidum, aut liquidum, ergo & Cœli ſimilis conditionis debent eſſe. Nec valet dicere cum Serbellono, huiuſmodi verba non eſſe Iob, ſed Eliud, vnius ex tribus eius amicis, & conſequenter non poſſe facere auctoritatem, ſed ad ſummum, opinionem, cum eius loquacitatem reprehendat Deus in cap. 38. Non valet inquam, quia omnes latini Interpretes agnoſcunt illa verba pro Sacra Scriptura, inſpirata à Deo Eliud, ad magnificandam Dei ſapientiam, & omnipotentiam, relucentes in fabricatione Cęlorum ad inſtar æris fuſi, ſiuè ſpeculi perlucidi. Nec Deus illum reprehendit, quaſi vera non dixerit, ſed ſolùm, quia protulerit, ex temerario iudicio, ad carpendam innocentiam ſui amici Iob, vt inibi obſeruarunt nonnulli Expoſitores. Nec valet etiam reſponſio Arriagæ, & Quiedi, in, huiuſmodi contextu nihil de ſoliditate Cœli contineri, ſed ſolùm ſignificari, Cœlos eſſe firmos, ſtabiles, & incorruptibiles, non tamen ſolidos, ac duros; Verum ipſa Scripturæ verba hanc ſolutionem non admittunt, quinimò apertè oſtendunt Cœlorum ſoliditatem, ac duritiem ad inſtar æris fuſi, inquiunt enim. *Cœlos, qui ſolidiſſimi, quaſi ære fuſi ſunt*; hoc eſt, vt dicunt Pineda, & Maluenda, quaſi ſpecula perlucida ex ære fuſa, igitur ex illis verbis exprimitur ſoliditas Cœlorum, ad inſtar ſpeculi ærei, non autem illorum incorruptibilitas, conſtantia, aut perſeuerantia, vt cenſent illi Doctores, ni vellent extorquere ſenſum verborum Sacræ Scripturæ. Inſuper confirmatur ex Pſalm. 32. v. 6. *Verbo Domini Cœli firmati ſunt*: & ex Pſalm. 101. v. 3. *Extendens Cœlum, ſicut pellem*, atqui certum

tum eſt nomina, *firmati*, & *pellem*, non indicare fluiditatem, aut liquiditatem, ſed ſoliditatem, ac duritiem oppoſitam, ergo ex Sacra Scriptura habemus Cęlos eſſe ſolidos, non verò fluidos, aut liquidos. Secundò Probatur ratione, ſi Cęli eſsent fluidi, liquidi, & non ſolidi, aſtra fixa non ſeruarent ſemper adinuicem eandem diſtantiam, neque errantia vniformem ordinem haberent in ſuo motu, ſed vtrumque conſequens foret valde abſurdum, ergo, & antecedens. Sequelæ maioris probantur, quandoquidem nequit apparere, quomodo in corpore fluido, in quo facile poſſent eleuari, aut deprimi, motus vniformis tanto tempore in eiſdem perdurare potuerit, ac de præſenti poſſet, ergo &c. Minor clareſcit, quoad aſtra fixa ex continua obſeruatione Aſtronomorum, qua cautum eſt, dari inter Stellas fixas ſemper eandem diſtantiam, quoad errantes verò eandem vniformitatem in ſuis Orbibus, in quibus habent moueri, (non enim mouentur aliter, quam motu ſuorum Orbium, vt probat Doctor Subtilis in 2. d. 14. q. 2. art. 1. ſub A. & B.) ergo &c. Tertiò probatur, quia in conſtructione Cęlorum maximè commendantur Diuina potentia, gloria, & ſapientia, ſiquidem potentia elucet in magnitudine Cęlorum; gloria in pulchritudine; & ſapientia in eorundem artificio, iuxtà illud Pſalm. 8. v. 4. *Quoniam videbo Cœlos tuos, opera digitorum tuorum*. Et Pſalm. 135. v. 5. *Qui fecit Cœlos in intellectu*, quæ communiter expenduntur de Cęlorum artificio, ſed artificium Diuinæ ſapientiæ magis elucet ponendo Cęlos ſolidos, quàm fluidos, ergo &c. Minor probatur, quia artificium Diuinæ ſapientiæ. Eo tendit, vt ſingulis annis in hac cęleſti machina fiant ſecuriùs, & abſque periculo errandi, Aſtrorum circulationes, Planetarum occurſus, & recurſus, temporum viciſſitudines, ac conſtantes varietates dierum, & noctium, hyemis, & æſtatis veris, & autumni, aliaque huiuſmodi, ſed hæc omnia ſecuriùs, & abſque periculo errandi euenient, ſi Cęli fuerint ſolidi quam ſi fluidi, ac liquidi, ergo artificium Diuinæ ſapientiæ magis elucebit ponendo Cęlos ſolidos, quam fluidos. Maior patet, quia finis Cęleſtis machinę intentus à Deo fuit, vt ab ea deſcenderent influxus in hæc inferiora ad eorundem conſeruationem in eo ſtatu, in quo fuerunt à Summo Artifice condita. Minor probatur, quia ſi exempli gratia ſphæra Solis foret fluida, cùm ſit multò maior ipſo Sole, poſset Sol, quantum eſt ex vi machinæ, æquè eſse in ſupremo, aut infimo circulo ſuæ ſphæræ, ac in medio, immò vno die; aut anno eſse poteſt in vna parte ſuæ ſphæræ, in alio in alia, ac proinde nihil certi haberemus, ſed omnia eſsent plena confuſione, & quod dicitur de Sole, idem poteſt aſseri de ſingulis Planetis; cæterum ſi fuerint ſphæræ illorum ſolidæ, ſemper fixi manebunt in vna parte, ſicque ſemper ſeruabitur idem tenor agendi, & abſque periculo, in hæc inferiora, qua de cauſa effectus erunt certiores, ac ſecuriores, igitur concludendum eſt, Cęlos debere eſse naturæ ſolidæ, quam fluidæ. Quartò Probatur, quia ſi aliquod Cęlum deberet eſse fluidum, & liquidum, maxime foret Cęlum aqueum, ſeu chryſtallinum, cùm aqua ſit naturæ fluidæ, & liquidæ, ſed hoc non eſt dicendum, ergo multò minus aſseri poterit de alijs. Minor probatur, quia Sancti Patres, & Expoſitores ſuper Geneſim, inquiunt, Cęlum eſſe quidem compactum ex aquis, alterius tamen rationis ab aqua elementari, illaſque fuiſse à Deo ſoliditati, ac perſpicuitati donatas, ſicut chryſtallus, in qua elucit perſpicuitas, tangiturque ſoliditas. Ita Beda in 1. cap. Geneſ. D. Ambroſ. in Hexamet. lib. 2. cap. 2. & 4. D. Auguſt. lib. 2. Gen. ad lit. cap. 4. & 5. & lib. 13. confeſs. D. Bonau. in 2. d. 14. art. 1. q. 1. & alij, quos retulimus in principio huius quæſtionis pro tertia ſententia, ergo etiam de mente Sanctorum Patrum, & abſque dubio meliorum, concludendum eſt, Cęlos omnes exiſtere naturæ ſolidæ, diaphanæ tamen ad inſtar ſpeculi, & chryſtalli.

Objicitur tamen multipliciter contra Concluſionem. Et primo ſic, ſi Cęli eſſent ſolidi, non poſsent commodè cum tali ſoliditate, omnes Cęlorum mutationes, quæ in motibus Planetarum, qui nunc propriùs, nunc remotiùs ſe habent adinuicem, nunc propriùs ad terram, nunc altiùs ab ipſa apparent, explicari, ſed hoc eſſet maximum abſurdum, ergo potius dicendum eſt, Cęlos eſse fluidos, vt commodiùs huiuſmodi mutationes per eos obiti poſ-

poſſint. Sequela maioris probatur; quia non poſſent ſaluari motus Planetarum, abſque ingenti Cœlorum multiplicatione, ac penetratione; ſed nec huiuſmodi multiplicatio, aut penetratio admittenda eſt, ergo potius dicendum eſt, Cœlos eſſe fluidos.

Reſpondetur negando ſequelam Maioris. Ad probationem negatur minor, quandoquidem ſufficiet multiplicatio orbium, nempe eccentrici ſimpliciter, & eccentricorum ſecundum quid, ad cuiuſuis Planetæ motum. Nec inconueniens videtur, aut dubium; quin aſtra penetrare poſſint, ſiue ex natura ſua, ſiue ex diſpoſitione Diuina propter bonum vniuerſi. Nam quemadmodum non eſt inconueniens, quod Deus priuet quantitatem corporum beatorum actuali impenetratione propter ipſorum bonum, ita non debemus cenſeri inconueniens eſſe, quod priuarit quātitatem corporum cœleſtium actuali impenetratione in ordine ad ſeinuicem propter bonum vniuerſi.

Contra, quia licet per eccentricos, & Epicyclos ſaluari poſſit altitudo maior, vel minor cuiuſuis Planetæ à terra, non tamen videtur ſaluari poſſe per eos, quod Planeta exiſtens in Orbe inferiori poſſit apparere ſupra alium Planetam in ſuperiori Orbe exiſtentem, niſi fiat penetratio Orbis inferioris in ſuperiorem, ſed huiuſmodi penetratio, licet ſit poſſibilis Deo, non eſt tamen neceſſaria, cùm poſſint ſaluari tales apparentiæ diſtantes, ponendo Orbes Planetarum fluidos, & liquidos, non autem ſolidos, ergo &c. Maior patet, quia per nos eccentrici non egrediuntur in ſua reuolutione Sphæram connexam Orbis cuiuslibet Planetarum, & Epicycli continentur intra craſſitiem eccentricorum, & conſequenter Planetæ illis infixi nequeunt egredi ex ſuis Orbibus in eorum reuolutione, quare non poterunt vnquam apparere vnus modò ſupra, & modò infra alium; quod eſt contra experientiam Aſtronomorum, niſi tamen fiat ſciſſio, vel penetratio Cœlorum, & Orbium.

Reſpondetur Negando conſequentiam, ſiquidem admiſſis talibus diſtantijs per Aſtronomos aſſertis neceſſaria eſt penetratio Orbium Planetarum, quippe qui cum ſint illis addicti, non poſſent moueri vnus ſuper alium, niſi fieret penetratio Orbium, quibus ſunt infixi: non enim aſtra mouentur proprijs motibus, etiam difformiter, ſed ſolùm motu ſuorum Cœlorum, vt ſuperius obſeruauimus cum Scoto in 2. d. 14. q. 2. ſub A, ex Ariſtotele in 2. de Cœlo, & Mundo t. c. 50. & t. c. 59.

Vel dicendum ſecundò quod data hippotheſi de exiſtentia, locatione, aut apparentia vnius Planetæ ſupra, vel infra aliū, illos non habere proprios Orbes, in quibus exiſtant, ſed omnes eſſe locatos in Sphæra Solis in ſuis tamen Epicyclis, adeò vt Sol ſe habeat ad illos veluti centrum; Vnde fieri poteſt, quod dum Sol, motu raptus, mouetur ab Oriente ad Occidentem, Mercurius, & Venus in ſuis Epicyclis motu proprio cieantur à ſeptemtrione ad Meridiem, ſicque circumeant Solem, vt inde appareant modò infra, & modò ſupra ipſum. Idem dicendum eſt de Marte, ſi conſpiciatur interdum cum Ioue infra Solem.

Verùm, & hæc reſponſio patitur graues difficultates; quandoquidem nequit intelligi, quonam pacto Epicycli, in quibus infixi mouent tales Planetæ, moueantur de loco ſuo, abſque hoc, quod relinquant ibi vacuum, non enim ponimus Sphæram Solis fluidam, aut liquidam, vt fiat ſucceſſio vnius partis ad aliam. Nec eſt ibi aliud corpus, quod ſubintrare poſſit ſpatium Epicycli indè moti, igitur vel fateri cogimur, Cœlum, in quo locantur Planetæ in ſuis Epicyclis, fore fluidum, vel ſi moueantur a ſuis locis, aut infra Solem, vel ſupra, in eis dari vacuum, quod vtrumque eſſet valdè abſurdum in noſtra ſententia, qua ſtatuimus ſoliditatem omnium Cœlorum.

Meliùs igitur, & congruentiùs dicendum eſt tertiò, huiuſmodi apparentias, ab Aſtronomis aſſertas, eſſe vanas, illoſque hallucinari, vel ob imperfectionem inſtrumentorum, quibus vtuntur, vel ob nimiam diſtantiam, vel ob refractionem luminis, quæ valdè detrahit a vera, & propria locatione cuiuſuis Planetæ, vt in ſimili ſuperius obſeruauimus, ac alias diximus de Stellis Comatis, Galaxia, Halone, cæteriſque apparentijs. Quare concedimus quidem, Planetas moueri in ſuis Epicyclis, ac Eccentricis

Digitized by Google

in ſua quaque Sphæra, nec tamen ab eis egredi: quò fit, vt ad difformitatem motuum vniuſcuiuſque Planetæ, ſufficiant tres eccentrici, vnus ſimpliciter, & duo ſecundum quid, vnà cum Epicyclis, vt diximus reſpondendo ad primam obiectionem.

Obijcitur ſecundò. Si Cœli eſſent ſolidi, non poſſent videri Cometæ, niſi infra Lunam, ſed hoc eſt contra communem obſeruationem peritiſſimorum Aſtrologorum, ergo dicendum eſt, Cœlos eſſe fluidos. Sequela maioris probatur, quia cùm Cometæ oriantur ab exhalationibus, aut è terra eleuatis, aut à Planetis profluentibus, vt nonnullis placet, ſi Cœli eſſent ſolidi non poſſent illas peruadere abſque penetratione, ac proindè non viderentur ſupra, ſed infra Lunam dumtaxat. Minor probatur, quia ex minima parallaxi, aut interdùm nulla, inter Cometas, & Stellas fixas, coacti fuerunt Aſtrologi fateri, Cometas, interdùm exiſtere non ſolum ſupra Lunam, ſed etiam ſupra Solem, Martem, Iouem, ac Saturnum, immediateque ſub Firmamento, igitur dicendum eſt Cœlos fore fluidos, non autem ſolidos.

Reſpondetur, vt etiam alibi diximus, concedendo ſequelam maioris, ſiquidem omnis Cometa, ſicut efformatur infra Lunam, ita inibi, ſecundum veritatem, tantùm conſpici à nobis poteſt, licet ob nimiam diſtantiam locatus videatur ſupra Lunam, & tunc maximè, cùm aliquis Planetarum, aut aliqua ex Stellis fixis, attrahit ad ſe exhalationem terreſtrem, & effingitur in Cometam, quemadmodum, cum Ariſtotele, & Doctore Subtili, diximus lib. 1. Meteorologicorum diſp. 2. q. 4. poſſe fieri. Neque tanti facienda eſt opinio Recentiorum Aſtrologorum, vt ob id cogamur recedere à Peripatetica ſententia de Cometarum natura, & à Theologica de Cœlorum ſoliditate, ſiquidem, vt inquit Clauius Rerum Mathematicarum peritiſſimus, non eſt multùm deferendum obſeruationibus Recentiorum Aſtrologorum, & præſertim, addiderim ego, Tychonis Brahæ, cùm pro ſuſpectis, vt plurimùm haberi debeant, vt etiam obſeruauit Tannerus in 1. part. diſput. 6. quæſt. 3. dub. 2. à num. 51. vſque ad 66. & eò magis quando pugnare videntur cum veritate infallibili Sacræ Scripturæ, ac Sanctorum Patrum auctoritatibus, vt in propoſito de Cœlorum ſoliditate accidit. Neque parallaxes ab eiſdem decantatæ quicquam iuuare illos poſſunt, ſiquidem diſtantia nimia, quæ interponitur inter noſtros aſpectus, & aliquem Cometam, ac Stellam fixam ab ea efformatum, facit, vt iudicent (ſed falsò) exhalationem, ab ipſa Stella attractam, fore ſibi contiguam, vt indè poſteà arguant, Cometam illum eſſe locatum ſupra omnes Planetas, cùm tamen reuera infra Lunam duntaxat exiſtat. Huiuſmodi autem halucinatio prouenit, vt ſupra obſeruauimus, vel ab imperfectione inſtrumentorum, vel à refractione luminis, aut ex nimia diſtantia, quæ omnia cauſare valent deceptionem in ſenſibus, & per conſequens deprauare etiam de illis iudicium intellectus.

Obijcitur tertiò. Si Cœli non eſſent fluidi, ſed ſolidi ſequeretur, quod ad motum vnius Planetæ, vt putà Saturni, ingens moles totius Orbis, in quo exiſteret, cieri deberet, atqui hoc foret maximum abſurdum, ergo & illud, ex quo ſequitur. Sequela maioris probatur ex differentia corporis ſolidi, ac fluidi, quod huius vna pars moueri poteſt, reliquis manentibus immotis, illius verò quædam pars moueri nequit, quin omnes moueantur vna cum ſuo toto. Minor probatur, nam ſicut videretur abſurdum, ſi totus Oceanus moueri cogeretur ad motum vnius guttæ aquæ in illo contentæ, ita videretur alienum à ratione, vt moles tam magna, ſicut eſt Orbis Saturni, moueri deberet ad motum illius Planetæ, ergo &c.

Reſpondetur concedendo ſequelam maioris, & negando Minorem, præſertim cùm res exigua non poſſet à cauſis ſecundis, ità commodè moueri, niſi moueretur ad motum rei maioris. Quo circà ſi gutta aquæ Oceani rectè, ac commodè moueri non poſſet (ita poſtulante ordine Vniuerſi) quin totus Oceanus moueretur, illius motus foret neceſſarius, ad hoc vt illa gutta moueri poſſet. Idem dicendum eſt à ſimili de motu vnius Planetæ, ac ſui Orbis.

Obijcitur quartò. Nam aliquæ Cœli partes ſunt fluidæ, ergo totum Cœlum debet eſſe fluidum: Eadem namque ratio eſt totius, & partis ſecundum Ariſtotelem

hic

Digitized by Google

hic t. 19. Antecedens probatur, quia in Cœlis ſunt veræ aquæ, vt docent Sancti Patres Auguſt. ſuper Gen. ad litteram, Baſilius, & Beda apud Magiſtrum Sent. in 2. d. 14. part. 1. ſed aqua eſt naturæ fluidæ, & non conſiſtentis, ergo, & Cœlum debet eſſe fluidum, & non conſiſtens.

Reſpondetur negando antecedens. Ad probationem, concedimus dari in Cœlo veras aquas, at negamus illas eſſe fluidas, ſiquidem vt obſeruat Beda vbi ſupra; aquæ cœleſtes ſunt ad inſtar Chryſtalli firmæ, conſiſtentes, ac ſolidæ: Nam vt ſubdit D. Auguſtinus ibidem, ſunt glaciali ſoliditate ſuſpenſæ, nè ſicut illæ, quæ detinentur in nubibus, labantur, ac guttatim deſcendant. Ex quibus inferendum eſt, Cœlum, ſiuè ſecundum totum, ſiuè ſecundum partem, ſemper eſſe ſolidum, & nullo pacto fluidum, lucidum tamen, perſpicuum, ac diaphanum ad inſtar puriſſimi Chryſtalli.

Vtrum Motui circulari Corporum Cœleſtium ſit aliquod contrarium?

QVÆSTIO V.

RESolutio huius difficultatis pendet, non ſolùm ab his, quæ adnotauimus ſupra in Expoſitione textus 10. 20. & 23. ſed potiſſimum ex illo axiomate Ariſtotelico, quod aſſeruit, ac probauit libro 10. Metaphyſic. t. 14. & 17. *Vnum vni tantum contrarium eſt*. Ex quo infert, quod cùm motus recti ad medium, & à medio opponantur contrariè, neuter poterit eſſe contrarius circulari, qui fit circa medium. Verùm quoniam huiuſmodi Axioma impugnatur à nonnullis ex Antiquis, propterea inre meritò quærendum eſt in præſentiarum de illius veritate, & conſequenter, an ſubſiſtere poſſit ſententia Ariſtotelis, quod nimirum motui circulari nullus motus ſit contrarius. Vnde pro eius maiori declaratione, ac fundamento dicendorum,

Primò Notandum eſt ex aliàs dictis, contrarietatem motuum dupliciter attendi poſſe, nempè ab intrinſeco, & ab extrinſeco. Si priori attendatur modo, illi motus dicuntur contrarij, quorum rationes formales pugnant adinuicem formaliter, vt ſimul, & ſemel in eodem ſubiecto, vel ſuppoſito conſiſtere nequeant, & ſic motus caloris, & frigoris in ſummo formaliter opponuntur, quia ratio formalis vnius formaliter excludit rationem formalem alterius, & de hac contrarietate non eſt ſermo in propoſito, cùm illa potiùs dicenda ſit diſparitas, quàm contrarietas. Si verò attendatur poſteriori modo, illi motus dicuntur contrarij, quorum termini *ad quos* maximè diſtant, vt ſimul conſiſtere nequeant in eodem ſubiecto, vt albicatio, & nigricatio dicuntur contrarij motus, quia albedo, per albicationem acquiſita, nequit conſiſtere cum nigredine per nigricationem pariter acquiſita. Similiter motus locales aſcenſus, & deſcenſus ſunt contrarij, quia loca ſurſum, & deorſum valde diſtant, vt nequeant eſſe ſimul, & de hac contrarietate motuum loquimur in præſenti.

Secundò Notandum eſt, contrarietatem adhuc dupliciter ſpectari poſſe ſcilicet largè, & ſtrictè. Contrarietas largè ſe extendit ad quamcumque oppoſitionem, ſiue poſitiuam, ſiue priuatiuam, vel negatiuam, & ſic motus, & quies, viſus, & cæcitas, album, & non album appellari poſſunt contraria. Contrarietas verò ſtrictè reſtringitur ad repugnantiam duarum entitatum accidentalium poſitiuarum, quæ ſic diffinitur ab Ariſtotele libro quinto Metaphyſic. capit. 10. t. 16. *Contraria dicuntur, quæ non poſſunt ſimul eidem adeſſe, cùm eorum ſint, quæ ſecundum genus differunt, & quæ plurimum differunt, cùm in eodem ſuſceptiuo ſint*. Quæ diffinitio ex eodem in Poſtprædicam. capit. de Oppoſitis, ſic communiter expenditur: *Contraria ſunt, quæ ſub eodem genere poſita, maximè à ſeinuicem diſtant, & mutuò ſe expellunt ab eodem ſuſceptiuo, cui viciſſim inſunt*. Quare cùm maximè diſtare ſit ſolùm extremorum, & extrema in eodem genere adinuicem collata ſint tantùm duo, ſequitur, quod vnum duntaxat vni ſoli ſit contrarium, adeò vt ſi alia repugnent, vel hoc erit in alio genere, vel ratione participationis extremorum, quæ tamen non erit perfecta contrarietas; vt docet Ariſtoteles libro 10. Metaphyſic. t. 14. Ex his infertur, quod cùm inter motum circularem, & rectum, ſiuè

ſurſùm, ſiuè deorſùm, non ſit maxima diſtantia, neque in eodem genere contrarietatis, nempe poſitiuæ, verùm duntaxat priuatiuæ, motum circularem non habere propriè loquendo, alium motum contrarium.

Tertiò Notandum eſt, motus corporum ſimplicium dupliciter ſpectari poſſe, vno modo vt inſunt illis, quatenus ſimplicia ſunt, alio modo quatenus ſunt partes conſtitutiuæ vniuerſi. Si priori modo attendantur huiuſmodi motus non inconuenit vni motui ſecundum naturam plures opponi præter naturam, & oppoſitione communi, ſiuè imperfecta, ſiquidem motui naturali ignis ſurſum opponitur, non ſolùm motus deorſum, diſtans ab eo propriè, ſed etiam motus in gyrum, & ad latus, qui communiter ſolùm ſibi aduerſantur. Si verò attendantur poſteriori modo, tunc impoſſibile eſt vni motui ſecundum naturam, plures alios motus contrariari; quandoquidem vniuerſum, cùm conſtituatur circulare, & in circulo ſint tantum duo, nempè centrum, & circumferentia; in circumferentia autem ſit ſolùm motus circularis, & in centro rectus duplex ſcilicet ab ipſo ad circumferentiam, qui vocatur motus ſurſum, & à circumferentia ad ipſum, qui vocatur deorſum, ſequitur de neceſſitate, hos tantum duos eſſe contrarios adinuicem, & nulli ſecundum naturam aduerſari, ac proindè motui circulari nullum alium motum poſitiuè contrariari.

Quartò Notandum ex Ariſtotele 10. Metaphyſic. t. 14. & 17. quod ad veritatem propoſitionis eiuſdem: Vnum vni tantùm eſt contrarium, duæ conditiones requiruntur. Prima, quod contrarietas de qua debet verificari, ſit perfecta, hoc eſt dictu, quod ſit inter extrema contraria, quæ maximè à ſeinuicem diſtent ſub eodem genere, & mutuò ſe expellant formaliter ab eodem ſubiecto; defectu cuius ſequitur, quod inter medium, & extremum, vt inter album, & viride, non ſit perfecta contrarietas, cùm non maximè diſtent; ſiquidem magis diſtat album à nigro, quàm à viridi, & nigrum pariter plus diſtat ab albo, quam ab eodem viridi. Secunda, quod verificetur in eodem genere contrarietatis; nam in diuerſo genere non inconuenit, plura vni opponi, quandoquidem album, quod opponitur contrariè nigro, poteſt opponi non albo contradictoriè; cæterum oppoſitio contradictoria, & contraria perfecta ſpectant ad diuerſa genera contrarietatis, de quibus loquitur Philoſophus in præcitato loco. Hinc ſequitur, quod cum extrema ſint tantum duo, & non plura, & contrarietas perfecta ſit duntaxat inter extrema, vnum tantùm extremum vni extremo fore contrarium, & ſic vnum vni duntaxat eſſe contrarium.

Ex his ſit prima Concluſio. Motus circularis Corporum Cœleſtium nullum habet motum contrarium, ſaltem contrarietate perfecta. Eſt Ariſtotelis in t. 24. Probatur ab ipſo ſic; nam ſi motus circularis haberet motum contrarium, vel talis eſſet motus rectus, vel circularis, ſed neutrum eſt dicendum, ergo &c. Maior patet à ſufficienti enumeratione omnium motuum, ſiquidem omnis motus, vel eſt rectus, vel circularis, ex eodem Ariſtotele, vbi ſupra t. 23. & 24. Minor probatur. Non eſt dicendum, quod eſſet rectus, quia talis, vel eſt à medio ad circumferentiam, hoc eſt ſurſum; vel à circumferentia ad medium, ideſt deorſum, ſed neque ſurſum, neque deorſum contrariatur circulari, ergo motus rectus non contrariatur circulari. Maior habetur in hoc primo libro t. 5. & t. 24. Minor probatur, quia ſurſum contrariatur deorſum, ergo neutrum contrariatur motui circulari. Conſequentia tenet ex illo axiomate Ariſtotelis libro 10. Metaphyſicorum t. 14. & t. 17. Vnum vni tantùm eſt contrarium, igitur ſi ſurſum, & deorſum contrariantur adinuicem, neutrum contrariari valet motui circulari. Neque dici poteſt, quod eſſet circularis, quia magis diſtat motus rectus à circulari, quàm circularis à circulari, ſed motus rectus non contrariatur circulari, vt probatum eſt, ergo multòminus contrariabitur circularis circulari. Conſequentia tenet ex illa Maxima Topica, ſi id quod magis videtur ineſſe non ineſt, neque id, quod minus videtur, ineſſe inerit, atqui magis videtur rectus contrariari circulari, quàm circularis circulari ob maiorem diſtantiam recti à circulari, & tamen non eſt ei contrarius, igi-

igitur multò minus poterit eidem contrariari alter circularis. Secundò probatur Concluſio, quia motus contrariantur propriè à ſuis terminis, qui cùm nimis diſtent, nequeunt in aliquo eodem conſiſtere, vt docet Ariſtoteles 7. Phyſicorum Sum.4. & 8. Phyſicorum Sum.3. per totas. Sed præſertim 5. Phyſicorum Sum. 3. per totam, ſed motus circularis, cùm ſit continuus ex eodem Ariſtotele 8. Phyſicorum Sum.3. cap.3. & 4. nequit habere terminos diſtantes, ergo nec vllam habere poteſt contrarietatem.

Secunda Concluſio. Loquendo tamen de contrarietate imperfecta, & ab intrinſeco, nullum erit inconueniens dicere, motui circulari corporum Cœleſtium ineſſe contrarietatem. Colligitur ex Ariſtotele pluribus in locis: nam 8. Phyſicorum t. 65. docet, motum circulo factum ſecundum reflexum non eſſe continuum, & vnum, quia motus reflexus eſt compoſitus ex contrarijs motibus: quod probat t. 73. vbi inquit, quod motus factus ſuper ſemicirculo à B. ad A. eſt oppoſitus motui facto ſuper eodem ab A. ad B. Deinde libr.2. de Generat. & Corrupt. t. 56. oſtendens, quare in rebus contingat generatio, & corruptio, inquit, refundendam eſſe cauſam in contrarietatem motuum Orbium Cœleſtium, quorum alij ſunt ab Oriente ad Occidentem; alij verò oppoſiti ab Occidente ad Orientem. Inſuper in hoc libr. t.25. probare volens, motum circularem non habere alium motum circularem contrarium, arguit à maiori ad minus hoc pacto: Magis opponitur motus rectus ſurſum circulari, quam motui deorſum, ſiquidem linea recta, ſuper qua fit motus rectus, magis opponitur circulari, quàm alteri rectæ, ſed motus rectus ſurſum opponitur motui deorſum contrariè, ergo & circulari ſic debet opponi. Conſequentia tenet, quia comparatiuum magis ſupponit poſitiuum in vtroque motu comparabili. Denique in hoc eodem lib. t. 32. demonſtrare volens, motum circularem non habere cõtrarium alium motum circularem, ait, ſi moueantur duo mobilia ſuper circulo, & ſeinuicem occurrant, quod erit maioris virtutis vincet illud, quod minorem reſiſtentiam habebit, atqui pugna nequit eſſe abſque contrarietate motuum, ergo vnus motus circularis erit contrarius alteri circulari; Sed in omnibus his locis Philoſophus locutus eſt de contrarietate motuum, vel imperfecta, vel ab intrinſeco, à rationibus formalibus eorumdem motuum deſumpta, ergo motus circularis poterit habere alium motum contrarium hoc pacto. Minor oſtenditur inducendo per omnia loca adducta. Nam in primo loco loquitur de contrarietate motuum ab intrinſeco, & ratione viæ, ſeù fluxus, quæ eſt imperfecta, non verò de illa, quæ accidit ab extrinſeco ratione terminorum oppoſitorum, ſiquidem motus reflexus terminatur ad idem punctum, à quò incipit; non enim quieſcit mobile in puncto reflexionis, alioquin non eſſet continuus, quod tamen eſt falſum. In ſecundò eſt ſermo de motu, facto ſuper linea ſemicirculari, in qua cùm ſint termini oppoſiti, ſignati quidem actu, poterit in eis dari contrarietas, quæ tamen non eſſet ſimpliciter perfecta; ſiquidem termini poſſent in vnum concurrere, ac proindè fieri motus continuus, & circularis, in quo nulla eſſet poſteà contrarietas. In tertiò fatur de contrarietate motuum intrinſeca, & ratione viæ, non verò extrinſeca ratione terminorum: Planetarum Orbes enim mouentur circa centrum, in quo non ſunt ſignati termini oppoſiti, ad quos poſſent fieri motus contrarij ab extrinſeco. In quartò pariter eſt ſermo de contrarietate imperfecta; ſiquidem linea recta, ſuper qua fit motus rectus ſurſum, & deorſum, licet ſit diuerſa, & diſparata à circulari, in qua fit motus circularis, non tamen eſt ei contraria; vnde ad ſummum poteſt argui aliqua oppoſitio diſparata, non verò contraria perfecta. In vltimò denique ſolum concludi poteſt contrarietas motuum ab intrinſeco, & ratione viæ, non verò extrinſeca, & ratione terminorum oppoſitorum, quandoquidem, ſicut occurſus mobilium foret ad idem punctum in linea circulari, ſic & motus pugnæ terminaretur ad vnum, & eundem terminum, & ſic, vel nulla eſſet contrarietas, vel ſaltem non eſſet perfecta, ergo motus circularis non poteſt habere propriè alium motum contrarium, contrarietate perfecta, verùm duntaxat imperfecta, vt dictum eſt in concluſione.

Digitized by Google

Obijcitur tamen primo contra primam Concluſionem. Si motui circulari corporum cœleſtium alius motus non poſſet eſſe contrarius, hoc maximè eſſet, quia vnum pluribus nequit eſſe contrarium, igitur cùm motus rectus diuidatur in duos contrarios motus ſcilicet ſurſum, & deorſum, neuter illorum poterit propriè aduerſari motui circulari, atqui illa ſuppoſitio, vnum vni tantùm contrarium, eſt omninò falſa, ergo motui circulari poterit eſſe alius motus contrarius. Maior eſt Ariſtotelis in hoc 1. lib. t. 10. & t. 24. vbi probat, ex tali ſuppoſitione, nullum motum poſſe aduerſari motui circulari. Minor probatur, tùm quia motui ignis ſurſum contrariatur motus eiuſdem deorſum rectus, & obliquus, nempè in gyrum, & ad latus: tùm etiam, quia virtuti liberalitatis aduerſatur motus prodigalitatis per exceſſum, & auaritiæ per defectum: tùm denique, quia ex Ariſtotele quinto Phyſicorum, vnus motus contrariatur alteri motui, ac quieti, ſed in omnibus his apparet multiplex contrarietas ad vnum, ergo falſa eſt ſuppoſitio, quod Vnum vni tantùm ſit contrarium, ac proindè quod motui corporum cœleſtium circulari nullus alius motus aduerſari poſſit.

Reſpondetur concedendo ſequelam maioris, & negando minorem de contrarietate perfecta, ac poſitiua de qua ſola eſt ſermo in tali ſuppoſitione. Neque probationes in oppoſitum multum vrgent; cùm faciant tranſitum ad diuerſa genera contrarietatum. Vndè ad primam dicimus, motui ignis ſurſùm propriè, ſolùm aduerſari motum eiuſdem deorſùm rectum; alij verò motus ad latus, & in gyrum, cùm nón maximè diſtent à motu ſurſum igni recto, quamuis admittant aliquam contrarietatem imperfectam, nequeunt tamen dici contrarij contrarietate propria, ac perfecta. Ad ſecundam eodem modo dicimus, prodigalitatem, & auaritiam, cùm illa motum exceſſus, hæc verò defectus motum præſeferat, propriè, ac perfectè tantùm ad ſeinuicem aduerſari, cæterùm cum liberalitate ſolùm imperfectè contrariantur ob carentiam maximæ diſtantiæ, quæ neceſſariò exigitur ad contrarietatem perfectam, vt aduertimus cum Ariſtotele in 2. Nor. Ad tertiam ſimiliter reſpondemus, vnum motum ratione ſui termini aduerſari alteri motui ratione termini incompoſſibilis in eodem cum priori, contrarietate propria, ac poſitiua; at cum ſua quiete ſolùm priuatiuè opponuntur, quæ tranſit ad aliud genus contrarietatis, nimirum impropriæ, & imperfectæ.

Obijcitur ſecundò ex Ioanne Gramatico, quia Ignis elementaris, per Ariſtotelem, dùm exiſtit in concauo orbis Lunæ mouetur circulariter, vel igitur mouetur ſecundum, vel præter naturam. Si dixerit primum, igitur habebit ignis duos motus ſimplices ſecundum naturam, quod eſt contra ipſum in t. 7. Si ſecundum, ergo motui ignis ſurſum duo motus erunt contrarij, nempè motus deorſum, & circularis, quod eſt contra concluſionem. Confirmatur, quia Ariſtoteles ſupponit in t. 10. motui circulari poſſe ineſſe contrarium motum, igitur, vel ſibi contradicit, vel concluſio eſt falſa, nempè quod motus circularis nequeat habere contrarium. Antecedens probatur, quia ſic arguit probando Cęlum non eſſe aliquod ex corporibus ſimplicibus. Si Cœlum, verbi gratia eſſet ignis, qui circulariter fertur, vel hoc contingeret ſecundum naturam, vel præter naturam. Si dicatur primum, ergo habebit duos motus ſimplices ſecundum naturam: Si ſecundum, igitur duo vni erunt contraria, igitur ſupponit motum circularem poſſe habere motum contrarium, alioquin nulla eſſet conſequentia, ergo duo vni erunt contraria.

Reſpondetur eodem modo, Vni duo poſſe contrariari in diuerſo genere contrarietatis, non autem in eodem genere; modò concluſio intelligitur in eodem genere contrarietatis, nimirum perfectæ. Ad confirmationem dicimus eodem modo. Neque Ariſtoteles ſibi contradicit admittendo aliquam contrarietatem in motu circulari ignis præter naturam; ſiquidem non eſſet ad vnum genus contradictio, verùm ad diuerſa: quandoquidem motus circularis poteſt habere contrarium alium mótum ab intrinſeco, & ratione propriæ formæ, non tamen ab extrinſeco reſpectu diuerſorum contrariorum terminorum, qui nulli habentur in motu circulari, vt aliàs dictum eſt.

De

Digitized by Google

De Mundi, ſiuè Vniuerſi quantitate.

SVMMA VII.

PRincipia, & partes integrales, ex quibus componi videtur Mundus, ſeù Vniuerſum, in ſuperioribus tradidit Philoſophus, nunc quaſdam perfectiones, affectiones, & attributa, quæ illi conuenire, aut non conuenire poſſunt, aggreditur; & primùm in præſenti Summa, quæ vnicum tantùm caput complectitur, diſquirere intendit, an Mundus ſit finitæ, vel infinitæ quantitatis; pro cuius reſolutione mouet hanc quæſtionem; Nùm ſit dabile aliquod corpus infinitum, quemadmodum nonnulli ex Antiquis Philoſophis putauerunt: vel an hoc ſit vnum impoſſibilium?

Cæterùm antequam categoricè reſpondeat propoſitæ difficultati, in T. XXXIII. contextu, dicit, quod diſputare de hac quæſtione eſt valdè vtile, cùm hinc exordium, ac principium omnium controuerſiarum, quæ de tota natura enunciarunt, deſumptum ſit. Siquidem cognoſcere, quidnam circa infinitum ſtatuendum veniat, multum refert, quia paruus error in principio, in fine magnus euadit; Vt ſi quis dicat, ponendam eſſe minimam magnitudinem, ſiuè in quantitate continua, poſſe inueniri partem indiuiſibilem, euertere videtur maximas Mathematicorum ſuppoſitiones, inter quas præcipua eſt hæc, quod quacumque linea data, poteſt fieri diuiſio illius in duas medietates vſque in infinitum, igitur valde refert noſſe, quid de infinito dicendum ſit. Probat hanc concluſionem, quia principium ſcientiæ, virtute maius eſt, quam magnitudine, quandoquidem ex poſitione veri principij, virtualiter multæ concluſiones educuntur, ſicut ex eius negatione multi errores inducuntur, ſed infinitum habet vim maximam, & ratione principij, & ratione quantitatis, ergo noſſe quid infinitum præſeferat, valdè refert. Minorem oſtendit, & primo quod infinitum maximam vim habeat ratione principij, quia ſi concedatur in Philoſophia, tolluntur ferè omnes veritates illius; tollitur enim motus, quia in 3. Phyſicorum probatum eſt, infinitum eſſe immobile; hinc auferuntur omnes operationes, ac accidentia, quæ virtute motus inducuntur in corporibus naturalibus, ergo infinitum habet maximam vim ratione principij. Secundò probat ipſam habere etiam ratione quantitatis, quia poſito infinito in magnitudine actu, deuaſtantur omnia corpora finita, vt de ſe patet, ergo concludendum eſt, quod quemadmodum ex poſitione infiniti ſequuntur tot inconuenientia, oppoſita igitur ſequentur ex poſitione finiti; quare non erit irrationabile inueſtigare vtrorumque naturã, & quodnam conueniat Mundo, finitum, vel infinitum, & hoc an ſit poſſibile, vel impoſſibile in vniuerſo.

Quapropter in T. XXXIV. ſtatuit hanc concluſionem negatiuam, quod Mundus non ſit infinitæ quantitatis, quam ſic probat: Omne corpus quantum, aut eſt ſimplex, aut compoſitum; ſi ſimplex, vel eſt Elementum, vel Cęlum: Si compoſitum, aut eſt animal, aut planta, aut quodlibet aliud ſimile, igitur cùm infinitum ſit corpus quantum, neceſſe eſt eſſe, aut corpus ſimplex, aut compoſitum, ſed neutrum eſt dicendum, ergo cùm Mundus ſit corpus quantum, non poterit eſſe infinitum. Minorem probat, quod non ſit compoſitum, quia vel eſſet compoſitum ex Elementis, finitis numero, & magnitudine, vel ex infinitis, neutrum dici poteſt, ergo infinitum nequit eſſe corpus compoſitum. Probat minorem, quod non ex finitis, numero, aut magnitudine, quia tunc non eſſet infinitum, verùm finitum exiſteret: nam tantum eſt compoſitum, quanta ſunt componentia, ergo ſi conſtaret ex Elementis finitis numero, & magnitudine, iam non eſſet infinitum, ſed finitum. Neque ex infinitis poſſet eſſe compoſitum, talia namque componentia, aut eſſent numero, aut magnitudine infinita. Sed neutrum eſt dicendum, ergo &c. Minorem probat, & primo quod non componatur ex infinitis numero, ſiquidem, cùm talia ſint tantùm quinque, cuiuſmodi ſunt corpora ſimplicia, nempè Cœlum, Ignis, Aer, Aqua, & Terra, iam non eſſet infinitum, ſed finitum, ex componentibus numero determinatis, quæ deſtruerent naturam infiniti. Secundò quod huiuſmodi componentia nequeant eſſe magnitudine infinita, probabitur in ſequenti textu, ergo conclu-

dendum eſt Mũdum non eſſe corpus compoſitum infinitum.

Deinde probat alteram partem, quod non ſit corpus ſimplex infinitum in magnitudine, ſiquidem nullum tale eſt poſſibile, ergo &c. Antecedens probatur ſex rationibus, quarum prima poſita in T. XXXV. eſt huiuſmodi. Si daretur tale corpus ſimplex infinitæ magnitudinis, tale maximè foret Cœlum, quod circulariter fertur, ſed nullum mobile circulariter poteſt eſſe infinitum, ergo &c. Maior patet, quia ex omnibus corporibus ſimplicibus, Cœlum eſt extenſionis magnitudinis, vt eſt manifeſtum. Minor probatur, quia nullum infinitum percurri, aut pertranſiri poteſt, ſed omne corpus, quod circulariter fertur percurri, ac petranſiri poteſt, ergo &c. Minor probatur, quia ſi à centro ad circumferentiam ducantur duæ lineæ, non parallelæ, ſed obliquæ, itaut faciant angulum, cuius conus ſit in centro, & ſint A, & B. vel ergo Cœlum mouebitur ab A, ad B. aut non; ſi dixeris non poſſe moueri, cum ſit infinitum, hoc eſſet contra experientiam, quia quotidiè voluitur. Si autem dixeris ipſum moueri, igitur percurret totum illud ſpatium, quod eſſet inter lineam A, & B, ac proinde ſequitur non fuiſſe infinitum, cùm hoc nequeat percurri, aut pertranſiri. Vel ſic formetur ratio. Si corpus circulare eſſet infinitum, aut eſſet mobile, aut immobile: Non eſt dicendum fore immobile, quia verſari quotidiè cernitur. Si mobile circulo, ergo à puncto ſignabili in circumferentia cietur ad idem punctum, igitur pertranſibit totum illud ſpatium interpoſitum, atqui infinitum nequit pertranſiri, ergo illud corpus circulare non erat infinitum.

Secundam rationem conficit in T. XXXVI. ſed prius ſupponit duo. Alterum, quod ſi à tempore finito auferatur tempus finitum, illud, quod remanet, debet eſſe finitum. Alterum verò quod iſta tria ſe conſequuntur ſcilicet tempus, motus, & mobile, ita quod ſi tempus eſt finitum, & motus, ac mobile debent eſſe finita. Sic ergo arguit. Si Cœlum infinitum corpus eſſet, non poſſet ſpatio finito temporis gyrum ſuum perficere, atqui illum perficit ſpatio vigintiquatuor horarum, ergo ſequitur illud non eſſe infinitum. Minor eſt nota per experientiam. Maior probatur, quia tempore finito nequit fieri motus infinitus, nec tranſiri ſpatium infinitum, ex ſecunda ſuppoſitione, igitur ſi Cœlum mouetur tempore finito, ſic motus erit finitus, & magnitudo pariter debet eſſe finita. Conſequentia probatur, quia ſi linea A, & B, ducatur à centro Cœli ad circumferentiam, & alia infinita DD. ponatur iuxta circumferentiam eiuſdem quieſcens, linea illa recta A, & B, tempore finito tranſiret ſucceſſiuè aliam DD. & ſpatium infinitum, quod eſt abſurdum, cum infinitum pertranſiri nequeat, igitur dicendum eſt, quod tranſeat finito tempore ſpatium finitum, ac proinde, quod magnitudo Cœli ſit finita.

In T. XXXVII. & XXXVIII. conficit tertiam rationem, probando Cœlum non poſſe eſſe infinitum; verùm quia antequam illam formet, nimia prolixitate, aliqua ſupponendo, diſcurrit, idcircò omnibus poſthabitis ſic breuiter conficitur. Si Cœlum eſſet infinitum, ſua concaua ſuperficie non percurreret, quæ in illa continentur, niſi tempore infinito, ſed hoc repugnat experientiæ, quia ſpatio vigintiquatuor horarum circulum abſoluit, ergo dicendum eſt, illum non eſſe infinitum. Sequela maioris patet ex ſuppoſitionibus ſuperiùs factis in t. 36. quandoquidem mobile, motus, & tempus ſe conſequuntur, igitur ſi Cœlum, quod eſt mobile, ſit infinitum, eius motus deberet tempore infinito menſurari, ac proinde non poſſet pertranſire corpora finita, in eo contenta, niſi tempore infinito, quod tamen eſt falſum.

In T. XXXIX. ponit quartam rationem, quæ ſic formatur: Quod clauditur terminis nequit eſſe infinitum, ſed neceſſariò debet eſſe finitum, atqui omne corpus mathematicum, ſeù quantitatuum clauditur terminis, cùm figura, ergo nequit eſſe infinitum, ſed finitum. Minor patet, quia corpus quantitatiuum conſtat trina dimenſione, nempe longitudine ratione lineæ, latitudine ratione ſuperficiei, & profunditate, qua corpus quantum eſt; atqui certum eſt lineam

eſſe

Digitized by Google

eſſe finitam ſecundam latitudinem, ſuperficiem pariter finitam ex parte profunditatis, ergo corpus mathematicum, ſiuè quantitatiuum clauditur terminis, ac per conſequens nequit eſſe infinitum ſed finitum.

In T. XL. conficitur quinta ratio pro eadem Concluſione probanda hoc pacto. Si Cœlum eſſet corpus circulare infinitum, ſequeretur, quod numquam poſſet motum circularem perficere, ſed hoc repugnat experientiæ, ergo Cœlum nequit eſſe corpus circulare infinitum. Sequela maioris oſtenditur ab eodem hoc pacto: Nam imaginemur in corpore circulari vnam lineam infinitam, tranſeuntem centrum, & vocetur A, B. Item aliam lineam infinitam extra centrum, quæ dicatur C, D. Inſuper ſit alia linea, terminata quidem centro, ſed in infinitum erecta, & appelletur E, ſecetque lineam C, D. Ponamus inſuper hanc eandem lineam moueri, alijs duabus quieſcentibus, ſequitur, quod numquam poterit abſoluere lineam C, D. cùm ſit infinita, & ſic corpus circulare non poterit perficere ſuum circularem motum, quod tamen eſt contra ſenſum, loquendo de Cęlo, quod eſt corpus circulare perfectum.

In T. XLI. Ex ſuperiùs dictis, ac probatis colligit ſextam, & vltimam rationem, probantem Cœlum non poſſe eſſe infinitũ, quę tamen ſic breuiter conficitur. Si Cœlum eſt infinitum, ſequitur, quod etiã tempus, quo circulariter mouetur, debeat eſſe infinitum, ſed eſt falſum tale tempus eſſe infinitum, vt quotidiè experimur, ergo &c. Sequela maioris probatur, quia hæc tria, nempe Mobile, Motus, & Tempus menſurantur adinuicem æqualiter, ergo ſi Cęlum ponatur infinitæ magnitudinis, eius motus, & tempus debent eſſe eiuſdem menſuræ ſecundum æqualitatem.

Ex hoc infertur in T. XLII. & XLIII. hanc eandem rationem valere etiam ex oppoſito, nam ſi tempus, quo Cœlum circulariter mouetur, eſt finitum, & ipſum Cœlum finitum eſſe debet, ſiquidem. Se æqualiter menſurant, & menſurantur, vt aliàs oſtenſum fuit in 5. libro Phyſicorum Sum. 1. cap. 2.

Probato igitur, quod Corpus ſimplex, quod circa medium mouetur, nempe Cęlum, non eſt infinitæ magnitudinis, proſequitur demonſtrando, quod neque corpora ſimplicia quæ mouentur ad medium, vel à medio ſint infinita. Et primùm oſtendit Concluſionem in T. XLIV. de terra, & igne, quæ ratione locorum ſunt contraria, ſic breuiter arguendo, illa corpora, quorum loca ſunt finita, ac determinata, nequeunt eſſe infinita, ſed loca ignis, & terræ ſunt huiuſmodi, ergo & ignis, & terra erunt finita, & non infinita corpora. Maior patet quia infinitum in magnitudine nequit conſiſtere in loco finito, alioquin non eſſet infinitum, ſed finitum, ac determinatum loco, quod repugnat, quia locatum debet eſſe commenſuratum loco. Minor probatur, quia contraria ſunt determinata, ac diſtantia finita, ſiquidem ſub eodem genere maximè diſtant, hoc eſt diſtantia determinata ad maximum, vltra quod nec datur deſcenſus, nec aſcenſus, ſed loca terræ, & ignis ſunt contraria, nempe ſurſum, & deorſum, igitur ſi hæc ſunt determinata, ac finita, & locata pariter debent eſſe finita, ac determinata. Præterea ſi vnum contrariorum eſt finitum, ac determinatum, alterum quoque debet eſſe finitum, ac determinatum, ſed locus terræ eſt finitus, ac determinatus, ergo & locus ignis, cui contrariatur, debet eſſe ſic finitus, & determinatus. Minor probatur, quia locus terræ eſt medium, ideſt centrum Vniuerſi, ſed medium eſt determinatum, cùm vltra illud, quod ſubſtat, hoc eſt graue, quod mouetur ad medium, non poſſit procedere, ergo idem dicendum eſt de loco ignis ſibi contrario.

In T. XLV. Probat eandem Concluſionem de aqua, & aere; nam quod extremis clauditur finitum, ac terminatum eſt, non autem infinitum, ſed aer, & aqua, cum ſint media inter ignem, & terram, extremis clauduntur, ergo ſunt corpora finita, ac terminata magnitudine. Pręterea ſi aqua, & aer forent corpora infinita magnitudine, nullum corpus poſſet tranſire de vno extremo Elemento ad aliud extremum, ſed hoc repugnat experientiæ, quia halitus terreſtres, vi ſolis, eleuantur quotidię ad ſupremam regionem aeris, quæ

eſt

eſt finitima, & contigua loco ignis, ergo &c. Maior probatur, quia non poteſt fieri tranſitus de vno extremo ad aliud, niſi tranſeundo medium, atqui ſi aqua, & aer eſſent infiniti magnitudine, forent impertranſibiles, quia infinitum percurri nequit, ergo nullum corpus poſſet tranſire de vno extremo elemento ad aliud, quod eſt falſum.

In T. XLVI. Probat ſecundò concluſionem, ſi daretur aliquod Elementum infinitæ magnitudinis, tale deberet eſſe infinitum etiam in virtute, nempè in grauitate, & leuitate, ſed hoc nequit admitti, ergo nec illud. Sequela maioris probatur, quia eadem eſt proportio magnitudinis, & grauitatis, & leuitatis ſiquidem iſtæ conſequuntur magnitudinem, veluti principia motus, vel ſurſum, vel deorſum, nedum ſecundum totum, verùm etiam ſecundum partes; Quemadmodum enim ad totam magnitudinem conſequitur tota grauitas, vel leuitas, ita ad partem magnitudinis debet conſequi pars huius, vel illius. Minor probatur, nam quò maior eſt grauitas, vel leuitas, eò velocior eſt motus, ergo ſi creſceret grauitas, vel leuitas, adeout eſſet infinitus motus, & ſic in non tempore eſſet motus, quod tamen ſibi repugnat, ſiquidem motus, & tempus debent æqualiter commenſurari. Quod autem, ſi poneretur granitas infinita, ſequatur motus in inſtanti, & ſic in non tempore probatur, quia ſi tanta grauitas per tantum ſpatium in hoc tempore mouet, ergo maior grauitas in minori tempore mouebit, igitur ſi creſceret grauitas in infinitum, tantum minorabitur tempus, adeout contingat fieri motum in inſtanti, & ſic in non tempore, quod tamen repugnat naturæ motus, qui cùm ſit ſpecies quantitatis continuæ, exigit poſſe diuidi in infinitum.

In ſequentibus textibus à T. XLVII. vſque ad T. LIV. omittitur expoſitio, vt non neceſſaria incluſiuè, pluribus rationibus, ſubtiliterque, vt aſſolet, probat impoſſibile eſſe dari infinitam grauitatem in aliqua magnitudine infinita, ac proindè concludit impoſſibilitatem magnitudinis infinitæ in aliquo, vel aliquibus corporibus ſimplicibus; verùm quia iam factæ rationes ad vtrumque intentum ſufficiunt, ideò illas conſultò omittimus.

His peractis, ac probatis, eſſe nimirum impoſſibile dari in rerum natura corpus infinitæ magnitudinis, ſiue tale ſit compoſitum, ſiue ſimplex; neque infinitam grauitatem admittendam fore, aggreditur Ariſtoteles inueſtigare, an ſaltem concedendum ſit, poſſe dari plures Mundos. Quapropter in T. LV. mouet hanc quæſtionem, an quemadmodum nil prohibuit, quin hic noſter Mundus conſtitutus eſſet, ita detur potentia adſtruendi plures alios Mūdos; ſi non infinitos, quia repugnat dari infinitum actu, ſiuè in quantitate continua, ſiue diſcreta, vt oſtendit in Phyſicis, ſaltem plures numero finitos. Cui, vt fiat ſatis, duo facit. Primùm oſtendit repugnare infinitos Mundos. Secundò demonſtrat nec eſſe poſſe plures numero finitos.

Vt autem primùm præſtet, præmittit nonnullas diuiſiones Corporis in communi. Quandoquidem inquit, T. LVI. omne corpus neceſſariò eſſe aut infinitum, aut finitum. De finito agendum erit in ſequenti ſumma, & de infinito in præſenti. Infinitum autem corpus, ſi ſit admittendum, aut conſtat ex partibus ſimilaribus, hoc eſt, einſdem rationis cum ſuo toto, aut diſſimilaribus, ideſt alterius rationis, & ſpeciei, ſaltem quoad figuram. Primum vocatur torum homogeneum, ſecundum heterogeneum. Inſuper ſi ſit corpus heterogeneum, aut coaleſcet ex partibus diſſimilaribus finitis, aut infinitis.

Quod autem nequeat coaleſcere ex parti diſſimilaribus infinitis, hoc eſt, quod Mundus non poſſit eſſe corpus diſſimilare infinitum, colligit probationem ex quatuor ſuppoſitionibus, T. LVII. quas ſuperiùs fecit ad probandum, admittendum eſſe quintum corpus ſimplex ab Elementis diſtinctum, ac diuerſum. Primaque eſt: *Si primi motus corporum ſimplicium ſint finiti, & corpora mobilia debent eſſe finita, ac terminata numero.* Secunda *Motus ſimplex eſt alicuius corporis ſimplicis.* Tertia. *Motus ſimplices ſunt finiti numero, & termino.* Quarta eſt, quod omne corpus naturale neceſſe eſt habere motum. Ex quibus ſic arguit. Omnes motus primi ſunt finiti, numero, & termino, ſiquidem ſunt tantum tres, nempè circa medium, ad medium, & à medio, ergo etiam corpora ſimplicia prima ſunt finita numero, & termino.

no. Si igitur coaleſcit Mundus ex corporibus ſimplicibus, tanquam ex partibus diſſimilaribus ſequitur illum neque infinitum eſſe, neque ex partibus infinitis conſtare poſſe.

In T. LVIII. Probat ſecundò non poſſe dari aliquod corpus diſſimilare infinitum, quia ſi Elementa, ex quibus coaleſceret, eſſent infinita in magnitudine, ſequeretur quod eorum loca deberent quoque eſſe infinita, & ſi ſic etiam eorum omnium motus foret infinitus, ſed hoc eſt impoſſibile, ergo & id, ex quo ſequitur. Maior patet ex ſuperius probatis, ſiquidem mobile, motus, & locus commenſurantur, vt viſum eſt etiam in libr. 6. Phyſicorum cap. 2. ſum. 1. Minor probatur, quia impoſſibile eſt id fieri, quod non contingit eſſe factum; ſiquidem impoſſibile fieri album, vel bicubitale, vel in Ægypto eſſe, ſi ſit impoſſibile a'iquid eſſe factum album, bicubitale, & in Ægypto fuiſſe locatum, ſed impoſſibile eſt aliquod corpus perueniſse ad terminum infiniti loci, cùm infinitum nequeat pertranſiri, ergo & motus ad huiuſmodi locum erit impoſſibilis, & per conſequens locus infinitus impoſſibilis, & corpus mobile ad illum impoſſibile erit.

Præterea, quia aliquis poſset dicere, quod licet ſit impoſſibile dari corpus infinitum coaleſcens ex partibus diſſimilaribus, per veram compoſitionem vnitis, non currit tamen ratio de partibus diſcretis vnitis per aggregationem, ſeù per iuxtà poſitionem, propterea in T. LIX. vrget eadem inconuenientia, quamuis partes diſſimilares eſsent diſcretæ; quandoquidem omnes, cùm forent corpora naturalia completa deberent moueri ad aliquem locum, ad quem tamen non poſsent peruenire, ſi foret infinitus.

In T. LX. denique probat tertiò eſse impoſſibile corpus infinitum, quod conſtaret ex partibus diſſimilaribus, quandoquidem ſi tale eſset poſſibile, impoſsibilia forent alia corpora præter illud, ſed hoc repugnat ſenſui, ergo &c. Maior probatur, quia corpus conſtat trina dimenſione ſcilicet in longum, latum, & profundum, ergo cùm tales dimenſiones forent infinitæ, vnaquæque haberet extenſionem infinitam, qua occuparet omne ſpatium, ac proindè non permitteret ſecum alia corpora, quamuis finitæ, & paruæ magnitudinis.

Probata igitur priori parte diuiſionis ſuperiùs poſitæ in t. 56. non poſſe, nimirum dari corpus infinitum, coaleſcens ex partibus diſſimilaribus infinitis, aggreditur poſteriorem de partibus ſimilaribus infinitis, & intendit oſtendere impoſſibilitatem alicuius corporis infiniti, aggregati ex partibus ſimilaribus infinitis; ſiquidem in T. LXI. nititur hoc oſtendere ex parte motus ſic, omnes motus, quibus cientur corpora ſimplicia, ſunt tantùm duo in genere, vnus circularis, & alter rectus, prior circa medium, poſterior, vel ad medium, vel à medio, ſed nullum corpus infinitum cieri poteſt aliquo horum motuum, vt ſupra demonſtratum eſt, ergo impoſſibile eſt dari corpus infinitum ſimplex ſimilare. Conſequentia tenet, quia vnius corporis ſimplicis eſt vnus tantùm ſimplex motus, & omne corpus naturale eſt mobile. Præterea ſi daretur infinitum corpus mobile aliquo prædictorum motuum, deberet dari etiam infinita grauitas, vel leuitas, atqui hoc eſt improbatum ſuperius à t. 47. & ſequentibus, ergo &c.

Cæterum, quia aliquis reſpondere poſſet rationem factam valere quidem de mobili motu recto, non autem de circulari, in quo nullus eſt terminus, cùm non ſit graue, aut leue, probat in eodem t. 61. valere etiam de motu, & mobili circulari, ſiquidem nullus motus circularis eſt infinitus, vt oſtenſum eſt ſuperius in hac Summa 7. à t. 35. & ſequentibus, ergo nequit dari mobile infinitum, quod circulariter feratur, vt inibi demonſtratum extat pluribus rationibus. Valet igitur argumentum in quocumque motu, ſiuè recto, ſiuè circulari.

In T. LXII. proſequitur intentum, quod ſit impoſſibile huiuſmodi corpus infinitum ſimilare ex parte motus, quia infinitum nequit moueri, ſed omne corpus naturale debet eſſe mobile, ergo nullum corpus naturale poteſt eſſe infinitum. Maior probatur, quia ſi corpus infinitum poſſet moueri, aut hoc eſſet naturaliter, aut violenter, ſed neutrum eſt dicendum, ergo infinitum corpus moueri nequit. Maior patet, quia omnis motus eſt aut ſecundum, aut præter naturam ex t. 9. huius primi libri. Minor pro-

probatur, non violenter, quia cum violentum fundetur in natura habebit alium locum, ad quem mouebitur naturaliter, ſed hoc eſt impoſſibile, quia ſic non occuparet omnia loca, ac proindè non eſſet motus infinitus, neque mobile infinitum. Neque naturaliter tantùm, quia ſic deberet habere vnum locum naturalem ad quem moueretur, & contineretur, & ſic non eſſet infinitum, ſiquidem contineri localiter repugnat infinito.

In T. LXIII. ſequitur intentum probando non dari corpus infinitum, quia ſi daretur huiuſmodi corpus infinitum, neceſſariò ageret, vel pateretur, ſiquidem in natura datur nihil otioſum, atqui hoc eſt impoſſibile, ergo impoſſibile eſt dari corpus infinitum. Minor probatur, quia ſi ageret, & pateretur, aut hoc contingeret reſpectu corporis finiti, aut infiniti, ſed neutrum eſt dicendum. Maior patet, quia ens ſufficienter diuiditur per finitum, & infinitum. Minor probatur, & primo quod nequeat pati, aut agere circa finitum, ſiquidem finiti ad infinitum non datur proportio, igitur neque actio, neque paſſio inter illa eſſe poterit: Conuenientia enim ſecundum exceſſum, vel defectum, ſicut tribuit vim agendi in vno, & vim patiendi in alio, ſic fundat actionem, & paſſionem, ergo cùm finiti ad infinitum nulla ſit proportio, conſequenter, nec vnum poterit agere, neque aliud pati poterit ab eo. Neque valet dicere, quod quamuis infinitum nequeat pati ab finito ſecundum totum, cum quo non habet proportionem, poterit tamen ab ipſo pati ſecundum partem, cum qua proportionatur, ſiquidem hoc poſito, ſequeretur oppoſitum propoſiti, quia vt ſic non pateretur, ſecundum quod infinitum, ſed prout finitum, quod eſſet contra propoſitum; pars namque illa eſſet finita, & non infinita.

In T. LXIV. probat iterum, quod finitum non poſſit agere, vel mouere infinitum, quia inter agens, & paſſum, vel mouens, & mobile debet eſſe proportio exceſſus ad defectum, ſiue maioris ad minus, ſed inter finitum, & infinitum nequit intercedere talis proportio, cùm finiti ad infinitum nulla ſit proportio, ergo finitum nequit agere, & infinitum pati ab eodem. Maior patet, quia ad hoc, vt agens poſſit agere in paſſum, debet eſſe maioris virtutis, quàm ſit reſiſtentia paſſi, ergo debet eſſe inter illa proportio exceſſus, & defectus, ſeù maioris, ac minoris.

In T. LXV. Probat partem ſecundam minoris nimirùm, quod infinitum nequeat mouere, aut agere in finitum, quia ſi ſic, aut hoc eſſet tempore finito, & determinato, aut tempore infinito, hoc eſt in inſtanti, ſed neutrum eſt dicendum, ergo &c. Maior patet à ſufficienti diuiſione. Minor probatur. Non eſt dicendum primum, quia tunc eius actio eſſet æqualis actioni agentis finiti, quod nemo ſanæ mẽtis dixerit. Neque ſecundum, quia actio, & motus nequeunt fieri in inſtanti, vt aliàs probauimus cum eodem Ariſtotele in 8. Phyſicorum, ergo in finitum nullo pacto poterit agere in finitum, ac proinde hoc nequibit pati ab eo &c.

In T. LXVI. Probat hanc conſequentiam, & etiam, quod nequeat pati ab alio infinito, neque tempore finito, neque infinito: Nam ſi dicatur pati poſſe tempore finito ſequitur, quod æquali tempore totum, & pars pateretur, ſed hoc eſt valde abſurdum, ergo &c. Maior probatur, quia ſi certo tempore infinitum fuerit motum, aliqua eius pars minori tempore mouebitur; ſiquidem minus minore tempore mouetur, ſed qualis eſt proportio temporis, quo mouetur pars, ad tempus, quo totum cietur, talis poteſt eſſe partis moræ ad aliã maiorem, ergo hęc pars maior eodem tempore mouebitur, quo totum, quod eſt impoſſibile. T. LXVII. Si verò dicatur infinitum ab infinito pati poſſe tempore infinito, hoc non eſt admittendum, quandoquidem id quod motum eſt ſemper habet terminum, ſed tempus infinitum caret termino, ergo non poteſt dici, quod in eo patiatur ab alio infinito.

In T. LXVIII. occurrit tacitæ obiectioni, quæ poteſt fieri: Enim verò quis poſſet dicere, quod licet dari nequeat corpus ſimilare infinitum, & ſenſibile, tamen negari non poteſt, quod ſit dabile, ſaltem extra Mundum, corpus infinitum intelligibile: Reſpondet negando conſequentiam, tùm quia extra Mundum nihil eſt: tùm quia omne corpus alicubi exiſtens ſub ſenſu cadere debet, T. LXIX. igitur ſi ponatur aliquod corpus intelligibile, prius de-

Digitized by Google

bebat eſſe ſenſibile: tùm etiam, quia intus, & extra ſunt differentiæ loci, igitur ſi ponatur corpus intelligibile exiſtere extra Cœlum, erit ibi vt in loco, ac proindè erit ſenſibile, quia omne, quod circumſcribitur loco, neceſſariò eſt ſenſibile. Cùm autem nequeat dari corpus ſenſibile, quod ſit infinitum, vt probatum eſt, conſequenter concludendum eſt, nullum corpus, ſiuè ſimilare, ſiuè diſſimilare poſſe eſſe actu infinitum, ſicut hactenus demonſtratum eſt.

Quamuis vſque modo ſufficienter per rationes proprias, ex principijs phyſicis deſumptas, demonſtrarit non poſſe dari in rerum natura aliquod corpus infinitum, tamen vt huiuſmodi veritas magis colluceat, idem nititur oſtendere rationibus dialecticis, ideſt communibus; vndè in T. LXX. conficit hanc primam rationem: Nam omne corpus moueri poteſt, ſed nullum infinitum moueri poteſt, ergo nullum eſt corpus infinitum. *Maior* liquet ex *hactenus probatis*. Minor probatur, quia omnis motus, vel eſt *rectus*, vel circularis, vt ſuperius viſum eſt, ſed neuter conuenire poteſt corpori infinito, ergo corpus infinitum nequit moueri. Minor probatur quoad vtramque partem. Non motu circulari poteſt, quia hic fit circa medium tantùm, atqui in infinito non datur medium, ſicuti nec extremum, ergo non poterit moueri motu circulari. Sed neque motu rectò, quia tunc deberet moueri, aut naturaliter, aut violenter, ſed neutro modo infinitum cieri poteſt, vt ſupra probatum eſt in t. 62. ergo &c.

In T. LXXI. probat ſecundò intentum, quia omne, quod mouetur ab alio fortiori ſe mouetur, (ſiquidem actio ſequitur victoriam vnius ſupra aliud, ſed infinitum nequit ab alio moueri, ergo infinitum non mouetur. Maior remanet probata in 7. Phyſicorum à t. 1. & ſequentibus. Minor probatur, nam ſi infinitum contingit ab alio moueri, vel tale erit finitum, vel infinitum à ſufficienti diuiſione. Minor probatur, & quòd non à finito, quia mouens deberet habere maiorem vim, quam motum, ſed finitum non habet maiorem, quam ſit vis infinita, ergo &c. Neque ab infinito, quia tunc darentur duo infinita, & vnum fortius alio, quod repugnat naturæ infiniti, ſiquidem mouens debet eſſe fortius moto.

In T. LXXII. probat tertiò eandem cõcluſionem; nam ſi infinitum mouetur, & non ab alio infinito, vt demonſtratum eſt in præcedenti, quæro quidnam ſit id, quod mouet? Si dixeris infinitum à ſe moueri, atqui eſt impoſſibile, vt à ſe moueatur, ergo &c. Minor probatur, quia illud, quod mouetur à ſe, debet eſſe animatum, & viuens, ſed impoſſibile eſt, quod animatum ſit infinitum, ſiquidem habet figuram, & partes heterogeneas, determinatas in ſe, & in ordine ad totum, quæ repugnant naturæ infiniti, ergo infinitum nequit eſſe animatum, & viuens, & conſequenter nequit ſe mouere. Cùm igitur neque ab alio infinito, aut finito moueri poſſit, ſequitur non eſſe corpus, ac proinde neque infinitum.

In T. LXXIII. recitat, & impugnat opinionem Democriti, & Leucippi de Infinito. Iſti namque ponebant infinitum, non quidem coaleſcens ex partibus continuis, ſed diſcontinuis, ac diſterminatis per vacuum; dicebant enim non poſſe aliter fieri coniunctionem illarum partium in totum, niſi vacuo interiecto. Contra hanc poſitionem arguit tripliciter; probandò non poſſe dari infinitum taliter conflatum, ſiquidem omnes illæ partes, ſiue omnia illa corpuſcula deſterminata, cùm eſſent eiuſdem naturæ, omnia haberent eundem motum, vel deorſum ſi grauia, vel ſurſum ſi leuia forent; verùm quia totum eodem motu cietur, quo eius pars, ſequeretur tale infinitum debere moueri, aut ſurſum, aut deorſum duntaxat, ſed hoc eſt impoſſibile, quia in vniuerſo eſſent, vel tantum corpora grauia, vel leuia ſolùm, quod repugnat experientiæ. Secundò probatur in T. LXXIV. quia, dato, quod illa corpuſcula forent, vel tantùm leuia, aut grauia, ſequeretur illorum motum eſſe ſolùm, vel ad extremum, vel ad medium, hoc eſt, tantum ſurſum, vel deorſum, quod vtrumque repugnat infinito, cuius eſt occupare omnes loci differentias, quibus ſublatis, etiam tolleretur motus, ſiue naturalis, ſiuè violentus, & per conſequens eſſe corporis naturalis, cuius propriũ eſt moueri, aut natu-

Digitized by Google

naturaliter, aut violenter. Tertiò probat idem in T. LXXV. nam vbi neceſſariò reperitur pluralitas locorum, ibi nequit eſſe infinitum, ſed antequam colligerentur in vnum, poterat ibi eſſe pluralitas locorum, ergo non poterat ibi eſſe infinitum. Maior patet, quia infinitum, cùm occupet omnia loca, tollit pluralitatem locorum. Minor probatur, quia illa corpuſcula, antequam colligerentur in vnum, erant in aliquo loco, vel ſaltem debebant tendere ad aliquem locum, vel ergo huiuſmodi locus erat eis naturalis, vel violentus; ſi dixeris naturalis, ergo habebant alium locum ad quem poterant moueri violenter; ſi verò dicas violentus, igitur ſupponebatur alius locus, ad quem naturaliter inclinabant, & ſic neceſſariò ibi erat pluralitas locorum, ex quibus ſequitur, quod totum ex eis collectum non poterat eſſe infinitum.

De vnitate Mundi.

SVMMA VIII.

IN hac octaua Summa, poſtquam oſtendit Mundum non poſſe eſſe magnitudine infinitum, intendit oſtendere non eſſe, nec eſſe poſſe plures Mundos, ſed tantùm vnum, diuiditurque in octo Capitula. In quorum prima ponit quaſdam ſuppoſitiones facientes ad reſolutionem quæſtionis. In ſecunda demonſtrat vnitatem Mundi. In tertia proponit, & ſoluit nonnullas difficultates contra vnitatem Mundi. In quarta declarat quaſdã propoſitiones probantes vnitatem Mundi. In quinta probat ex Metaphyſica vnitatem Mundi. In ſexta confirmat alia demonſtratione vnitatem Mundi. In ſeptima recenſet, & ſoluit alias dubitationes contra vnitatem Mundi. In octaua denique manifeſtat cauſam, quare Mundus ſit tantum vnus, & non plures.

Quoad primũ capitulum in T. LXXVI. Quoniam aliquis dubitare poſſet, probationes iam factas, quibus oſtendimus impoſſibilitatem alicuius Corporis Infiniti extra hunc Mundum, non eſſe vniuerſales, ſed tantum indefinitas, idcircò ad demonſtrandum vniuerſaliter hanc veritatem, facit quatuor ſuppoſitiones, quarum Prima eſt. Omnia corpora, tam grauia, quam leuia quieſcunt, & mouentur naturaliter, & violenter: Secunda: In eo loco, quo manent ſecundum naturam, in eundem quoque naturaliter feruntur, & econuerſo, quò feruntur naturaliter, ibi naturaliter quieſcunt. Tertia: In quo violenter manent, violenter etiam feruntur, & in quem violenter feruntur, in eo violenter manent. Quarta: Motus, qui alicui eſt violentus, alteri erit naturalis, & econtra, qui vni eſt naturalis, alteri erit violentus, patet de igne, & terra; ſurſum ferri eſt naturalis ignis, cùm ſit natura leuis, terræ autem erit violentus, cùm ſit grauis: & econuerſo deorſum moueri eſt naturalis terræ, & violentus igni. Similiter locus terræ, quieſt ſibi ſecundum naturam, erit igni violentus, & econuerſo.

Quoad ſecundum Capitulum in T. LXXVII. ex prædictis ſuppoſitionibus probat non poſſe eſſe plures Mundos, verum vnum duntaxat, & ſic arguit, accipiendo terram alterius Mundi, comparatam ad hanc huius Mundi: Cùm enim terra alterius Mundi ad locum terræ huius Mundi moueri deberet, ſiquidem ambæ haberent eandem inclinationem, quærit ſi moueretur ad illum violenter, vel naturaliter. Si dicatur violenter, ſequitur, ex quarta ſuppoſitione, hanc moueri ad illum naturaliter. Et ſi maneat hic naturaliter, motus ab eo factus ad medium alterius Mundi non erit violentus, ſed naturalis, ex tertia ſuppoſitione, ſiquidem vnius ſimplicis corporis eſt vnus motus ſimplex, ſed hoc eſt falſum, quia à medio vniuerſi nequit terra moueri naturaliter, ſed tantum violenter, eius grauitate impediente. Si verò dicatur, terram alterius Mundi moueri ad locum, ſeu medium huius naturaliter, ſequitur quod in proprio manebat violenter, ex tertia ſuppoſitione, cæterùm & hoc eſt falſum, quia talis terra, cùm eſſet natura grauis, ſicut noſtra, debet manere naturaliter in ſuo medio, vt manet iſta in proprio, ergo cum omnia iſta ſint abſurda dicendum eſt dari tantùm vnam terram, & conſequenter vnum duntaxat Mundum.

In T. LXXVIII. occurrit cuidam tacitæ reſponſioni, quæ fieri poſſet ad præcedentem demonſtrationem, dicendo plures Mundos, ſi darentur, non conſtare eiſdem

cor-

Digitized by Google

corporibus, cùm hoc noſtro, ac proindè terram alterius Mundi fore diuerſæ naturæ ab iſta, ſicque non tendere ad locum, ſiue medium huius, quo conceſſo ruit tota vis demonſtrationis iam factæ. Non valet inquit effugium, immò dicendum eſt, illos Mundos conſtare debuiſſe, nedum terra, ſed etiam cæteris Elementis, eiuſdem rationis cum iſtis huius Mundi, alioquin Mundus, æquiuocè, & non vniuocè, diceretur de iſto, ac de illis, ac proinde quæſtio eſſet nulla. Cùm igitur ſupponere debeant, hunc, & alterum Mundum conuenire vniuocè, conſequenter habent fateri, & terram, & ignem, aerem, & aquam omnium, ſi plures ponerentur, fore eiuſdem ſpeciei cum Elementis huius Mundi, & ſic habitura eundem motum, & quietem eiuſdem naturæ cum motu, ac quiete iſtorum; ſicque manet in ſuo robore demonſtratio iam de vnitate Mundi.

In T. LXXIX. confirmat reſponſionē, roboratque demonſtrationem præcedentem, ſiquidem corpora, ſeu Elementa huius, & alterius Mundi ſi debeant eſſe eiuſdem ſpeciei, & eorundem motus conuenire debent, igitur terra vnius habet tendere ad medium alterius cum eadem inclinatione, qua fertur ad proprium, hoc eſt naturaliter, ſeu hoc eſt impoſſibile; tùm quia in proprio quieſceret violenter, ex quarta ſuppoſitione: tùm etiam, quia contra naturam ſuam in ſublime feretur, quod non eſt dicendum. Conſequentia patet, quia nequiret ferri ad centrum terræ alterius Mundi, niſi proprium deſerendo, at non poſſet proprium deſerere, niſi ſurſum nitendo, ergo contra naturam feretur in ſublime, quod non eſt admittendum, quia eius natura eſt deſcendere, & non ſurſum moueri.

In T. LXXX. Confirmat ſecundò eandem demonſtrationem, quia aut ponendum eſt, quod plures Mundi, ſi admittantur, habeant omnes vnam, & eandem naturam, aut diuerſam, ſiquidem inter idem, & diuerſum non datur medium, ſed neutrum dici poteſt, ergò &c. Non diuerſam, quia tunc dicerentur æquiuocè, & iam ceſſaret quæſtio, vt probatum eſt in t. 78. Neque eandem, quia tunc neceſſariò ponendum eſſet vnum, & idem centrum omniū; atqui hoc conceſſo tolluntur plures Mundi, cum vnum ſufficiat, ergo concludendum eſt, non poſſe dari plures Mundos, ſed eſſe vnum tantum.

Quoad tertium Capitulum, in quo ſoluit aliquas difficultates, factas contra doctrinam præcedentis capitis, primò obijcit in T. LXXXI. contra ea, quæ dixit, quod ſi Elementa alterius Mundi ſunt eiuſdem naturæ cum huius Elementis, neceſſariò deberent moueri ad vnum, & eundem locum; quandoquidem hoc non eſſe benè dictum, ex eo oſtenditur, quod diuerſa diſtantia, ac intercapedo locorum impedit, nè poſſint confluere ad eundem locum. Reſpondet negando conſequentiam; nam quemadmodum illæ diſtantiæ, cùm non ſint reales, ſed tantùm rationales, & per intellectum excogitatæ, non poſſunt mutare eſſentiam rerum, nec affectiones, quæ illam neceſſariò conſequuntur inuertere poterunt; Quò circa ſi terra, exempli gratia, vtrobique habet eandem naturam, eandem inclinationem quoque obtinebit, ac motum ad eundem locum.

In T. LXXXII. affert ſecundā obiectionem, quia ſicut non inconuenit, terram moueri ſurſum, & ignem deorſum violenter in hoc Mundo, ita poterunt cieri ad loca alterius Mundi, abſque hoc, quod ſequantur abſurda ſuperius illata in t. 79. Reſpondet negando conſequentiam, nec eſt par ratio vtrobique; nam in hoc Mundo ideò terra violenter moueretur ſurſum, & ignis deorſum, quia ambo habent propriū locum, ad quem naturaliter feruntur; cæterum terra, & ignis alterius Mundi, cùm careant proprijs locis, ad quos moueri naturaliter poſſint, vt probatum eſt in t. 79. conſequenter carere debent motu violento, ſiquidem neceſſariò ſupponit naturalem.

In T. LXXXIII. obijcit tertiò, probando pluralitatem Mūdorū ſolo numero differentium, nam ſicut non inconuenit in vno, & eodem Mundo ponere plures terras, & plures ignes ſolo numero differentes, tendere ad propria loca, ita non inconueniet in altero Mundo ponere ſimilia Elementa ſolo numero differentia, ad ſua quæque loca tendentia, ſed quilibet Mundus conſtituitur ex ſingulis partibus ſolo numero differentibus, ergo non erit inconueniens, ſub eadem Mundi ſpecie,

pone-

ponere plures Mundos ſolo numero differentes.

In T. LXXXIV. Reſpondet retorquendo obiectionem contra eiuſdem Auctores; nam quemadmodum in hoc Mundo pro pluribus terris, & ignibus ſolo numero differentibus, non eſt neceſſe aſſignare plura media, aut extrema ſolo numero differentia, ſiquidem ſufficiunt vnum numero medium pro omnibus grauibus, & vnum numero extremum pro omnibus leuibus, ita dicendum eſt de partibus Elementaribus alterius Mundi; nam cum ponantur ſolo numero differre cum partibus Elementaribus huius Mundi, non erit illis aſſignandum aliud Medium, & aliud Extremum à Medio, & Extremo huius Mundi numero differentia, quandoquidem vnum ſufficiet pro omnibus partibus numero differentibus, igitur & vnus Mundus debet ſufficere, & non eſt neceſſe plures Mundos, licet ſolo numero differentes, multiplicare.

In T. LXXXV. concludit reſponſionem dicens, quod alterum è duobus debet neceſſariò fieri, aut inuertere ſuppoſitiones, iam factas de vnitate numerali loci, ac tendẽtiam omnium corporũ eiuſdem ſpeciei ad ipſum, ac alias ſuperius poſitas capite primo huius Summæ, aut fateri nobiſcum vnitatem numeralem Mundi.

Quoad quartum Capitulum declarat nonnullas propoſitiones iam factas pro vnitate Mundi, & primò in T. LXXXVI. qualiter terra, & ignis neceſſariò petant ſuis motibus determinata loca, ad quæ naturaliter inclinentur, ſiquidem omnis mutatio fit ex quodam in quiddam, hoc eſt ex termino à quo in terminum ad quem, qui ſpecie differunt, nam id, quod ſanatur tranſit ab ægritudine, vt à termino à quo, ad ſanitatem, vt ad terminum ad quem, igitur, & in motu locali, mobile debere moueri de termino à quo incipit motus, ad terminum ad quem motus deſinit, ac terminatur. Ex quo infertur, quod mobile nequit moueri ad quemcumque terminũ poſſibilem, verùm ad determinatum duntaxat, in quem minimum naturaliter tendat, ac inclinetur. Cùm igitur terra, & ignis ſint duo mobilia naturalia, non poterunt moueri ad omnem locum in infinitum, ſed tantùm ad determinatum, ad quem habent inclinationem, videlicet terra ad locum deorſum, qui dicitur medium, ſeù centrum vniuerſi, & ignis ad locum ſurſum, qui appellatur extremum, ſitum in concauo Orbis Lunæ.

In T. LXXXVII. Idem, inquit, verificari in omni motu, & etiam circulari, quia licet motus circularis non admittat contrarium, ſi ſpectetur vt incipit ab vno puncto, & deſinat in eodem puncto, tamen ſi conſideretur, incipiens à puncto ſignato in circumferentia, & deſinens in oppoſitum diametri, & ipſe dicitur fieri à contrario in contrarium terminum. Ex quo infertur, quod illatum, ſi verificatur etiam in motu circulari, de quo minus apparet, à fortiori debet verificari de motu recto, quo cientur terra, & ignis.

Quod autem terra, & ignis, ac alia ad loca determinata ferantur, nec abeant in infinitum, demonſtrat ex coniectura motus velocis, quo mouentur ad medium deorſum, & à medio ſurſum, vndè in T. LXXXVIII. ſic diſcurrit, terra quò propinquior fuerit medio, & ignis extremo ſurſum, velociùs feruntur, ergo ſi ſpatium pertranſeundum foret infinitum, velocitas eſſet infinita, grauitas, & leuitas infinita; ſiquidem principium actiuum velocitatis maioris, refunditur in maiorem grauitatem, vel leuitatem, igitur principium velocitatis infinitę exigit grauitatem, aut leuitatem infinitam, quæ ſunt prorſus abſurda, & inconuenientia magna, quia vt probatum eſt ſuperius à t. 5 1. vſque ad t. 54 impoſſibilis eſt grauitas, & leuitas infinita. Conſequentia tenet per illam regulam topicam, ſicut ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis ad magis.

In T. LXXXIX. reſpondet cuidam tacitæ obiectioni, quia aliquis poſſet dicere, Elementa moueri ſurſum, & deorſum violenter, non naturaliter, ac proindè non poſſe inferri augmẽtum velocitatis eorum in infinitum, & ex hac, grauitatem, vel leuitatem infinitam; ſiquidem huiuſmodi conſequentia non tenet, niſi in ijs, quæ naturaliter cientur. Verùm hoc effugium non tenet, nec quicquam iuuare poteſt ſic dicentes; quandoquidem falſum eſt, terram moueri ad medium, vt expulſam ſic à Cœlo, & ignem cieri ſurſum, expulſum ab aqua, & terra; nam ſi hoc eſſet verum, ſe-

que-

quæretur, quod maior terra deorſùm, & maior ignis ſeorſùm tardiùs mouerentur, quam minor ignis, & terra; atqui hoc eſt contra experientiam, ſiquidem maior ignis velociùs aſſendit, quàm minor, & maior terra velocius deſcendit, quàm minor, igitur ſignum eſt, huiuſmodi Elementa non moueri violenter in propria loca. Prætereà dato etiam, quod talia Elementa mouerentur in propria loca ab impellente, vel expellente ſurſum, aut deorſum, adhuc ſequitur, quod haberent determinata loca, ſicut ſi naturaliter cierentur ad illa, quod eſt intentum; ſiquidem vis expellens, vel impellens eſſet finita, & non infinita.

Quoad quintum Capitulum, in quo nititur roborare vnitatem Mundi ex Metaphyſica, ſic arguit ex libr. 12. Metaphyſicorum t. 29. in T. XC. Motus circularis eſt continuus, & perpetuus, ac proindè vnus duntaxat, ergo ab vno Motore tantùm, & hoc ſempiterno, ac perpetuo, (ſiquidem plures Motores primos implicare probauit lib. 12. Metaph. propè finem.) igitur vnius tantùm Mobilis, ſed huiuſmodi mobile non eſt, niſi Cœlum, & omne in eodem contentum, quod nomine Mundi vocatur, ergo, de primo ad vltimum, inferendum eſt vnum fore duntaxat Mundum, & non plures.

Quoad ſextum Capitulum, in quo iterùm confirmat vnitatem Mundi ex determinatis locis Corporum Simplicium, ſic procedit in T. XCI. ſupponendo duo. Primum, tria eſſe Corpora ſimplicia ſcilicet Cęlum, terra ſimul cum aqua, & ignis vna cum aere. Omnia etiam vocari Elementa, at diuerſimodè: Cœlum enim dicitur Elementum reſpectu Mundi, quippe ex ipſo, & cæteris corporibus grauibus, & leuibus coaleſcit Mundus. Terra verò, Aqua, Aer, & Ignis dicuntur Elementa in ordine ad Mixtum, ſiquidem ex eis componitur tantùm. Secundum, omnibus his eſſe determinata loca, nimirum infimum, qui centrum vniuerſi appellatur, Terræ, & Aquæ, vtpotè, quæ reliquis ſubſtant: Extremum Cœlo, quod circulariter mouetur, & omnia in ſe continet, & intermedium Igni, Aerique, cùm ſint leuia corpora, quæ cæteris ſupereminent. Ex quibus ſic arguit, ſi eſſet alius Mundus, contineret in ſe alia loca ad recipienda alia corpora, ſed nequeunt dari alia loca, ab his diuerſa, ergo neque alius Mundus. Maior patet, quia cuilibet corpori ſimplici, ſicut aſſignandus eſt proprius motus, ita & proprius locus determinandus erit; ſiquidem locus eſt terminus acquiſibilis per motum localem. Minor probatur, quia ſi darentur alia loca, vel eſſent infra, vel ſupra ea, quæ recenſita ſunt, ſed neutrum eſt dicendum, ergo &c. Minor probatur, non infra, quia talis locus debetur grauibus, quæ ſufficienter locantur in Medio, ergo &c. Nec ſupra, quia ſupra non datur, niſi cœleſtis regio, in qua habent locari corpora immortalia, non autem Elementum aliquod corruptibile, ergo cùm iam determinata ſufficiant, dicendum eſt vnum ſufficere Mundum, ac proinde non eſſe plures.

Quoad ſeptimum Capitulum, obijcit cōtra T. XCII. vnitatem Mundi, probando eſſe poſſe plures, numero diſtinctos Mundos; Nam in omnibus ſenſibilibus, quæ natura, vel arte conſtant, aliud eſt forma in ſe ſumpta, & aliud forma in materia, ſed Cœlum, ideſt Mundus, conſtat natura, cùm ſit corpus phyſicum, ergo aliud eſt Cœlum in ſe, & aliud hoc Cœlum. Maior declaratur, aliam namque rationem habet Sphæra, vel circulus in ſe, & aliam ſphæra lignea, vel circulus aureus, aut æneus, ſiquidem in definitione ſphæræ non ponitur lignum, neque in diffinitione circuli adhibetur aurum, vel æs; cęterùm ponitur vtrumque, & lignum, & aurũ, vel æs, in diffinitione ſphæræ ligneę, & circuli aurei, aut ęnei, ergo aliud eſt forma in ſe, & aliud forma in materia. Idem dicendum in his, quæ conſtant natura, quandoquidem aliam rationem ſibi vēdicant compoſita vniuerſalia, & aliam compoſita ſingularia. Deinde ſubſumit, ſed in his, quæ habent formam, & ſpeciem vniuerſalem, poſſunt dari plura ſingularia, vt patet, in ſpecie hominis dantur plures homines, in ſpecie leonis plures leones, & ſic de cæteris, ergo cum aliud ſit Cœlum, & aliud hoc Cœlum, ideſt Mundus in ſe, & hic Mundus, ſub Mundo in ſe poterunt multiplicari plures Mundi, ac proinde non erit tantùm vnus Mundus numero, ſed plures numero diſtincti.

In T. XCIII. ſoluit hāc obiectionē cōcedendo

dendo maiorem primi diſcurſus cum ſua probatione, ſeù declaratione; verùm ex hoc non rectè infertur neceſſitas plurificandi Mundum in plures numero diſtinctos, quandoquidem ratio plurificandi Mundum eſſet diſtinctio numeralis materię, quæ tamen cum ſit vna numero in toto Cœlo, coarctat eius naturam ad vnum tantum indiuiduum.

Expendit hanc reſponſionē in T. XCIV. exemplo; nam ſi ſimitas curuitas quædam in naſo eſt, aut carne, & caro, quæ eſt materia, eſt materia ſimitatis, ſuppoſito quod ex omnibus carnibus fiat vna caro, in qua exiſtat ſimitas, certum eſt, quod non eſſent plura ſima, nec poſſent eſſe: ſimiliter ſi carnes eſſent materia hominis,& ex omnibus, ſimul vnitis, fieret homo, certum eſt, quod non poſſet alius homo exiſtere, cum deficeret materia carnis, ex qua fiendus eſſet; Ita à ſimili dicendum eſt de Mundo, cum tota materia, ex qua coaleſcit, & poteſt coaleſcere Mundus, ſit in hoc Mundo, ſiquidem, & corpora, ex quibus conſtat, vt ex materia, & loca, ad quæ huiuſmodi corpora diriguntur, ſunt ita determinata, vt nequeant plurificari, conſequenter dicendum, nec eſſe, nec poſſe exiſtere, alium Mundum ab hoc, numero diſtinctum.

In T. XCV. confirmat reſponſionem, & occurrit tacitæ obiectioni, dicens, quod quamuis Cœlum, vel Mundus ſit eorum, quæ ſingularia ſunt, & quæ habent materiam, cum tamen conſtet, non ex aliqua parte materiæ, ſed ex tota materia, non ob id dici poteſt, plures eſſe, vel contingere eſſe Mundos, ſiquidem continet in ſe vniuerſam materiam, ex qua fiendus eſt, vel foret alius Mundus.

Quoad octauum Capitulum, in quo nititur reddere rationem, quare ſit tantùm vnus Mundus, & non poſſint eſſe plures, nè videatur laborare in æquiuoco, cum interdum accipiat Cœlum pro Mundo, & Mundum pro Cœlo, primùm in T. XCVI. inquit, Cœlum tripliciter dici. Primò ſumitur Cœlum pro octaua Sphæra, in qua locantur Stellæ fixæ, & cætera, quæ Diuinitatem redolent, & hoc propriè appellatur Cœlum, cum ſit extremum circulationis vniuerſi. Secundò accipitur pro complexo ſeptem Orbium, in quibus locantur ſeptem Planetæ; & hoc quidem vocatur Cœlum, cùm dicamus Lunam, & Solem eſſe in Cœlo, at hoc dicitur laxiori ſignificatione. Tertiò tandem Cœlum ſignificat totam Sphęram vniuerſi cum omnibus corporibus, ſiuè Cœleſtibus, ſiue Elementaribus, in ea contentis, & Cęlum hoc pacto ſumptum non diſtinguitur à Mundo, ſeù vniuerſo, & de hoc eſt ſermo, cùm dicit, illud eſſe vnum, & non plura vniuerſa; neç poſſe plura eſſe.

Quod probat in T. XCVII. quaſi recolligendo in vnam rationem, quæ ſuperius in diuerſis ſeminauerat; quandoquidem tota materia, idest corpora ſenſibilia, ex quibus coaleſcere poſſet aliud vniuerſum, vel Mundus, comprehenduntur in hoc Mundo, & extra ipſum nulla reperitur materia, aut corpus ſenſibile, ergo extra hunc Mundum non poterit eſſe alius Mundus ab eo diſtinctus. Antecedens probatur, ſi extra hunc Mundum darentur alia corpora naturalia ſenſibilia, vel talia ſaperent naturam ſimplicium, aut mixtorum corporum, vt patet, ſed neutrum dici poteſt, ergo &c. Minor probatur: Non poſſet dici, talia eſſe ſimplicia, quia omne corpus ſimplex, aut eſt circulare, & circulariter mobile, & neque graue, vel leue, aut eorum, quæ mouentur motu recto, & graue, vel leue, ſed nullum eſt dicendum, ergo &c. Minor probatur: Non circulare, quia vt probatum eſt, tale eſt in continuo motu circa Medium, vt inde dimoueri nequeat. Neque aliquod ſimplex mobile motu recto, aut ſurſum, aut deorſum, quia aut ibi eſſet naturaliter, aut violenter. Non naturaliter, quia vnius corporis ſimplicis eſt tantum vnus locus ſimplex, & naturalis, qui tamen eſt repletus, ſiquidem Medium repletur terra, & extremum igne, ergo nullum aliud corpus ſimplex poſſet in eis naturaliter quieſcere: Neque violenter, quia hic ſupponit alium locum ſecundum naturam, ſed probatum eſt ſupra, non dari alia loca, in quibus corpora ſimplicia manere queant, præter illa, in quibus quieſcunt omnia corpora ſimplicia, quæ mouentur naturaliter motu recto, ergo in eis, nullum aliud corpus ſimplex præter naturam poterit exiſtere. Neque poteſt dici talia corpora eſſe mixta, quia cùm hæc coaleſcant ex ſimplicibus, ſi hæc nulla-

nullatenus poſſunt ibi eſſe, nec mixta ibi extra hunc Mundum poterunt exiſtere, ac proindè alius Mundus nequit eſſe, ex defectu materiæ, ſiue corporum ſenſibilium.

In T. XCVIII. probat eadem ratione, non poſſe dari alium Mundum, ab iſto diſtinctum: Nam ſi poſſet dari alia materia Mundi, ideſt alia corpora ſenſibilia, ex quibus alter poſſet fieri, aut eſſet ibi præter naturam, aut ſecundum naturam, aut ſimplicia, aut mixta, vt dictum eſt, ſed nullum iſtorum poſſet ibi exiſtere, ergo nec ex eis poterit coaleſcere alius Mundus.

De varijs Affectionibus Mundi, ſeù vniuerſi.

DISPVTATIO III.

De vniuerſi, ſiue Mundi nomine, natura, & cauſis, tàm extrinſecis, quàm intrinſecis alibi diſſeruimus, tùm in libr. 8. Phyſicorum diſp. 1. tùm in hoc opere diſp. 1. nunc verò, occaſione textus Ariſtotelis, agendum nobis eſt de nonnullis eiuſdem affectionibus, quarum aliquę ſpectant ad quantitatem, aliquæ verò ad qualitatem, & aliquæ ad eſse reſpectiuum illius. Circa primam Mundi affectionem quærendum eſt, an vniuerſum, ſiuè Mundus ſit vnus, vel plures: Si plures, an finiti, vel infiniti in numero, vel ſpecie diſtincti; etiam attenta Dei potentia abſoluta? Circa ſecundam dubitari poteſt, an Deus poſſit efficere alios Mundos, in infinitum perfectiores; & an poſſibile ſit hunc Mundum perfectiorem reddi, quàm modo eſt. Circa tertiam affectionem inueſtigari poteſt, an ſit locus omnium rerum locabilium, & an ſit typus, ſeù imago viſibilis Dei inuiſibilis. Verùm quia nonnullas ex his difficultatibus, quas hic exagitari poſſemus, aliàs, vel diſcuſſimus, vel ſaltem breuiori calamo ad ſufficientem notitiam perduximus, propterea ab illis abſtinendo, eas, quæ ſuperesſe videntur, Diſputationi duntaxat ſufficiemus, & primùm inueſtigabimus.

Vtrum ſint, vel abſolutè poſſint eſſe plures Mundi?

QVÆSTIO I.

Circa primam partem huius quæſtionis de pluralitate Mundorum de facto, varia fuerunt Antiquorum Philoſophorum placita, vt referunt Plutarchus lib. de Tranquillitate animi, & lib. 1. de Placit. Philoſoph. cap. 5. D. Ambr. libr. 1. Hexam. cap. 1. D. Aug. lib. 18. de Ciu. Dei cap. 14. B. Theodoretus lib. de Meteria, & Mundo, nã aliqui dixerunt dari infinitos Mundos, alij verò numero finitos, ſed ferè innumerabiles, in quibus nonnulli poſuerunt Solem, & Lunam, vt in hoc noſtro, alij verò, horum loco aſseruerunt dari ſplendidiora ſydera, alij in illis agnouerunt animalia, & plantas, vt videntur in noſtro, alij verò hiſce ornamentis viduatos autumnarunt.

Oppoſitam tamen ſententiam de vnitate Mundi docuerunt, nedùm plures Philoſophi ex Antiquioribus, & poſt eos Ariſtotelici, qui Peripatetici appellantur, ſed etiam Catholici, non tantùm Philoſophi, verùm etiam Theologi in 2. Sententiarum, & in Tract. de operibus ſex dierum, vt videre eſt apud Recentiores, à quibus referuntur.

Circa ſecundam partem etiam adeſt cõtrouerſia inter Hæreticos, & Catholicos, ſiquidem Vviclephus, & Petrus Abaylardus, confitentes Deum agere ad extra ex neceſſitate naturæ, aſseruerunt, illum nequaquam poſse conſtituere alios Mundos, cùm vnum tantùm fecerit; quandoquidem agens naturale, eum agit, molitur opus ſuum, ſi non impediatur ſecundum vltimum ſuæ naturę; igitur cùm Deus nequeat impediri, in conditione huius Mundi, ita vires, quodammodo exhauſit, vt ſibi impoſſibile ſit alium Mundum facere. Huius ſententię videtur fuiſse Ariſtoteles in textu, cùm pluribus rationibus probauerit vnitatem huius Mundi, & alterius impoſſibilitatem, nedum ex parte materiæ, quam vnicã poſuit, ſed etiam ex parte Agentis, cùm & ipſe viſus ſit aſserere, Deũ agere ex neceſſitate voluntatis, adeò vt illi impoſſibile ſit aliter facere, ac operari, quam fecit, & operatus eſt. Cæterũ an ſic abſolute huiuſmo-

di impietatis poſſit argui Ariſtoteles, non auſim affirmare, neque in totum negare, cùm alibi docuerim, ipſum dubitaſſe tantùm de libertate agendi circa res ad extra. Videantur quæ ſcripſi in Phyſicis libro 8. diſp.1. q.1. concl.6. & 7.

Catholici autem, cùm Philoſophi, tùm Theologi, agnoſcentes Deum eſſe agens liberum ad extra, eſſeque infinitæ potentiæ, fatentur poſſe abſolutè plures Mundos efficere, ſaltem numero diſtinctos. Ita Albertus Magnus, & Saxonienſis, Clauius, Conimbric. D. Thoma, Durandus, Gabriel, & Ochamus, ac alij, etiam ex SS. Patribus, quos referunt, & ſequuntur Conimbric.lib.1.de Cęlo cap.9. q.1. art.2.& 3. Ruuius ibidem qu.2. quibus addi poſſunt Roccus lib.1. de Cœlo q. 20. Maſtrius q. 1. art.2. num.11. diſp.1. Poncius diſp.21.q.1. ac alij non pauci. An autem ſint poſſibiles plures Mundi differentes ſpecie, ſicut nonnulli cenſent, dicam in concluſionibus infra probandis.

Pro declaratione, ac reſolutione vtriuſque difficultatis, præter ea, quæ diximus de Mundo libr. 8. Phyſic. diſp. 1. & in hoc lib.1. de Cœlo diſp. 1. q.1. adnotandum eſt primò hanc quæſtionem exagitari poſſe, de facto, ac de poſſibili. Si priori modo pertractetur, certum ex Diuinis litteris, vnum & non plures eſſe Mundos, ſiquidem dicitur Ioan. capit. 1. *Mundus per ipſum factus eſt*, & Matthæi cap. vlt. inquit Chriſtus diſcipulis ſuis: *Euntes in Mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ*. Idem repetit Marci vltim. *Ite in Mundum vniuerſum*. Item Ioa. capit.15. inquit Saluator: *Exiui à Patre, & veni in Mundum; iterum relinquo Mundum, & vado ad Patrem*, & D. Paulus ad Epheſ. capit. 1. ait: *Elegit nos in ipſo ante Mundi conſtitutionem*. Quibus in locis obſeruant communiter Doctores, quod Diuina ſcriptura memorauerit Mundum ſemper in numero ſingulari, vt innuat, quod Deus fecerit tantum vnum Mundum, & non plures; quandoquidem beneplacitum Diuinæ voluntatis, à quo omnia creata liberè pendent, manifeſtatur nobis, vt inquit Doctor Subtilis in 1. d.8. q.5. ex his, quæ fecit, & reuelata eſſe voluit in Sacris Scripturis. Si verò poſteriori modo exagitetur, hoc poteſt dupliciter contingere, vel de poſſibili ordinario, vel de poſſibili abſoluto Dei. Primo modo non poſſunt eſſe plures Mundi, ſiquidem lex Diuinæ prouidentiæ, qua regulantur omnia ad extra factibilia, continet tantùm vnum Mundum, in quo condidit omnia neceſſaria ad eius conſtructionem, & conſeruationem, nedùm vt reſpiciunt diſpoſitionem inter ſe, & in ordine ad totum, ſed etiam vt tendunt in ſuum finem, ſicut probatum eſt ſuperius diſput.1. quæſt.2. At ſecundo modo poſſunt eſſe plures Mundi, non ſolùm numero, verùm & ſpecie diſtincti, cùm nulla adſit repugnantia, nec ex parte Dei, qui eſt infinitæ potentiæ, neque ex parte rerum, in quibus nulla apparet repugnantia formalis, ſicut nec in alijs ſpeciebus, aut indiuiduis ſub vna ſpecie contentis, vt clariùs patebit ex ſolutione fundamentorum oppoſitæ ſententiæ.

Secundò Notandum ex Doctore Subtili in 1. d.43. quæſt.vnic. quod obiectum omnipotentiæ, prout eſt potentia actiua ad extra, vel per creationem, vel per productionem, non eſt poſſibile ſic abſolutè ſumptum, ſed poſſibile compoſſibile cum alijs rebus, vel iam productis, vel producendis; nam quemadmodum ex compoſſibilitate rerum oritur poſſibilitas ad fieri ad extra, ſic ex incompoſſibilitate naſcitur repugnãtia formalis, quę dicit negationem reſpectus ad quodcumque agens: Cùm igitur alius Mundus, ſiuè numero, ſiuè ſpecie diſtinctus poſsit habere eſſe poſsibile ab intellectu Diuino, & nullam dicat repugnantiam formalem cum hoc iam à Deo condito, quia poſſet fieri ex corporibus, & partibus alterius rationis ab iſtis huius Mundi, cum quibus nulla eſſet contrarietas, nec formalis, nec virtualis, ſiquidem poneretur in alio loco, ab intercapedine huius, diſsito, ac diſparato, nil obſtabit, quominus poſsit eſſe obiectum Diuinę omnipotentię, & ſic à Deo fieri ſimul cum hoc noſtro iam ab ipſo condito.

Tertiò Notandum, ſeu potiùs memorię reuocandum quę de Mũdo pręſenti adnotauimus ſupra in diſp. Proem. q.1. & 2. nimirum Mundum non eſſe aliquod vnum per ſe compoſitum ex materia, & forma, ſed ſolum pręſeferre quoddam totum integrale, aggregatum ex diuerſis corporibus ſim-

ſimplicibus, cùm Cœleſtibus, tùm Sublunaribus, ordinatis ſub vno primo Mobili, & vno primo Mouente, cum hac diſpoſitione, vt inferiora dirigantur per ſuperiora, ac omnia moueãtur proprio motu ſimplici, vel circulari, vt Cœleſtia, vel recto, aut ſurſum, aut deorſum, vt Elementa. Ex quo infertur, quod cum huiuſmodi diſpoſitio nullam dicat repugnantiam formalem, neque cum alia ſimili numericè diſtincta, neque cum alijs ſpecie differentibus, ſiuè quoad partes, ſiuè quod ad tota, ex eis coaleſcentia, vt patet in alijs ſpeciebus, vel indiuiduis vnius ſpeciei, contentis in hoc vniuerſo, poterit per Diuinam Omnipotentiam abſolute alius Mundus, vel numero, vel etiam ſpecie ab hoc diſtinctus, poni in eſſe, & exiſtere. Neque obſtant inconuenientia, quæ adducit Ariſtoteles in textu 79. ac 96. & 97. quia in vnoquoque darentur propria loca, ad quæ naturaliter, aut violenter mouerentur talia corpora ſimplicia, ex quibus eſſet aggregatus alius Mundus, ſicut accidit in hoc noſtro, cùm non eſſet maior ratio de his, quàm de illis.

Ex his ſit prima Concluſio. Loquendo de facto, ac de poſſibili ordinario, Mundus eſt tantùm vnus, nec poſſunt eſſe plures. Colligitur ex Scoto in 1. d. 44. q. vn. Probatur prima Pars auctoritatibus Sacræ Scripturæ, allatis in 1. Not. in quibus manifeſtè apparet vnitas Mundi, cùm reuelatio ſit facta Eccleſiæ de Mundo in ſingulari, & non in plurali, quod aliter eueniſſet, ſi plures Mundi conditi à Deo fuiſſent, ſiquidem dixiſſet Ioannes: Mundi per ipſum facti ſunt, & non Mundus factus: Et Chriſtus dixiſſet Apoſtolis: Ite in vniuerſos Mundos, & prædicate Euangelium, & non ſolùm, in vniuerſum Mundum: venerat enim omnes homines ſaluos facere, & non tantùm qui eſſent in hoc Mundo, igitur cùm dixerit in ſingulari Mundum, ſignum eſt vnum tantùm à Deo fuiſſe conditum Mundum, & non plures. Confirmatur, quia non ſunt multiplicanda entia abſque neceſſitate, ſed nulla neceſſitas cogit multiplicandi alios Mundos, cùm omnia, quæ deſiderari poſſent in alio Mundo, ſunt apprime in hoc diſpoſita, vt nequeant meliorari, ſiuè eſſentialiter, ſiuè accidentaliter, vt probatum eſt ſuperius in hoc libr. 1. diſp. 1. quæſt. 2. loquendo de potentia ordinaria Dei, ergo fruſtraneus foret alius Mundus, quod non eſt dicendum, quia Deus, & Natura nihil agunt fruſtra ex Ariſtotele in hoc libro primo t. 32. ac alibi. Secunda Pars probatur, quia potentia ordinaria Dei eſt, qua agit ad extra ſecundum leges vniuerſales ſibi à ſe in æternitate præfixas, alioquin diceretur agens inordinatum, ſed in huiuſmodi legibus non relucent plures Mundi, verùm vnus duntaxat, ergo de potentia ordinaria Dei plures Mundi non ſunt poſſibiles. Minor probatur, quia ſi plures Mundi continerentur ſub legibus, iam præfixis de omnium rerum creatione, hactenus illos creaſſet, vel produxiſſet, ſed non creauit, vt eſt manifeſtum; ſiquidem completo opere ſex dierum, in quibus produxit omnia, quæ pertinent ad perfectionem huius Mundi, dicitur Geneſis capite 1. Illum quieuiſſe ab vniuerſo opere, quod patrarat, ergo &c. Maior probatur, quia plures Mundi eſſent melius bonum, quam vnus tantum, ſed Deus ſemper operatus eſt, & modò operatur, quod melius eſt, ergo ſi plures Mundi fuiſſent contenti ſub lege ordinaria rerum creabilium, hactenus illos creaſſet. Maior patet, quia hic Mundus eſt quoddam bonum, immò valdè bonum, vt dicitur Geneſis capite 1. ergo duo Mundi eſſent maius, & melius bonum. Minor probatur ex Diuo Auguſtinus libro tertio de Libero Arbitrio capit. 5. vbi inquit: *Quicquid tibi recta ratione melius occurrerit, ſcias Deum feciſſe, tamquam bonorum omnium conditorem*, alioquin, aut inuidentiæ, aut impotentiæ inſimulari poſſet, dicente eodem Auguſtino ſuper Geneſis ad litteram: *Vidit Deus cuncta &c. Si bona facere non poſſet, nulla eſſet potentia: Si poſſet, ſed nollet, magna eſſet inuidentia: quia ergo ſummè bonus, & ſummè potens, ſingula fecit valdè bona*. Ergo Deus ſemper operatus eſt, & operatur quod melius eſt, ac proinde cùm hactenus non fecerit plures Mundos, ſignum eſt, quod plures non extiterint ſub legibus Diuinæ potentiæ ordinariæ.

Secunda Concluſio. Si verò ſpectetur Diuina potentia abſoluta, plures Mundi,

nedum numero, ſed etiam ſpecie diſtincti, ſunt poſſibiles. Colligitur ex Scoto in 1. d. 43. & d. 44. q. vni. & expreſſe defenditur ab Auctoribus relatis pro ſecunda opinione. Probatur prima pars, quia potentia Dei abſoluta ſe extendit ad omnia, quæ nõ implicant contradictionem, & ad omnia poſſibilia, quæ non inuoluunt repugnantiam formalem cum cæteris poſſibilibus, vel in eſſe poſitis, aut in eſſe ponendis, vt adnotauimus ex Doct. Subtili locis nuper citatis, ſed plures Mundi numero diſtincti non implicant contradictionem, & eſſent compoſſibiles cùm hoc noſtro Mundo, ergo abſolutè poſſent a Deo fieri. Minor probatur: tùm quia plura indiuidua ſub eadem ſpecie non repugnant formaliter, nec virtualiter, vt manifeſtè patet in omnibus ſpeciebus, iam creatis, ergo nec ſub ſpecie Mundi, cum non ſit maior ratio de vna ſpecie, quàm de alia: tùm etiam, quia plures Cœli, & plura Elementa numero diſtincta, & ordinata ad propria loca non repugnant formaliter, vel virtualiter, cùm omnia forent eiuſdem rationis, ergo neque plures Mundi, ex illis compoſiti, repugnare poterunt, quò minus ſimul exiſtere poſſint. Nec valet effugium Ariſtotelis, quod omnia, & ſingula Elementa deberent moueri naturaliter ad vnum Medium, & ad vnum Extremum, quod non poſſet fieri, niſi deſerendo propria loca, & tranſeundo de vno ad alium Mundum, quæ implicant, ſiquidem falſum eſt hoc deliramentum Ariſtotelis, cùm ſingula Elementa vnius Mundi mouerentur ad propria loca naturalia illius, & non omnia ad vnum indiuiduale Medium, vel Extremum vnius duntaxat Mundi, igitur cùm nulla adſit repugnãtia formalis, aut virtualis, inter partes huius, & alterius Mundi, nec erit repugnantia inter compoſita aggregata, quin plura ſimul exiſtere poſſint. Secunda pars de pluralitate Mundorum ſpecie differẽtium, eodem modo ſuaderi poteſt, quandoquidem Mundus nil aliud eſt, quam congregatio plurium corporum ſimplicium, ſuperiorum, & inferiorum, ordinatorum ad propria loca ſecundùm motus, & mutationes ſibi conuenientes, vt ſæpe ſæpius diximus ſuperius cum Ariſtotele in hoc libro 1. de Cœlo, & Mundo, ſed non implicat, vt à Deo congregari poſſint alia corpora ſimplicia, tùm ſuperiora, tùm inferiora, habentia alios motus, aut mutationes differentes ſpecie, ergo non implicant plures Mundi differentes ſpecie. Minor probatur, nam ſicut non implicat, quacumque ſpecie data, perfectiorem, & perfectiorem vſque in infinitum à Deo fieri poſſe, vt probabilitor defendimus cum Doctore Subtili libr. 2. Metaphyſicorum q. 6. in 3. Phyſicorum diſp. 3. q. 2. quia nec repugnat ex parte Dei, nec ex parte ſpecierum, ita non implicabit, poſita hac ſpecie Mundi, dari aliam, & aliam ſpeciem perfectiorem, etiam infinitam in potentia; ſiquidem ſpecies ſunt ſicut numeri ex Ariſtotele lib. 8. Metaphyſic. t. 10. verùm vno numero dato, poteſt dari perfectior in aſcendendo vſque in infinitum ex D. Auguſtin. lib. 12. de Ciuitate Dei cap. 18. ergo etiam in ſpeciebus Mundi.

Tertia Concluſio. Spectata eiuſmodi Potentia Dei abſoluta, poſſibiles ſunt infiniti Mundi, non ſolùm numero, verùm etiam ſpecie diſtincti. Iſta concluſio ſequitur ex præcedenti, defenditurque à Doctoribus allatis in ipſa, quibus addi poteſt Ruuius loco ſupra citato quæſt. 3. vbi etiam negatiuam probabilem cenſet, quamuis dicat hanc eſſe probabiliorem. Probatur, quia id, in quo nulla adeſt repugnantia, poterit abſolute fieri à Deo, qui eſt infinitæ potentiæ, ſed plures Mundos, in infinitum, ſiuè numero, ſiuè ſpecie differentes, fore poſſibiles, nulla adeſt repugnantia, ergo à Deo poterunt abſolute fieri. Maior patet, quia omnipotentia Dei ſe extendit ad omnia, quæ non implicant contradictionem. Minor probatur, quia ſi adeſſet aliqua repugnantia, maximè foret, quia poſitis infinitis Mundis poſſibilibus, numero, aut ſpecie diſtinctis, ſequeretur poſſe dari infinitum in actu, ſed, vt oſtendimus in tertio Phyſicorum, tale dicit repugnantiam ad eſſe in rerum natura, ergo etiam infiniti Mundi, quouis modo diſtinguantur, implicant repugnantiam ad eſſe. Sequela maioris probatur, nam infiniti Mundi poſſibiles, ſi reducantur omnes ad actum facient infinitum actu in multitudine, atqui tales poſſent reduci ad actum, ſiquidem Deus eſt omnipotens, igitur poſitis infinitis Mundis in potentia, poſſet dari infinitũ actu, ac in multitudine, ſed quod ex poſi-

tione

Digitized by Google

tione infinitorum Mundorum in potentia, etiam ad actum reductorum, ſequatur infinitum in actu, eſt omninò falſum, cùm ab infinito in potentia nequeat fieri tranſitus ad infinitum actu, ſiquidem partes illæ infinitæ in potentia ad actum reductæ, eſſent finitæ; & non infinitæ, ac proinde non poſſent facere infinitum actu, cuius partes deberent eſſe infinitæ in entitate; nam ſicut ex non ſubſtantijs non fit ſubſtantia, ita ex non infinitis, non poſſet coaleſcere infinitum actu, ergo falſum eſt, quod ex poſitione infinitorum Mundorum, debeat ſequi infinitum in actu. Si igitur nulla adſit maior repugnantia, vt videbitur non adeſſe ex ſolutione fundamẽtorum oppoſitæ ſententiæ, ſequitur manifeſte poſſe à Deo infinitos Mundos, ſiuè numero, ſiuè ſpecie diſtinctos, produci, non tantum ſucceſſiuè, verùm etiam ſimul, quicquid dicant alij.

Obijcitur tamen primò contra primam Concluſionem. Nam creatio vnius Mundi, vel plurium eſt opus Dei liberum, à Diuina voluntate libera omninò pendens, vt omnes Catholici fateri coguntur, ergo quod vnum tantùm, & non plures creauerit, ſicut pendet à Diuina voluntate, ita ſciri non poteſt, niſi ex Diuina reuelatione, quæ, quod plures Mundos non creauerit, nondum videtur facta Eccleſiæ, quare malè dicitur in concluſione, Mundum de facto eſſe tantum vnum, & non plures.

Reſpondetur negando conſequentiam, immò, quod vnum tantùm Mundum creauerit, & non plures, apertiſſime reuelatum eſt Eccleſiæ, cùm ab ipſa propoſitæ fuerint Sacræ Scripturæ de vnitate Mundi atteſtantes, tanquam de fide tenendæ, vt retulimus in probatione concluſionis, & potiſſimum Ioan. 15. vbi Chriſtus loquens cum ſuis Apoſtolis dixit: *Exiui à Patre, & veni in Mundum: iterùm relinquo Mundum, & vado ad Patrem.* Ex qua manifeſte deducitur, quod vnus tantùm Mundus conditus fuerit, ad cuius peccatores ſaluandos venerit Saluator; nam ſi plures fuiſſent, cùm vnicus ſit ſaluator, dixiſſet, ſe veniſſe in Mundos, & poſt redemptionem, ab eis receſſiſſe, vt ad Patrem rediret; quæ cùm non dixerit, concludendum eſt, vnum tantùm Mundum fuiſſe ab ipſo conditum, & non plures.

Obijcitur ſecundo cõtra ſecundam partem eiuſdem Concluſionis, quia poſt Vniuerſale Iudicium promittunt ur nobis Cœli noui, & Terra noua, ex quibus potiſſimùm coaleſcit Mundus, igitur cum huiuſmodi promiſſio ſit de potentia ordinaria, non ſolùm ſunt poſſibiles, ſed de facto erunt plures Mundi. Antecedens probatur ex illo Apocalip. cap. 22. *Vidi Cœlum nouum, & terram nouam.* Item Eſaiæ capit. 65. inquit Deus: *Ego creo Cœlos nouos, & terram nouam, neque commemorabuntur hac priora, nec venient in animum.* Ergo promittuntur nobis Cœli noui, & terra noua, & per conſequens Mundi noui, cùm ex illis conſtent.

Reſpondetur antecedens, & eius probationes habere veritatem de nouitate accidentaria, non ſubſtantiali; hoc eſt dictu, Cœli, & Terra, qui modò ſub varijs accidentibus exiſtunt, innouabuntur poſt Iudicium finale, per horum deſtructionem, & nouorum acquiſitionem, adeò vt poſſint vocari Cœli noui, & Terra noua, ideſt noua imagine ſuperueſtiti. Ita exponũt communiter prædicta loca Sacræ Scripturæ Sancti Patres, atque Theologi, relati à Lyrano, & D. Thoma in Catena ſuper cap. 24. Matthæi, & cap. 21. Lucæ ad illa verba: *Cælum, & Terra tranſibunt &c.* Vel dicendum ſecundò Eſaiam, & Ioannem in prædictis locis, vaticinatos fuiſſe ſtatum, quem habitura eſt Eccleſia Catholica, ſub nomine Cœli adumbrata, cùm poſt Iudicium finale, tranſierit ab hac terreſtri militia ad Cœleſtem quietem æternæ beatitudinis, in tantum vt huiuſmodi mutatio poſſit vocari Cœlum nouum, & Terra noua. Sic pariter exponunt Sancti Patres loca præcitata, vt videre eſt apud dictos Doctores.

Obijcitur tertio, quia plurificatio effectuum pendet ex virtute cauſarum, ſed cauſa, quæ hunc Mundum, de legi ordinaria, produxit eſt virtutis infinitæ, ergo plures Mundos, ac etiam infinitos, potuit producere de lege, & potentia ordinaria.

Reſpondetur negando conſequentiam; nam quamuis Deus ſit ſemper infinitæ virtutis in ſe, non tamen ſemper agit ſecundum totam illam virtutem ad extra, verùm duntaxat ſecundum leges à ſe præfi-

Digitized by Google

xas de rebus creabilibus; cùm igitur in huiuſmodi legibus non contineantur ideę plurium Mundorum, dicendum eſt, illos de potentia ordinaria non eſſe producibiles ad extra.

Obijcitur quartò, quod habet materiam, & formam eſt multiplicabile, ſed Mundus conſtat ex materia, & forma, ergo &c. Maior patet, quia eſt principium indiuiduationis ex Philoſopho hic t. 92. Minor eſt eiuſdem ibidem t. 94.

Reſpondetur Maiorem eſſe veram de eo, quod habet veram materiam, ſiue partis, ſiuè totius, cuiuſmodi ſunt omnia corpora naturalia, compoſita ex materia, & forma, falſam tamen ſi habeat materiam impropriam, vt eſt Mundus, quod coaleſcit ex corporibus ſimplicibus, tam ſublunaribus, quam cœleſtibus, quę dicuntur materia eius impropria.

Contra, quia omne bonum eſt communicabile pluribus, ſed Mundus eſt quoddam bonum, ſaltem creatum, ergo quamuis non conſtet ex materia propria, tamen erit pluribus communicabilis.

Reſpondetur maiorem eſſe veram de communicabilitate per participationem ſui ab alijs, non tamen per diuiſionem ſui in plura inferiora, alioquin nullum ens eſſet indiuiſibile, cùm omne ens ſit bonum, quod eſt omninò falſum, vt patet de Diuina eſſentia, quę eſt ſingulariſſima, & nihilominus eſt ſummum bonum.

Obijcitur quintò contra ſecundam, & tertiam Concluſionem ſimul; Nam implicat contradictionem extrahere creaturam extra ſuos limites, ſiquidem tolleretur ab ea ratio formalis dependentię à Deo, quę eſt ſibi realiter identificata, ſed data hypotheſi de poſſibilitate Mundorum ſpecie differentium vſque in infinitum, extraheretur ratio Mundi extra limites creaturę, ergo implicat poſſe fieri plures Mundos differentes in infinitum. Minor probatur, tùm quia illa ſpecies in infinitum poſſibilis eſſet infinita, atqui infinitum non eſt in genere, nec limitatum, nec ab alio dependens igitur extraheretur à limitibus creaturę; tùm etiam, quia non diſtaret amplius à Deo in infinitum, ſiquidem haberet infinitam perfectionem, vt potè quę contineat perfectiones infinitorum Mundorum differentes ſpecie, ergo exiret limites creaturę; & euaderet alter Deus, quod omninò repugnat.

Reſpondetur negando minorem. Ad primam probationem concedo fore infinitam in potentias, quia quacunque data eſſet alia, & alia Mundi ſpecies vſque in infinitum; at infinitum in potentia, cùm coaleſcat ex partibus finitis, ſemper eſſet finitum, & dependens ab alio, ac proinde contineretur ſemper infra limites creaturę. Ad ſecundam probationem neganda eſt ſequela maioris, quod non diſtaret amplius à Deo: & licet foret infinita potentialiter, & extenſiuè, eſſet tamen ſemper finita intenſiuè, ac propterea diſtaret ſemper à perfectione infinita Dei, & ſic numquam euadere poſſet Deus, vt falsò ſupponitur; ſiquidem tranſitus ab infinito in potentia ad infinitum in actu eſt omninò impoſſibilis, vt aliàs diximus in 3. Phyſicorum diſp. 2. q. 2. & 2. cum Doct. Subtili lib. 2. Metaphyſicorum q. 6. §. Ad rationes in oppoſitum.

Vtrum Mundus ſit finitæ, vel infinitæ magnitudinis?

QVÆSTIO II.

Hactenus egimus de finitate, vel infinitate Mundi ſecundum multitudinem, & illam exegitauimus, tam de facto, quam de poſſibili; nunc autem de eiſdem ſecundum magnitudinem agendum nobis eſt, inueſtigando, an de facto ſit, vel poſſit eſſe Mundus infinitę magnitudinis? Circa quam quęſtionem adeſt prima opinio Antiquorum Philoſophorum, qui precęſſerunt Ariſtotelem, & Platonem, exiſtimantium hunc Mundum, cùm conſtet ex partibus ſimilaribus, vt dicebat Anaxagoras, eſſe magnitudine infinitum; ſiquidem nullo termino extrinſeco eſt terminabilis, ac proinde, cùm à nullo finiatur, remanet infinitus. Hanc opinionem videntur ſequuti, ſaltem de poſſibili, cùm aſſerant non repugnare infinitum in actu, etiam in magnitudine, nonnulli Theologi, ac Philoſophi, quos recenſuimus in 3. Phyſic. diſp. 3. q. 1. ex Ruuio ibidem Tractatu de Infinito q. 3.

Secũda opinio eſt Ariſtotelis in 3. Phyſic. à t. 40. vſque ad t. 55. & in hoc 1. lib. de Cęlo,

lo,& Mundo à t.35. vſque 75. docentis, infinitum in magnitudine actu dari non poſſe in aliquo corpore, ſiuè ſimplici, ſiue mixto, ac propterea, neque Mundum eſſe, aut eſſe poſſe infinitæ magnitudinis, ſiquidem infinitum actu, in quouis genere repugnat, etiam de potentia Dei abſoluta, vt oſtendimus in 3. Phyſicorum loco nuper citato, ex Doctrina Scoti, D. Thomæ, D. Bonauenturæ, Richardi, & aliorum, quos ibidem citauimus. Hanc ſententiam, vt loquamur conſequenter, etiamnùm defendere, ac probare tentabimus loquendo de Mundo.

Pro cuius clariori notitia, 1. Notanda, ac memoriæ reuocanda ſunt ea omnia, quę aduertimus in 3. Phyſicorum diſput.3.q.1. & præſertim duplex eſſe infinitum ſcilicet in potentia, & in actu. Primum *eſt id, cuius quantitatem accipiētibus, ſemper aliquid accipere extra eſt*; quæ diffinitio ſecundum Scotum quol.5. art.1. A. ſic expenditur: *Infinitum in potentia eſt illud cuius quantitatis quantumcumque accipiētibus ſemper reſtat aliquid accipere.* Secundùm verò *eſt id, cuius nihil eſt extra*, quæ diffinitio, ſecundum Scotum loco citato, facit ſenſum: *Infinitum in actu eſt illud, cui nihil entitatis deeſt*. Ex his infertur differentia inter vtrumque; nam partes infiniti in potentia, cùm ſint ſucceſſiuè acceptibiles vſque in infinitum, nunquam deueniendum eſt ad vltimam; partes autem infiniti in actu exigunt omnes eſſe ſimul: inſuper partes infiniti in potentia, ſunt omnes finitæ, licet in infinitum acceptibiles; at partes infiniti in actu debent eſſe infinitæ in entitate; nam ſicut ex non ſubſtantijs nequit fieri ſubſtantia, ſic ex non infinitis non coaleſcit infinitum actu, debent igitur partes eiuſdem eſſe infinitæ in actu. Infertur ſecundò, quod ab infinito in potentia non poteſt fieri tranſitus ad infinitum in actu, cùm ſint alterius, & alterius rationis eſſentialis; vndè quamuis contingeret, per Dei potentiam abſolutam, omnes partes acceptibiles in infinitum, eſſe ſimul acceptas, non ob id dicendum, illos facere infinitum in actu, cùm ſingula foret finitæ entitatis tantum; quare illud aggregatum rationem infiniti potentialis non excederet, vt diſtinguitur ab infinito in actu, ſed eſſet infinitum in potentia ad actum reductum.

Secundò Notandum ex eodem loco, totum eſſe duplex, actuale, & potentiale, ſiue perfectum, & imperfectum. Totum actuale, ſiuè perfectum eſt illud, cui nulla perfectio deeſt, vel eſt id, extra quod nihil eſt in ſuo genere, & hoc totum, ſecundum Ariſtote em 3. Phyſicorum t.64. & 5. Metaphyſicorum t.21. conuertitur cum perfecto, & perfectum cum infinito in actu, cui pariter nihil perfectionis reſtat extra accipere, ſed omnia in ipſo continentur. Totum verò potentiale, ſiuè imperfectum, eſt illud, quod non habet omnes partes ſimul, ſed eſt in potentia ad illas recipiendas, vt ſunt motus, & tempus, & iſtud totum conuertitur cum infinito potentiali, ſiquidem quauis parte accepta, ſemper reſtant aliæ accipiendæ vſque in infinitum: Ex quo ſequitur, quod ſicut totum potentiale dicitur abuſiuè totum, ita infinitum potentiale appellari debet infinitum abuſiuè: & ſicut totum potentiale non perficitur vnico actu, ſed ſucceſſiuè accipiendo partem poſt partem, ita infinitum potentiale non perficitur, niſi accipiendo partem poſt partem. Sequitur ſecundò, quod ſicut totum actuale excludit quamcumque perfectionem ad extra, cùm ſit in ſe perfectiſſimum, ita infinitum actuale debet in ſe continere omnem, & totalem perfectionem ſibi conuenientem, excludendo quamlibet perfectionem extrinſecam. Et ſicut totum actuale non coaleſcit ex partibus, quarum vna ſit potentialis, & altera actualis, verùm ex omnibus, quæ dicunt actum; ita infinitum actuale non habet conſtare ex partibus potentialibus, ſed ex actualibus, non finitis, verùm infinitis, quæ contineant perfectionem infinitam: nam quemadmodum ſubſtantia non coaleſcit ex non ſubſtantijs, ſic nec infinitum actu ex non infinitis actu partibus. Sequitur tertiò, quod infinitum actu, cùm conſtet ex partibus, quarum ſingula ſit actu infinita, actu continere debeat infinities infinita, cum infinita ſint æqualia, ſequitur partem eſſe æqualem toti, quod eſt oppoſitum illius principij: omne totum eſt maius ſua parte: inſuper cùm quodlibet infinitum actu importet perfectionem infinitã, ſequitur infinitum

nitum

Digitized by Google

nitum actu, ex ſimilibus partibus infinitis coaleſcens, importare perfectionem infinitam in infinitum, quod eſt attributum ſoli Deo conueniens. Cùm igitur hæc omnia refugiant Diuinam omnipotentiam, vtpotè implicantia contradictionem, inferendum eſt, Mundum actu infinitum fore impoſſibilem, etiam ſpectata Diuina potentia abſoluta.

Tertiò Notandum ex dictis ſuperius in hoc libr. 1. diſp. 1. q. 1. Mundum, quamuis non præſeferat aliquod per ſe vnum, verùm aggregatum duntaxat ex corporibus ſimplicibus, tam cœleſtibus, quam ſublunaribus, poſſe tamen aliqualiter deſcribi, vt indè innoteſcat nobis eius natura. Deſcribitur ergo ab Ariſtotele libr. de Mundo ad Alexandrum capit. 2. ſic: *Mundus eſt compages è Cœlo, Terraque coagmentata, atque ex ijs naturis, quæ inter ea continentur. Vel eſt ordo, & digeſtio vniuerſorum, quæ à Deo, & per Deum aſſeruatur.* Quæ deſcriptiones, ſi in vnam colligantur, faciunt hunc ſenſum, vt ſcribit Zanchius lib. 1. de Operibus Dei cap. 3. *Mundus eſt rerum omnium, tam in Cœlo, quam in Terris exiſtentium, pulcherrime inter ſe ordinatarum, & optimè diſtributarum, compages, à Deo, & propter Deum facta, & ſeruata.* Vel vt Timplèro placet Phyſicæ Generalis capit. 2. Theorem. 4. *Mundus eſt ædificium corporeum pulcherrimũ, & ampliſſimum, ex Cœlis, & Elementis artificiose à Deo in gloriam ſuam, & vſum hominum conditum.* Ex quibus deſcriptionibus optimè colligitur, Mundum eſſe quoddam corpus finitum, ex finitis partibus aggregatum, & collectum; ſiquidem corpus, cum ſit vndequaque finitum dimenſionibus, & compages præſeferat vnionem partium finitarum in vno corpore coniunctarum, nequit fieri, vt infinitum actu ex finitis partibus coaleſcat, ac proindè, quod Mundus ſit corpus, vel ædificium corporeum, aut compago, & ſit infinitus actu, quandoquidem de ratione infiniti eſt carere terminis extrinſecis.

Ex his ſit prima Concluſio. Mundus hic, à Deo conditus, non eſt actu infinitus, ſed finitus. Eſt Ariſtotelis hic à t. 35. vſque ad t. 75. contra Antiquos Philoſophos, & omnium Peripateticorum. Probatur, quod aliquando habuit principium, & factum eſt, non eſt actu infinitum, ſed Mundus hic aliquando fuit factus, vt patet Ioan. capit. 1. Mundus per ipſum factus eſt, ergo &c. Maior eſt clara, quia infinitum eſt interminabile termino extrinſeco, ſiquidem caret principio, & fine. Secundò ſic, quod coaleſcit ex partibus finitis, non eſt infinitum actu, vt patet ex Not. 1. & 2. Sed iſte Mundus coaleſcit ex partibus finitis, ergo debet eſſe finitus, & non infinitus. Minor clareſcit ex deſcriptionibus Mundi poſitis in 3. Not. ſiquidem eius partes ſunt Corpora Cœleſtia, & Elementa, quę omnia ſunt finitæ magnitudinis, vt probat Ariſtoteles hic à t. 34. vſque ad 75. ergo iſte Mundus coaleſcit ex partibus finitis. Tertiò ſic, Mundus eſt corpus, ſiuè aggregatum corporeum ex Cœlis, & Elementis ex eodem Ariſtotele hic t. 34. & ſequentibus vſque ad t. 96. Sed omne corpus, ſeù corporeum eſt finitæ magnitudinis, cùm tribus claudatur dimenſionibus ſcilicet longitudine, latitudine, & profunditate, ergo Mundus eſt finitæ magnitudinis, non autem infinitæ actu.

Secunda Concluſio. Mundum eſſe poſſe infinitæ magnitudinis actu eſt impoſſibile, etiam ſpectata Dei potentia abſoluta. Eſt Ariſtotelis, & communiter Thomiſtarum, ac Scotiſtarum contra Nominales, loquentium de Infinito actu in communi, quorum meminimus in 3. Phyſicorum diſp. 3. q. 1.

Probatur, quia potentia Dei abſoluta non ſe extendit ad ea, quæ implicant contradictionem, ſed Mundum poſſe eſſe infinitum actu implicat contradictionem, ergo &c. Maior conceditur ab omnibus, ſiquidem poſſibile duntaxat eſt obiectum Diuinæ omnipotentiæ, vt alias oſtẽdimus. Minor probatur, quia partem eſſe magnitudinis æqualis cum ſuo toto, implicat cõtradictionem, cum oppoſitum eius ſit primum principium per ſe notum, nempè omne totum eſt maius ſua parte, ſed data hypotheſi, ſequeretur partem fore æqualem toti, ergo &c. Minor probatur, quia infinitum actu conſtat ex partibus infinitis actu, hoc eſt infinitæ entitatis, vt patet ex 1. & 2. Not. Sed vnum infinitum actu eſt æquale alteri infinito actu, ergo pars vna eſſet æqualis toti, quod inuoluit contradictionem; eſſet enim pars, & non pars, totum,

tum,

Digitized by Google

tum, & non totum, quæ contradicunt. Secundò ſic, implicat quantum, vt tale, poſſe eſſe infinitum, ſed Mundus, ſecundum ſe totum, & omnes ſuas partes, eſt quantus, ergo implicat, vt poſſit eſſe infinitus. Minor eſt manifeſta, etiam ad ſenſum. Maior, in qua eſt tota difficultas, probatur, nam quodlibet quantum habet ſuas partes, in quas eſt diuiſibile, vel igitur huiuſmodi partes ſunt infinitæ, vel finitæ. Si dixeris finitas, ergo, & quantum, ex quibus coaleſcit, erit finitum. Si verò dixeris infinitas, ergo plura erunt infinita in quantitate, ſeù magnitudine, ſed hoc eſt impoſſibile, quia ratio infiniti, cùm excludat quamcumque entitatem, non permittit ſecum aliud infinitùm; ergo dicendum eſt, quòd nullum quantum poſſit eſſe infinitæ magnitudinis actu, ac proindè nec Mundus, cùm ſit quantus, poterit eſſe infinitæ magnitudinis actu.

Objicitur tamen contra primam Concluſionem. Quia omnis magnitudo, quæ non eſt terminabilis termino extrinſeco, eſt actu infinita, ſed Mundus eſt huiuſmodi, ergo Mundus eſt magnitudinis actu infinitæ. Maior patet ex oppoſito, nam magnitudo, quæ terminatur aliquo termino extrinſeco, eſt finita, cùm ab illo termino finiatur, ergo quæ a nullo termino extrinſeco finitur, debet eſſe infinita. Minor conceditur ab Ariſtotele in hoc lib. 1. t. 99. & 100. in quibus probat, quod extra Mundum nil admittendum ſit, quod poſſit habere rationem termini, quia neque motus, neque locus, neque tempus, neque vacuum, ergo Mundus non eſt terminatus, neque terminabilis termino aliquo extrinſeco; & per conſequens erit infinitæ magnitudinis.

Reſpondetur. Negando maiorem abſolute, ſiquidem ad conſtituendam aliquam magnitudinem actu infinitam, non ſufficit interminabilitas extrinſeca, ſed exigitur intrinſeca, ita quod ab intrinſeco non ſit terminata, neque terminari poſſit à ſeipſa; modò quamuis Mundus non ſit terminatus ab extrinſeco, cùm extra ipſum nihil ſit; eſt tamen terminatus ab intrinſeco ratione ſuperficiei, & ratione corporum, ex quibus coaleſcit.

Objicitur ſecundò. Mundus eſt quantus, ergo debet eſſe infinitus, vel finitus; ſiquidem finitum, & infinitum ſunt paſſiones quãtitatis ex Ariſtotele 1. Phyſicorum t. 15. atqui non eſt finitus, quia omnia in ſe continet, ergo dicendum eſt, illum eſſe infinitum actu.

Reſpondetur negando conſequentiam, ſiquidem infinitas actu non eſt paſſio quãtitatis, ſed finitas actualis, vt probatum eſt concluſione ſecunda. Et cùm probatur ex Ariſtotele 1. Phyſicorum t. 15. dico ibi locutum fuiſſe ſecundum opinionem Parmenidis, & Melliſſi, qui concedebant infinitum in actu in rerum natura, non tamen de mente propria, cùm in tali loco, & in 3. libro Phyſicorum, ac in hoc primo de Cęlo, negauerit dari in rerum natura infinitum actu, & tantum concedit poſſe admitti infinitum in potentia.

Vel dicendum ſecundò, totum argumẽtum valere de infinito in potentia, quod eſt paſſio quantitatis, non autem de infinito in actu, de quo ſolùm procedit præſens quæſtio.

Objicitur tertiò. Mundus, ſecundum Ariſtotelem hic Sum. 10. eſt æternus, ergo eſt infinitus, ſed nequit dici infinitus in potentia, igitur in actu. Conſequentia tenet, quia æternitas caret principio, & fine, ſicut, & infinitas. Minor probatur, quia æternitas, ſecundum Boetium lib. 5. de Conſol. Philoſoph. proſa 6. excludit potentialitatem, & ſucceſſionem, ergo ſi Mundus, ex eo quod eſt æternus, dicitur infinitus, intelligendum eſt de infinito in actu, & non in potentia.

Reſpondetur negando antecedens. Neque in hoc audiendus eſt Ariſtoteles, cùm fides doceat, Mundum incæpiſſe in tempore, vt ſæpiſſimè dictum fuit ſuperius diſp. 1. q. 1. & in 8. Phyſicorum diſp. 1. q. 3. vbi ex profeſſo hanc exagitauimus difficultatem; vnde nec ex Mundi æternitate poterit concludi eius infinitas actualis.

Objicitur quartò contra ſecundam concluſionem. Quia potentiæ infinitæ correſpondet effectus infinitus, ſi abſoluté agat, ſed potentia Dei eſt infinita, & Mundus infinitæ magnitudinis actu eſſet effectus eius, ergo &c. Maior patet, quia maiori, & maiori potentiæ, ſi abſolute agat, correſpondet maior, & maior effectus, ergo potentiæ infinitæ infinitus effectus, iuxta regulam topicam, ſicut magis ad ma-

Digitized by Google

magis, ita ſimpliciter ad ſimpliciter.

Reſpondetur, Maiorem eſſe veram ex parte ſui, falſam ex parte rei, quia infinitus effectus actu implicat contradictionem, ſiquidem foret, & non foret effectus; cùm infinitas actualis ſibi repugnet, ob independentiam, quam præſefert infinitum actu.

Contra, quia Deus poteſt facere quicquid facere poteſt; oppoſitum enim implicat contradictionem: ponatur ergo hoc poſſibile in eſſe in productione Mundi, & faciat totum, quod poteſt, & tunc quæro, an Mundus ſic productus ſit actu infinitus, aut finitus; ſi dixeris infinitus, habetur intentum quòd potentia Dei ſe extendat ad infinitum actu: ſi verò dixeris, finitus, ergo Deus nequit facere maius quocumque finito, quod repugnat potentiæ infinitæ Dei.

Reſpondetur, maiorem admittere duplicem ſenſum: primum, quod Deus actu facere poteſt, quicquid actu facere poteſt, hoc eſt, quicquid actu eſt poſſibile factu, & hic ſenſus eſt verus: Secundum, quod poſſit facere actu, quicquid ſucceſſiuè facere poteſt, & hic ſenſus eſt falſus, & maior falſa; quandoquidem poteſt Deus ſucceſſiuè producere infinitos Mundos, etiam differentes ſpecie, vt dictum eſt in præcedenti, quos tamen ſimul, & actu facere nequit, ob repugnantiam, quam haberent cum ſeipſo, quia ſic euaderent alter Deus.

Vel dicendum ſecundò, admittendo diſcurſum vſque ad quæſitum: At cùm quæritur, ſi Mundus ſic productus eſſet finitus, vel infinitus actu; dico eſſe finitum actu, & infinitum potentia, quia poſſent produci alij Mundi perfectiores in infinitum, quos ad actum reducere poſſet Deus; nec tamen exirent limites infiniti potentialis, quia quilibet eorum eſſet finitus; modò ex finitis, infinities acceptis, nequit fieri infinitum actu, ſicut ex non ſubſtantijs nequit fieri ſubſtantia.

Dices: ergo Deus producendo Mundum finitum, & non infinitum actu, non fecit totum, quod poteſt facere.

Reſpondetur negando illatum; ſiquidem potentia Dei, etiam abſoluta, nequit ſe extendere ad infinitum actu, vt diſtinguitur ab infinito in potentia, cùm ſit impoſſibile, ſed habet pro obiecto duntaxat entia finita actu, & infinita potentia, vt aliàs demonſtrauimus cum Doctore Subtili in 1. d. 43. & 44. quæſt. vnica.

Quod extra Mundum non ſit neque vacuum, neque Locus, neque Tempus.

SVMMA IX. CAPVT VNICVM.

IN hac Summa nona, volens, ex ſuperabundanti, oſtendere, non eſſe, nec eſſe poſſe plures Mundos, probat, quod extra Mundum hunc, non ſint neque vacuum, neque locus, in quibus recipi poſſent alij Mundi, ſi forent poſſibiles, & per conſequens neque tempus, quo menſurari poſſent eorũ motus: Vnde in T. XCIX. probat omnia, & primò, quod nullus ſit ibi locus, quia locus nequit eſſe abſque locato, cùm mutuò ſe comitentur, ſed extra Mundum nullum datur, vel dari poteſt locatum, quia nullum eſt poſſibile corpus ibi, ſiuè ſimplex, ſiuè mixtum, vt probatum eſt in t. 98. præcedenti, ergo neque locus ibi poteſt eſſe. Secundò probat de Vacuo, quia Vacuum eſſe dicunt, in quo non eſt corpus, poteſt tamen eſſe, ſed extra Mundum nullum poteſt eſſe corpus, ergo neque vacuum. Tertiò probat de tempore, quia tempus eſt numerus motus ſecundum prius, & poſterius, hoc eſt, menſura motus ſecundum partem priorem, & poſteriorem in 4. libr. Phyſicorum t. 101. ſed extra Mundum non eſt dabilis motus, cùm ibi nullum ſit corpus mobile, ergo neque tempus ibi poterit eſſe.

Quamuis autem extra Mundum non ſint poſſibilia corpora, nec loca, nec vacuum, nec tempus, tamen non eſt putandum ibi nihil omninò eſſe, quapropter in T. C. manifeſtat quænam entia extra Mundum exiſtant, dicens, talia eſſe incorporea, quæ neque tempore ſeneſcunt, neque vlla tranſmutatione commouentur, cùm ibi non ſint tempus, & motus, ſed vitam ducunt beatam ab his omnibus liberam, perpetuam, ac ſempiternam; & hæc, ſecundum Simplicium, ſunt Deus, & Intelligentiæ; ſecundum Alexandrum verò Corpora Cœleſtia, & præcipuè vltimæ Sphæræ claudentes omnia corpora, tùm ſimplicia, tùm mixta, ex quibus, vt ex partibus

tibus

Digitized by Google

tibus materialibus, coaleſcit Mundus, ſiquidem his omnibus conueniunt prædicata, ſeù attributa, quæ memorat Ariſtoteles; carent enim loco, ſunt inalterabilia, & impaſſibilia, vitam beatam, ſufficientiſſimam, & perfectiſſimam habentia, quam quibuſdam clariùs, quibuſdam autem obſcurius communicant, iuxta menſuram,& proportionem vniuſcuiuſque rei, mouentque omnia,tamquam cauſę primę, inceſſabili motu; quandoquidem Deus, & Intelligentiæ, ex lib. 12. Methaphy.à t.36.& ſequentibus ſunt immobiles, & ab eis cuncta moueretur. Quod probat præſertim de Deo, ex eo, quia eſt prima cauſa, & dignitate naturæ præſtantior cæteris: Nam ſi Deus moueretur, iam non eſſet prima cauſa, ſiquidem, omne, quod mouetur ab alio mouetur; Quod autem mouet eſt præſtantius moto, igitur ſi Deus moueretur ab alio, non eſſet illo præſtantior, ac nobilior: Cùm ergo ſit prima cauſa, & omnium præſtantiſſima, dicendum eſt, *Deum eſſe immobilem*, & ab ipſo cuncta moueri.

Quod autem Deus, & Intelligentiæ, aut vltima ſphæra non in loco ſint, vel ſubiecta tempori, patet, quia iam probatum eſt in præcedenti textu, extra vltimam circulationem nullum adeſſe locum, vel tempus. Similiter quia extra nullum adeſt corpus, & contrarium nullum, ſequitur ibi nullam eſſe alterationem, aut paſſionem, & per conſequens, quæ ibi ſunt entia erunt inalterabilia, & impaſſibilia. Hinc deducitur, quod huiuſmodi entia ſint perfectiſſima, ac proindè eis conuenire perfectiſſimum eſſe, quod eſt viuere vita beata, quæ conſiſtit in intellectione, & fruitione propriarum eſſentiarum. Denique quia perfectiſſima entia potiuntur bonitate ſibi conueniente, propterea non eſt mirum, ſi alijs entibus inferioribus illam communicent, vel clariùs, vel obſcuriùs iuxtà exigentiam, ac proportionem vniuſcuiuſque naturæ. Concludendum igitur eſt, quod cùm huiuſmodi attributa conuenire poſsint, tàm Intelligentijs, quàm vltimæ Sphæræ, vtramque expoſitionem, Simplicij nimirum, & Alexandri ſuſtineri poſſe; cæterùm conuenientiorem, & aptiorem textui, ac ſenſui Ariſtotelis iudicarem illam Simplicij, cùm meliùs, commodiuſque attributa enumerata, verificentur de Deo, & Intelligentijs, quàm de Corporibus Cœleſtibus, quicquid dixerint alij magis addicti Alexandro, quàm Simplicio.

Ex hoc textu, vt obſeruant Conimbricenſes lib. 1. de Cœlo, & Mundo capit. 9. nonnulli ſumpſerunt occaſionem dicendi, Deum, ſecundum Ariſtotelem, actu exiſtere in ſpatio imaginatio, quod an ſit, vel poſſit eſſe verum, ſecundum ſententiam Doctoris Subtilis, omninò videnda ſunt, quæ diſputaui contra quoſdam Recentiores libro 8. Phyſicorum diſp. vltima, quæſt. vnica.

De Incorruptibilitate Mundi, eiuſuè æternitate.

SVMMA X.

HÆc eſt decima, & vltima Summa huius 1. libri de Cœlo, & Mundo, in qua acturus Philoſophus de Mundi æternitate, duo potiſſimùm facit. Primùm enim recenſet opiniones Antiquorum de generatione, & corruptione Mundi, eaſque refellit, ac confutat. Secundum, in quo mouet, & exagitat hanc quæſtionem: An poſſit dari ingenitum corruptibile, aut genitum incorruptibile, diuiditur in ſeptem partes. In quarum prima obſeruat quot modis ſumi poſsint generabile, & corruptibile, ac ingenerabile, & incorruptibile. In ſecunda præmittit quonam pacto aliqua dicantur habere, aut non habere potentiam. In tertia oſtendit eſſe impoſsibile, quod aliquid ſit perpetuum,& habeat potentiam ad corruptionem. In quarta demonſtrat, nullum generabile, & corruptibile poſſe eſſe æternum. In quinta declarat quibus in rebus inueniatur generatio, & corruptio. In ſexta demonſtrat, quod ingenerabile,& incorruptibile conuertantur cum æterno. In ſeptima tandem quod omne generabile ſit corruptibile, & econuerſò, omne corruptibile generabile.

Quoad primũ Capitulum in T. CI. poſt determinata de vnitate Mũdi, inueſtigat de affectionibus eiuſdẽ,& præſertim, an Mundus ſit generabilis,& corruptibilis, vel ingenerabilis,& incorruptibilis, aut æternus, vel ſempiternus. Et circa propoſitã quęſtionẽ, in-

inquit, ſe velle audire, quid dicant, ſententiamque Antiqui, ſiquidem ex propoſitione aliarum opinionum, earumque confutatione, credibilior fit veritas propriæ ſententiæ apud audientes; præterquamquòd talem ordinem exigit Iuſtitia, quia nemo damnandus eſt, quin prius fuerit auditus, alioquin inimicorum, non iudicum partes ſubibit, qui inaudita parte ſententiam ſic tulerit.

Quapropter in T. CII. recitat Antiquorum opiniones de Mundi initio atque omnes conuenire in hanc communem ſententiam, quod Mundus ſit genitus. Diſcrepant verò inter ſe in huiuſmodi aſſertione, nàm Plato, Orphæus, & Heſiodus dixerunt, Mundum quidem habuiſſe principium, at non habiturum finem, ſed fore ſempiternum: Democritus autem dixit illum habiturum finem, ex atomorum diſſolutione, ſicut eorum concurſione in ſeinuicem ſumpſit initium. Heraclitus verò, ac Empedocles poſuerunt Mundum viciſſim gigni, & corrumpi, ſicque ex mutua generatione, & corruptione perpetuari poſſe, nunc amicitia atomos congregante, nunc lite illos diſſoluente.

In eodem textu, nititur confutare primam opinionem in eo, quod aſſerit, Mundum eſſe genitũ, & nihilominùs fore ſempiternum, & primo ſic arguit, nam Philoſophus non debet aſſerere niſi quæ omnibus, vel multis, videntur veritatem continere, ſed de huiuſmodi aſſerto videmus potius contrarium, cùm experientia nos doceat, ea, quæ gignuntur, non perpetuari, ſed interire, ergo ſuſtineri nequit, Mundum fuiſſe genitum, & futurum ſempiternum.

In T. CIII. arguit ſecundo contra eamdem opinionem, ſi Mundus eſſet genitus, vtique ex aliquibus principijs foret genitus. Tunc ſic: Vel huiuſmodi principia, ante conſtitutionem illius, poterant aliter ſe habere, vel non. Si ſecundum dixeris, ergo ſequitur, Mundum non eſſe factum, ſiquidem ante conſtitutionem non erant vnita, nec poterant vniri ad eius conſtitutionem, cùm non poterant mutari. Si verò dicas, primum, ergo ſicut tunc poterant non conſtituere Mundum, ita nunc poſſunt aliter ſe habere, & Mundum diſſoluere, vt non ſit ſempiternum, quandoquidem idem manens idem, ſemper natum eſt facere idem.

In T. CIV. ponit quandam euaſionem Platonicorum, dicentium, non fuiſſe mentem Platonis, & aliorum Antiquorum, tradere incæptionem Mundi per generationem, ſed hoc egit doctrinæ gratia, vt rudiores inſtruerentur; ſiquidem meliùs perciperent naturam Mundi, cùm audirent, illum habuiſſe principium, quam ſi æternum ſentirent: Enim verò deſignatio, quam oculis cernerent, indicaret magis temporalitatem, quàm æternitatem ipſius Mundi.

Verùm in T. CV. & CVI. reijcit hanc euaſionem dicens, non bene cohærere exemplum deſignationum, indicantium figuram Mundi ex lineis, circuloque conſtantem, cùm incæptione, & ſempiternitate eiuſdem, ſiquidem in illis accidunt poſſibilia in facto eſſe, ſicut per deſignationes indicantur, in his verò occurrunt impoſſibilia, & repugnantia, nempè quod Mundus ſit factus, & ſit ſempiternus, vt clariùs inferius demonſtrabitur.

In T. CVII. Euertit ſecundam opinionem, quæ ponebat ſempiternitatem Mundi, ex viciſſitudine generationis, & corruptionis eiuſdem, cùm tranſit ſucceſſiuè ab ortu ad occaſum, & econuerſo ab occaſu in ortum, nulla interpoſita mora, vel quiete, quandoquidem huiuſmodi alternatio, qua fit tranſitus continuus de Ortu in Occaſum, & econuerſo, nequit propriè dici generatio, & corruptio Mundi, ſed tantùm mutatio accidentalis eiuſdem de vna in aliam diſpoſitionem, ac ſi dicatur, puerum fieri virum, nulla in eo facta ſubſtantiali mutatione, verùm duntaxat tranſiſſe de vna qualitate in aliam; nàm generatio eſt mutatio ſubſtantialis de non eſſe ad eſſe, & corruptio mutatio ſubſtantialis de eſſe ad non eſſe: Mundus autem ſi tranſit ab Ortu in Occaſum non mutatur ſubſtantialiter, cùm perſeuerent ſemper eadem Elementa, ſed ſolum mutatur de vna diſpoſitione in aliam, ac proindè alteratur, non autem generatur, vel corrumpitur.

In T. CVIII. impugnat opinionem Democriti, qui dicebat Mundum naſci, & interire ad modum mixti, quod poſt eius interitum, ampliùs redire non poteſt, vndè ſic arguit, Mundus, cùm oritur, vel fit ex

ali-

aliquo præiacente, veluti principio materiali, vel ex nihilo, ſed hoc non eſt dicendum, quia ex nihilo nihil fit, vt probauit in primo Phyſicorum, ergo ex aliquo, tamquam ſubiecto generationis, igitur poſt eius interitum poterit iterum reparari. Conſequentia patet, quia manente materia, & efficiente iiſdem numero, poteſt effectus idem numero reparari, vt probauit 8. Metaphyſicorum t. 12. ergo ſi poſt interitum Mundi remanet eadem materia, & efficiens numero, & idem Mundus poterit redire, & ſic non interire ad modum mixti.

In T. CIX. Proponit ſententiam Platonis in Timæo dicentis, quod quamuis, vt plurimùm ſit verum, quod omne generabile ſit corruptibile, tamen vniuerſaliter loquendo, huiuſmodi regula patitur exceptionem; ſiquidem Cœlum habuit principium, & tamen nunquam habiturum eſt finem; Cæterum quod ſit propoſitio vniuerſaliter vera, omne generabile eſt corruptibile, promittit ſe oſtenſurum in ſequentibus textibus, ſicut econuerſo, quod omne æternum ſit ingenerabile.

Quoad ſecundum caput, in quo agitat illam quæſtionem. An poſſit dari ingenitum corruptibile, aut genitum incorruptibile, præmittit aliqua facientia ad intentum, nempe quot modis dici poſſit aliquid ingenerabile, & incorruptibile, ac generabile, & corruptibile, ſiquidem ſunt æquiuoca, & æquiuoca prius ſunt diſtinguenda, quam diffinienda, quod probat in T. CX. nam æquiuoca ſunt confuſa quædam, cùm plura indiſtinctè ſignificent, quare intellectus circa illa nequit ſe applicare, niſi confuſe; vndè ad hoc vt habere poſſit conceptum diſtinctum, qui faciat ad propoſitum, de quo agendum erit oportet illa prius diſtinguere, ac proinde poſtea determinare, ſe velle potiùs agere de iſto, quam de illo conceptu.

Vndè in T. CXI. Præmittit primò, quod ingenerabile dicitur tripliciter, nempe pro eo, quod acquirit quidem eſſe, quod prius non habebat, at non per veram generationem, cuiuſmodi eſt motus, & tactus: vel pro eo, quod non eſt genitum, gigni tamen poteſt, & ſic omne ingenitum, aut improductum ſubſtantiale, dicitur hoc pacto ingenerabile: vel denique pro illo, quod habet impoſſibilitatem ad eſſe, aut fieri, ita quod ſit impoſſibile, vt aliquando ſit, & aliquando non ſit. Impoſſibile autem contingit dupliciter, vel ſimpliciter, quia dicit repugnantiam ad eſſe factum, vel ſecundum quid, quod dicitur difficile fieri. Hic eſt ſermo de ingenerabili tertio modo ſumpto, & de impoſſibili ſimpliciter.

In T. CXII. Præmittit ſecundò, & dicit, quod etiam generabile per oppoſitum dicitur tribus modis. Vno modo pro eo, quod accipit eſſe poſt non eſſe, ſiuè generationem, ſiuè abſque generatione, & hoc pacto, idem poteſt dici ingenerabile, & generabile reſpectu diuerſorum; ingenerabile, quidem quia non accipit eſſe per veram generationem, & generabile, cùm per veram generationem accipit eſſe poſt non eſſe. Secundo modo ſumitur pro illo, quod eſt gigni poſſibile, ſiuè tale ſit poſſibile ſimpliciter, ſiuè ſecundum quid, vt idem ſit, quod facile, vel benè, vel citò, & hic modus reſpondet tertio ingenerabili. Tertio modo accipitur pro eo, quod accipit eſſe poſt non eſſe per veram generationem, ſiuè de facto ſit, ſiuè non ſit genitum, & hic modus reſpondet ingenerabili ſecundo modo.

In T. CXIII. Præmittit tertio ac expendit ſimilibus modis corruptibile, & incorruptibile: Quandoquidem vno modo dicitur corruptibile id, quod accipit non eſse poſt eſse, ſiue per veram corruptionem, ſiuè non, & hic modus reſpondet generabili, & per oppoſitum ingenerabili primo modo ſumptis. Secundo modo illud dicitur corruptibile, quod per veram corruptionem contingit non eſse, & hic modus reſpondet generabili, tertio modo, & ingenerabili ſecundo modo. Tertio modo denique corruptibile dicitur id, quod de facili, aut benè, aut citò corrumpi poteſt, & hic correſpondet tertio modo de ingenerabili, & ſecundo de generabili.

In T. CXIV. Præmittit quartò notatque quod etiam incorruptibile tribus modis expendi poteſt. Primo modo id dicitur incorruptibile, quod aliquando eſt, & aliquando non eſt ſed non per veram corruptionem, & ſic omne accidens poteſt dici incorruptibile, quia interdùm eſt & interdùm deſinit, ſed non per veram corruptionem. Secundo modo dicitur de eo, quod in

in natura exiſtit, itaut ſit ei impoſsibile non exiſtere, aut poſſe deficere. Tertio modo id dicitur incorruptibile, quod exiſtit, & impoſsibile ſit, vt non exiſtat, vel poſsit non eſſe, & hic modus correſpondet ingenerabili tertio modo.

Quoad ſecundam Partem huius ſecundi Capitis, declarat quonam pacto aliqua dicantur habere, aut non habere potentiam, ſeù habere impotentiam, & potentiam, vnde in T. CXV. dicit, illa melius clareſcere ex puriori dillucidatione horum duorum terminorum, incorruptibile, & ingenerabile. Enim verò illud dicitur propriſſime incorruptibile, quod per nullam potentiam corrumpi poteſt, ſed ſemper neceſſariò eſt. Et illud vocatur propriiſsime ingenerabile, quod impoſsibile eſt fieri, aut nullo pacto eſſe poteſt, vt diameter commenſurabilis coſtæ, ſiuè lateri.

In T. CXVI. Præmittit quintò, & determinat quid ſit poſsibile in ordine ad potentiam, & impotentiam actiuam, dicens, quod vtraque refertur ad exceſſum, non autem ad intermedia, contenta ſub exceſſu, cum hac differentia, quod potentia actiua enunciatur per affirmationem, impotentia verò per negationem; vt ſi quis dicat, iſte baiulus poteſt portare centum libras argenti, igitur, & nonaginta, & octoginta &c. poterit portare; vel iſte curſor poteſt currere decem ſtadia, & octo, & ſex &c. currere poterit: & per oppoſitum, baiulus non poteſt ferre centum libras argenti, ergo non poterit portare centum, & vnam, aut duas, aut tres, & ſic de cæteris: vel hic eſt impotens ad currendum per decem ſtadia, ergo multò minus currere poterit per decem, & vnum, aut duo.

In T. CXVII. occurrit cuidam obiectioni, quæ fieri poſſet contra definita de potentia actiua. Nam potentia non ſemper definitur ab exceſſu per relationem ad intermedia, ſed econuerſo; quandoquidem valet, potentia viſiua poteſt videre punctum, ergo & lineam palmarem, & ita aſcendendo ad maiorem quantitatem, vſque ad maximam. Et à ſimili potentia auditiua poteſt audire paruum ſonum, ergo, & magnum, & maiorem vſque ad maximum, igitur non erit verum, quod potentia actiua determinetur ſemper ab exceſſu per relationem ad intermedia.

Reſpondet negando conſequentiam; nã viſus, & auditus non ſunt potentiæ actiuę, ſed paſsiuę. Vnde potentia paſsiua determinatur per minus cum relatione ad maius, & maius, vſque ad maximum vt patet in exemplis allatis; quare in potentijs paſsiuis exceſſus determinatur magis ex parte potentię, potentis recipere, quam ex parte rei obiectiuę; in potentijs autem actiuis ſe habet econuerſo, ſiquidem exceſſus deſumitur ex parte rei: velocitas enim, quę eſt potentia actiua excedit aliam, ſi poſsit in diſtantiam maioris magnitudinis: & per oppoſitum illa potentia viſiua dicitur aliã excedere ſi poſsit recipere ſpeciem minoris obiecti, vnde non valet arguere à potentia paſsiua ad actiuam, & econuerſo, cùm ſint diuerſę, modò à diuerſis nequit fieri illatio.

His pręmiſsis, reſpondet in T. CXVIII. ad propoſitam quęſtionem, dicens: Adhuc duo alia pręmittenda eſſe, nempe duo eſſe rerum genera, & quod poſsibile, & impoſſibile, verum & falſum dupliciter accipi poſſunt ſcilicet ſimpliciter, & ex ſuppoſitione. Primum expendit dicens, aliqua eſſe entia, quę ſecundum proprium eſſe immutabilia ſunt, itaut habeant eſſe, quod amittere non poſſunt, vel ita ſunt, vt non poſsint non eſſe, & hęc dicuntur ſempiterna: alia verò ex oppoſito, ita habent eſſe, quod & amittere poſſunt, ac non eſſe, cuiuſmodi ſunt homines, equi, & huiuſmodi, & hęc dicuntur temporalia, quia ita menſurantur tempore determinato, vt vno poſsint dici eſſe, & alio maiori, & maiori finito tamen, quo poſsint dici non eſse; non enim poteſt aſsignari tempus infinitum, in quo idem poſsit eſse, & aliud infinitum, in quo poſsit non eſse, cùm non dentur duo infinita tempora.

Secundum declarat in T. CXIX. dicens: Impoſsibile, & poſsibile, verum, & falſum ex ſuppoſitione dicuntur, quę ſunt talia non ex ſe, verùm ex aliquo ſuppoſito, vt impoſsibile eſt, quod triangulus habeat tres angulos, ęquales duobus rectis, ſi impoſsibile ſit, ipſum eſse figuram; & per oppoſitum poſsibile erit diamerrum eſse ęqualem, ſeù commenſurabilem coſtę, ſi hęc ponatur ęqualis in figura quadrangulari. Illa verò dicuntur ſimpliciter impoſſibilia, & poſsibilia, vera, aut falſa, quę

ex

Digitized by Google

ex ſe, & abſque reſpectu ad aliud ſunt talia, vt quod homo ſit lapis, vel equus. Hinc ſequitur primo; non eſse idem, aliquid eſse falſum ſimpliciter, & impoſsibile ſimpliciter, ſiquidem te non ſtante, dicere te ſtare, eſt falſum ſimpliciter, non eſt autem ſimpliciter impoſsibile: Dicere verò, quod aliquis ſimul ſtet, & ſedeat, & quod diameter ſit commenſurabilis coſtæ, non ſolum falsũ eſt, ſed etiam impoſſibile, ergo non eſt idẽ ſupponi falſum, & impoſſibile, quia ex impoſſibile ſequitur bene impoſſibile, non autem ex falſo, ſemper ſequitur impoſſibile. Secundò ſequitur quod potentia ad oppoſita in vno, & eodem poteſt ſimul ſtare, non autem actus oppoſiti, ſiquidem aliquis poteſt ſimul habere potentiam ſedendi, & ſtãdi, non autem ſimul ſedere, & ſtare.

Quoad tertiam Partem eiuſdem capitis in T. CXX. pro reſolutione prioris partis quæſtionis ſtatuit hanc cõcluſionem, quod nullum perpetuum, ſeù ſempiternum poſsit eſse corruptibile, quam probat ex ſuppoſitionibus, ſiuè præmiſsis ſuperiùs poſitis hoc pacto, ſi perpetuũ, ac infinito tempore exiſtens, aliquod ſit corruptibile, ſequeretur, quod duo contradictoria poſsẽnt eſse ſimul vera, ſed conſequens eſt impoſsibile, ergo & id, ex quo ſequitur. Sequelam maioris probat, quia perpetuum, ac infinito tempore exiſtens dicitur, quod ſemper eſt, & pro nullo tempore poteſt non eſse, corruptibile verò, quod pro aliquo tempore habet potentiam non eſse, ſi ergo corruptibile ſit, quod eſt perpetuum ſequitur, quod ſemper ſit, & ſemper non ſit, & aliquando ſit, & aliquando non ſit pro infinito tempore, quæ inuoluunt contradictionem. Neque poteſt dici, quod nunquam erit tempus, quo actu non erit, licet poſſit non eſſe, quia fruſtra eſſet talis potentia, quæ non ordinaretur ad actum, ſi ergo conceditur, quod pro aliquo tempore perpetuum habeat potentiam ad non eſſe, ſequitur, quod aliquando non erit, quod tamen contradicit rationi, & naturæ perpetui, ac ſempiterni. Concludit igitur, impoſſibile ſimpliciter eſſe, quod perpetuum ſit corruptibile, & ingenerabile, generabile, quia quod ſemper eſt; incorruptibile eſt, & ingenerabile, alioquin poſſet aliquando non fuiſſe; ſiquidem generatio eſt progreſſio de non eſſe ad eſſe.

Quoad quartam Partem eiuſdem capitis in T. CXXI. reſpondet ad ſecundam partem quæſtionis per ſequentem Concluſionem: Nullum generabile, & corruptibile eſt æternum, quam ſic oſtendit, corruptibile eſt illud, quod prius erat, & poſterius non eſt, vel ſaltem contingit non eſſe; generabile autem, quod contingit prius non eſſe, & poſteà eſt, ſed æternum, perpetuum, ac ſempiternum ſemper eſt, ita quod non poteſt dari tempus aliquod finitum, vel infinitum, in quo non ſit, ergo corruptibile, & generabile non eſt æternum, perpetuum, ſeù ſempiternum. Maior patet ex præmiſſis ſuperius traditis. Minor probatur quod non poſſit dari aliquod tempus infinitum, in quo ſempiternum non ſit; quia data hypotheſi, non eſſet ſempiternum, cùm nõ ſemper eſſet; neque etiam finitum, quia nec ſic ſemper eſſet, ac proindè nec perpetuum, aut æternum eſſet, quod repugnaret ſuppoſito. Secundò probatur, ſi haberet tempus infinitum in quo poſſet non eſſe, haberet quoque finitum, quia finitum in infinito cõtinetur, ſed hoc non eſt dicendum, quia idem poſſet eſſe, & non eſſe, ſiquidem ratione perpetui, ſemper poſſet eſſe, & ratione corruptibilis, ſemper non eſſet, & ſic poſſet eſſe, & non eſſe, quod inuoluit contradictionem. Tertiò probatur de generabili, quandoquidem generabile continet duos terminos, quorum prior eſt negatiuus, & poſterior poſitiuus, ſcilicet non eſſe, & eſſe, ſi impoſſibile ſit priorem eſſe, & poſteriorem eſſe, impoſſibile erit, ſed non eſſe, qui eſt prior terminus, repugnat perpetuo, ac ſempiterno, ergo & poſterior, qui eſt eſſe, ſibi repugnabit, & per conſequens etiam generabile, quod vtrumque terminum neceſſariò inuoluit, repugnabit ęterno, & perpetuo. Maior patet, quia poſterior terminus neceſſariò dependet à priori, igitur data impoſſibilitate prioris, ſequitur de neceſſitate impoſſibilitas etiam poſterioris.

Quoad quintam Partẽ eiuſdẽ capitis, in T. CXXII. proſequitur oſtendendo quod generabile, & corruptibile non poſſint eſſe æterna, & perpetua, nam vnũ membrũ cõtradictionis nequit affirmari de altero mẽbro cõtradictionis, alioquin affirmatio eſſet negatio, & e conuerſo, quod repugnat, ſed perpetuũ, & corruptibile, ac generabile sũt duo mẽbra cõtradictionis, ergo vnũ nequit

affirmari de alio. Minor probatur, quia perpetuum dicit, ſemper poſſe eſſe, corruptibile, ac generabile, non ſemper poſſe eſſe, quæ ſunt contradictoria, ergo generabile, & corruptibile non ſunt æterna, ſiuè perpetua.

In T. CXXIII. demonſtrat idem ex regula contrariarum, quia contrariæ non poſſunt eidem ſimul ineſſe, ſed ſi generabile, & corruptibile forent æterna, ac perpetua, eidem ineſſe poſſent, propoſitiones contrariæ, ergo &c. Maior patet ex regula contrariarum, & ex diffinitione contrariorum. Minor probatur, quia ſi generabile, & corruptibile poſſent eſſe perpetua, ſequeretur quod illa, quæ poſſunt non eſſe aliquando, ſemper eſſent, vel ſemper eſſe poſſent, ſed ſemper poſſe eſſe, & ſemper poſſe non eſſe, hoc eſt interdum eſſe, & interdum non eſſe, ſunt propoſitiones contrariæ, cùm vna ſit vniuerſalis affirmatiua, & altera vniuerſalis negatiua de modo vniuerſali, ergo propoſitiones contrariæ poſſent ſimul eidem ineſſe. Maior patet, quia perpetuum ſemper eſt, ſemperque eſſe poteſt, generabile autem, & corruptibile aliquando ſunt, & aliquando non, igitur poſſunt non eſſe aliquando, quod eſt contrarium de ly ſemper eſſe, vel poſſe eſſe.

In T. CXXIV. idem oſtendit ex regula contradictoriarum, ſiquidem contradictoriæ nequeunt eſſe ambæ veræ, ſed data hypotheſi, eſſent ambæ veræ, ergo generabile, & corruptibile nequeunt eſſe perpetua. Minor probatur, quia perpetuum ſemper eſt, generabile, & corruptibile non ſemper eſt, ergo ſi generabile, & corruptibile eſſent perpetua, quod non eſt ſemper, eſſet ſemper, igitur contradictoriæ eſſent ambæ veræ, quod eſt impoſſibile.

Quoad ſextam Partem eiuſdem capitis probat, quod ingenerabile, & incorruptibile conuertibiliter cõueniant æterno, ac perpetuo, vndè in T. CXXV. ex prædictis ſic conficitur ratio, omne quod ſemper eſt, & non poteſt non eſſe, ſempiternum eſt, ac perpetuum, ſed omne ingenerabile, & incorruptibile ſemper eſt, & non poteſt non eſſe, ergo omne ingenerabile, & incorruptibile eſt ſempiternum, ac perpetuum. Maior, & minor ſunt notæ ex diffinitionibus ſempiterni, ingenerabilis, & incorruptibilis, ſuperiùs traditis.

Quoad ſeptimam Partem, eiuſdem capiris, oſtendit, quod generabile, & corruptibile dicantur adinuicem conuertibiliter; tùm quia de vtroque dicitur, neque ſemper ens, neque ſemper non ens, ſed aliquãdo ens, & aliquando non ens, ergo quod eſt generabile, eſt corruptibile, & quod eſt corruptibile, eſt generabile: tũ etiam, ſi generabile nõ eſt corruptibile, ſequitur quod ſit incorruptibile, cum inter corruptibile, & incorruptibile nõ detur medium; ſi incorruptibile, ergo & ingenerabile, quia hæc ſe conſequuntur, ſed hoc implicat cum generabili, igitur dicendũ eſt, generabile eſſe corruptibile, quod eſt intentum. Similiter ſi corruptibile non eſt generabile, erit igitur ingenerabile, & etiã incorruptibile, cũ adinuicẽ ſe conſequãtur, ſed hoc implicat cũ corruptibili, ergo dicẽdum erit, quod corruptibile ſit generabile, ſicut incorruptibile eſt ingenerabile, & ecõuerſo.

In T. CXXVII. probat quod ingenerabile, & incorruptibile ſe conuertantur adinuicem, quia ſecùs ſequeretur, quod nec cõuerterentur cum ſempiterno, ſed hoc eſſet irrationabile, ſiquidem nihil ſempiternum cogitari poteſt, niſi quod ſit ingenerabile, & incorruptibile, cætera namque opponuntur rationi ſẽpiternitatis, quia non ſẽper eſſẽt, ſed aliquãdo ſic, & aliquando nõ, igitur &c. Secundò probat à ſimili, quia generabile, & corruptibile ſe conſequuntur, vt viſum eſt in præcedenti textu, ergo etiam ingenerabile, & incorruptibile adinuicẽ conuertũtur, cum nequeant conuerti cum corruptibile, & generabili, alioquin ingenerabile cũ generabili, & incorruptibile cum corruptibili deberent conuerti, quia generabile, & corruptibile ſe conſequuntur, quæ inuoluunt contradictionem. Antecedens probatur ex dictis, nam inter id, quod ſemper eſt, & quod ſemper non eſt, mediat id, quod aliquando eſt, & aliquando non eſt, quod eſt generabile, & corruptibile, ergo generabile, & corruptibile ſe conſequuntur, quia ambo conueniunt in eo, quod interdum ſint, & interdum non ſint.

In T. XXVIII. & T. XXIX. Proſequitur oſtẽdere, quod ſicut ingenerabile, & incorruptibile ſe conſequuntur, ita debeant ſe cõſequi etiã generabile, & corruptibile, adeo quod horum neutrum cum illorum neutro coniungi poſſit; quandoquidem ingenerabile, & incorruptibile ſemper ſunt, & nunquã

non

Digitized by Google

nõ ſunt: generabile verò, & corruptibile aliquando ſunt, & aliquando non ſunt: vndè ſic poteſt colligi ratio ex vtroq; textu: Nullum ſempiternum eſt generabile, aut corruptibile, ſed omne ingenerabile, & incorruptibile ſempiternum eſt, ergò nullum ingenerabile eſt corruptibile; & nullum incorruptibile eſt generabile. Maior patet, quia quod ſempiternum eſt, ſemper eſt; at quod eſt generabile, & corruptibile aliquãdo eſt, & aliquàndo non eſt, ergo quod eſt ſempiternũ nequit eſſe generabile, & corruptibile. Minor ex dictis in t. 126. & 127. optimè clareſcit: enimuerò cùm generabile, & corruptibile ſe conſequantur tanquã medium ad id, quòd ſemper eſt, ac ſemper non eſt, ſequitur cum horum altero coniũgi non poſſe: nam quemadmodũ ingenerabile ſe habet ad generabile, ita incorruptibile ad corruptibile ſe habere debet, ergo ſicut impoſſibile eſt, quòd ingenerabile ſit generabile, ita erit impoſſibile quòd incorruptibile ſit corruptibile, ac proindè infertur, quod ingenerabile ſit incorruptibile, & generabile corruptibile, ac econuersò.

In T. CXXX. Ex his nititur euertere opinionem Platonis, aſſerentis, quod ſemel genitum ſit incorruptibile, & ingenerabile exiſtens ſemel corrumpi poſſit, ita quod ſemel conueniat huic quidem generatio, alteri verò corruptio abſque viciſſitudine generationis, & corruptionis; ſic namque dicere eſt deſtruere aliquod ex principijs, quæ ſuperiùs poſita fuerunt, & præſertim illud, quod ſtatuit nihil poſſe eſſe infinito tempore, & aliquando non eſſe: quãdoquidem omnia, quæ agunt, & patiuntur, aut poſſunt agere, vel pati in infinito tempore, aut finito, atqui neutrum dici poteſt, ergo &c. Maior patet, quia inter finitum, & infinitum non datur medium. Minor probatur, non poteſt dici, quod tempore infinito, quia omnis actio, & paſſio habet finem, igitur nequeunt agere, & pati tempore infinito: Neque tempore finito, quia ſic genitum non eſſet incorruptibile, neque corruptum ingenerabile; ſiquidem ingenerabile, & incorruptibile habent eſſe tempore infinito, & non poſſunt non eſſe; genitum verò, & corruptum tempore finito, & aliquãdo poſſunt non eſſe; atqui hoc eſſet contra ſuppoſitum opinionis, ergo dicendum eſt, illa nec poſſe agere per generationem, nec pati per corruptionem, ac proindè neque ingenerabile exiſtens poſſet corrumpi, neque genitum eſſe incorruptibile.

In T. CXXXI. arguit iterùm contra eandem opinionem hoc pacto: Si genitum poſſet eſſe incorruptibile, aut econuersò incorruptibile genitum, vel ingenerabile corruptum, non poſſet aſſignari inſtans in quo corrumperetur, vel generaretur; ſiquidem ingenerabile, & incorruptibile habent eſſe infinito tempore, cum ſemper ſint, ſed in infinito tẽpore nequit aſſignari aliquod determinatum inſtans, igitur non poſſet ingenerabile corrumpi, neque incorruptibile generari. Amplius ſi ponatur aliquod genitum incorruptibile, ſimul habebit potentiam vt non ſit, & ſit: vel ſi ponatur ingenitum corruptibile, habebit potentiam, vt non ſit, ſed vtrumque pugnat cum ratione ingeniti, & incorruptibilis, ergo fieri nequit, vt incorruptibile ſit genitum, & ingenitum corrumpatur.

In T. CXXXII. proſequitur eãdem expugnationem: nam ſi incorruptibile, & genitum infinito tempore poſſent ſtare ſimul, vtique in omni ſigno eſſent ſimul, ſed hoc eſt impoſſibile: quandoquidem tempore infinito haberent potentiam exiſtendi, & non exiſtendi; exiſtendi quidem quod eſt in omni ſigno incorruptibile; non exiſtendi verò, quod eſſet omni ſigno genitum; atqui hęc ſunt pugnantia adinuicem pro omni ſigno, ergo impoſſibile eſt, quod poſſent ſtare ſimul. Vlteriùs ſi incorruptibile tempore infinito ſit genitum, ergo generationis in ipſo præcedebat potentia infinita durationis ad generari, ex quo ſequitur, quod potentia exiſtendi erat ſimul in eodem cum actu exiſtẽdi, ſed hoc implicat, quia tunc pro eodem ſigno eſſent ſimul forma, & eius priuatio, quæ omninò repugnant, ergo &c.

In T. CXXXIII. impugnat aliud dictum Platonis, nempe quod poſſibile ſit, aliquod eſſe corruptibile, & aliquando non corrumpi: nam ſi hoc eſſet verum, ſequeretur quod idem eſſet corruptibile, & non corruptibile actu, quæ implicant contradictionem, igitur impoſſibile eſt aliquid eſſe corruptibile, & aliquando non corrumpi. Sequela maioris probatur, nam quod ſemper eſt, non eſt corruptibile (ca-

ret enim potentia ad poſſe corrumpi) ſed quod aliquando corrumpitur ſemper eſt, ergo quod aliquando non corrumpitur nō eſt corruptibile, ac proindè idem eſſet corruptibile, & non corruptibile actu, quod inuoluit contradictionem.

In T.CXXXIV. CXXXV. CXXXVI. probat nullum genitum eſſe incorruptibile, & æternum: nam ſi aliquod genitum eſſet incorruptibile, aut hoc eſſet à caſu, vel fortuna, aut à natura, ſed horum nullum dici poteſt, ergo impoſſibile eſt genitum eſſe incorruptibile. Maior patet à ſufficienti diuiſione cauſarum eſſendi. Minorem probat, & primùm, quod non à caſu, vel fortuna, quia id, quod fit à caſu, vel fortuna fit extra ſemper, vel frequenter; aut in determinato tempore, & ſi eſſet incorruptibile fieret ſemper, & determinato tempore infinito, ergo non fieret à caſu, vel fortuna. Quod nec à natura, quia quæ fiunt à natura poſſunt eſſe, & non eſse; quandoquidem habent eſse à materia, quæ eſt potentia contradictionis, vt ſint, & non ſint, ergo genitum nequit eſſe incorruptibile: nam ex eo, quod genitum poſset eſse, & non eſse, & ex eo, quod incorruptibile ſemper eſset, igitur genitum nequit eſse incorruptibile à natura, alioquin includerent naturam oppoſitam.

In T. CXXXVII. & T. CXXXVIII. occurrit cuidam tacitæ reſponſioni, nam quiſpiam poſset dicere; incorruptibile habere potentiam vt non ſit, non quidem reſpectu temporis futuri, ſed reſpectu præteriti, ſicut ingenitum corruptibile e contrario poteſt non eſse comparatione futuri, non præteriti; At, inquit Philoſophus, cōparatiō nulla eſt, quia licet potentia reſpiciat futurum, ad præteritum tamen nulla eſt, ergo licet incorruptibile poſsit dicere negationem potentiæ, vt non ſit reſpectu temporis præteriti, hoc eſt prioris anni, non ſequitur tamen, vt non poſsit habere potentiam non exiſtendi pro tempore futuro, ideſt in poſteriori, & ſequenti anno; quarè infert, reſponſionem iam datam ab alijs nullam eſse.

In T. CXXXIX. confirmat oppoſitionem factam cōtra aliorum reſponſionem; quandoquidem dicere, potentiam dari ad non eſse reſpectu temporis præteriti, eſt ſimiliter dicere, quod ſempiternum prius exiſtens, habeat poſteriùs potentiam ad nō eſse, quod tamen repugnat naturæ ſempiterni entis, ſiquidem omne tale ingenitum eſt, cum careat materia, quæ eſt principium generationis, & corruptionis, ſeù vt res ſit, & non ſit.

In T. CXL. tandem reprobat opinionē Platonis per rationes phyſicas; generatio namque, & corruptio præſupponunt ſemper diſpoſitiones contrarias; ſiquidem omnia generabilia, & corruptibilia alterabilia ſunt alteratione corruptiua ex qualitatibus contrarijs, & ab iis diſpoſitionibus, ex quibus conſtant, ab eiſdem corrumpuntur abſque recurſu ad agentia extrinſeca, igitur cum omne genitum conſtet ex diſpoſitionibus contrarijs, & præſertim ex materia, quæ eſt principium, & radix corruptionis compoſiti, non eſt dicendum quod eſt genitum, fore incorruptibile, & in perpetuum duraturum; & e contra cum ingenitum careat huiuſmodi diſpoſitionibus contrarijs, & præcipuè materia prima, conſequenter dici nequit, ipſum aliquando fore corrumpendum, & quandoque interiturum. Et hæc de paraphraſi huius primi libri dicta ſufficiant.

De Rerum Mundialium Potentijs, ac effectibus.

DISPVTATIO IV.

IN hac quarta, & vltima Diſputatione, ſequendo ordinem textus Ariſtotelis, & Diſputationum, quas Recentiores exagitare ſolent, agendum nobis eſset de Potentijs actiuis, paſsiuis, ac reſtitiuis rerum naturalium, deque terminis earundem: necnon de Mundi inceptione, ac deſitione: Verùm cum de prioribus, ſaltem pro neceſſitate, actum ſit in 1. Phyſic. diſp. 2. q. 3. & in 2. de Anima diſp. 3. per totam: de poſterioribus verò in 8. Phyſicorum diſp. 1. per totam, & in hoc eodem libro diſp. 1. per totam, & diſp. 3. q. 2. non eſset cur de eiſdem nouas Diſputationes texere deberemus, ne videremur, aut iam dicta repetere, aut ſuperaddere ſuperflua. Cæterū nè quiſpiam Criticus dicere poſſit, quod huiuſmodi textus, veluti ſuis cōmētis viduatos, reliquerimus, vel ob inopiā Doctrinę Scoticę, vel ob animi deſidiā, vel ob corporis infirmitatē, quaſi

quaſi reliquias colligeremus, ſequentes difficultates ad mẽtem Doctoris Subtilis examinandas, ac ſoluendas, ſubnectere decreuimus. Primò an præter potentias naturales in rerum mundialium ordine, admittenda ſit potentia obedientialis. Secundò an potentia obedientialis rectè diuidatur in actiuam,& paſſiuam. Tertiò an potentia obedientialis ſit in omnibus rebus æqualis. Quartò an ad præteritum poſſit eſſe aliqua potentia, ſiue naturalis, ſiue obedientialis. Quintò an eſſe genitum, vel productum inferat neceſſario in creatis eſſe corruptibile, ſiue mortale. Sit igitur quæſtio primo loco.

An præter potentias naturales, in rerum Mundialium ordine, admittenda ſit potentia obedientialis, à naturali diſtincta?

QVÆSTIO I.

POtentiam naturalem in rebus Mundialibus dari tàm actiuam, quàm paſſiuã, eſt ita notum, vt non niſi à ſenſu carentibus negari poſſit: verùm loquendo de potentia obedientiali, à naturali diſtincta, videtur non parua controuerſia inter Doctores, cùm videantur varij, ac diſcrepantes in aſſignanda prænotione huiuſmodi potentiæ. Nam aliqui ſupra naturalem potentiam, reſpectu effectuum, & operationum naturæ vires excedentium, agnoſcunt tantùm relationem tranſcendentalem ſubiectionis ad ſpeciale imperiũ Diuinæ voluntatis, vt illa poſſit ad libitum exire in actus, & operationes ſupernaturales. Ita Baranus in Phyſica diſp.4. q.6. dub.1. Roſſius de Potent.obed.diſp.1.punct.6.quos citat,ac ſequitur Serbello.de efficiente creato diſp.2.q.3.art.10.§.185.& 186. Compronus diſp.26.ſect.1.nu.7.à quibus nõ longe abeſt noſter Maſtrius diſput.7. q.6. art.5. vbi pro hac ſententia citat Doctorem Subtilem pluribus in locis ſuæ Doctrinæ.

Alij ſupra naturalem potentiam fingunt modum quendam accidentalem reſpectu formarum accidentalium recipiendarum, ita quod potentia obedientialis paſſiua non eſt aliud, quam potentia naturalis, vt ſubſtat tali modo. Ita Conimbric.lib.de Cœlo cap.11. q.4. art.2.

Alij parum deuiantes à prima ſententia, ſuſtinent potentiam obedientialem ſuperaddere naturali, non repugnantiam duntaxat in creatura ad obediendum Creatori. Ita Zumel relatus ab Hurtado in Phyſica diſp.9. ſect.14. ſubſect.3.

Alij verò cenſent, potentiam obedientialem in rebus creatis, conſiſtere in ſubordinatione cauſarum ſecundarum primæ, à qua ſumunt motionem agendi, vel patiendi ſupra naturæ vires. Ita nonnulli Recentiores, quos ſine nomine referunt Doctores citati in prima ſententia.

Alij denique conſtituunt naturam potẽtiæ obedientialis in quadam qualitate ſpirituali creaturæ inhærente, qua eleuatur ſupra naturæ uires ad agendum, vel patiendum iuxta beneplacitum Diuinæ voluntatis. Ita communiter Thomiſtæ.

Quid autem ſentiat Scotus in hac materia non eſt manifeſtum, cùm de illa parum ſit locutus, nihilominus quibuſdam ex eodem adnotatis, ſuam, & noſtram conabimur pro viribus aperire opinionem.

Primò igitur notandum eſt ex eodem Doct.Subtili in 1.ſent. d.20. q.vn. B,& d.7. q.vn.K.L. Potentiam tripliciter ſumi poſſe, nempè logicè, metaphoricè, & propriè, ſeù phyſicè. Potentia primo modo dicit modũ compoſitionis factæ ab intellectu, & iſta connotat non repugnantiam extremorum, de qua locutus eſt Ariſtoteles 5. Metaphyſ. capit. de potentia t. 17. cum dixit: Illud eſt poſſibile, cuius contrarium non eſt de neceſſitate verum, vt hominem ſedere eſt poſſibile, non enim neceſſariò non ſedere falſum eſt. Potentia ſecundo modo reperitur in Geometricis, ſicut Geometræ imaginantur punctum eſſe in potentia ad lineam, & hæc ad ſuperficiem, & ſuperficies ad corpus mathematicum. Potentia tertio modo idem eſt, quod principium, vt docet Ariſtoteles in 5. Metaph. cap. de Potentia t.17. & hæc diuiditur in actiuam, & paſſiuam. Actiua eſt vis aliquid agendi. Paſſiua verò eſt virtus, ſeù aptitudo aliquid recipiendi, vel ſuſtentandi. Vtraque iſtarum eſt duplex ſcilicet naturalis, & ſupernaturalis. Actiua naturalis eſt vis producẽdi effectus, quos poteſt ſpectatis naturæ viribus, adhibito concurſu generali Dei, ſibi ſecundum ordinem, ac diſpoſitionem naturæ debitũ. Paſſiua verò naturalis eſt vis, ſeù capacitas

Digitized by Google

recipiendi formas ſibi proportionatas, ſecundum communem curſum ab agente naturali impreſſas in paſſum. Potentia ſupernaturalis actiua eſt vis producendi illos effectus, quos ex viribus proprijs & ſecundum naturæ leges nequit efficere, & ſic intellectus creatus reſpectu viſionis beatificæ dicitur eſſe in potentia ſupernaturali, cùm nequeat, abſque lumine gloriæ, vel aliquo auxilio ſpeciali Dei, videre Deum, vt eſt obiectum viſionis beatificæ. Supernaturalis verò paſſiua, aut non datur ſecundum Scotum, vt dicam in ſequenti notabili, aut ſi aliquo pacto admittatur, foret ſolùm ad illas formas, quas ex natura ſua recipere non poſſet, vt ſi Deus imprimeret intellectionem lapidi, potentia ſuſceptiua in ipſo eſſet aliquo pacto ſupernaturalis, quia eſſet ad formam ſibi indebitam, per habitudinem tamen ad agens ſupernaturale, ratione cuius tantùm poſſet appellari ſupernaturalis. Potentia autem ſupernaturalis diuiditur in ſupernaturalem ſecundum ſubſtantiam, & ſecundum modum tantum. Prior reſpicit formas ſecundum ſubſtantiam ſupernaturales, cuiuſmodi ſunt gratia, fides, ſpes, charitas: Poſterior verò reſpicit formas ordinis naturalis ſupernaturaliter tamen impreſſas in paſſum, vt eſt reſtitutio viſus in perfectè cæco. Hic eſt ſermo de potentia, tàm actiua, quàm paſſiua, ſiuè reſpiciat ordinem naturæ, ſiuè illum ſuperet, ac excedat.

Secundò Notandum ex eodem Doctore Subtili in 4. d. 43. q. 5. §. Intelligendum eſt hic &c. naturale tripliciter ſumi poſſe, nempè vt opponitur ſupernaturali, libero, & violento, vel neutro. Naturale primo modo eſt duplex ſcilicet actiuum, & paſſiuum. Actiuum eſt quod habet naturalem ordinem actiui ad paſſum debitè approximatum, & ſic quodcunque agens cauſatum, vt ſunt Angeli, Homines, & cætera animata, & inanimata dicuntur agentia naturaliauè actiua, & per oppoſitum ſolus Deus dicitur actiuum ſupernaturale, cùm agat in quodcumque paſſum ſupra ordinem naturæ. Paſſiuum verò naturale eſt quodcumque factibile ab actiuo naturali cauſato; & per oppoſitum paſſiuum ſuper naturale eſt omne illud, quod in ſuo fieri pendet à ſolo Deo ſupernaturaliter agente, cuiuſmodi ſunt gratia, fides, ſpes, charitas, & cætera dona ſuperioris ordinis. Naturale autem ſecundo modo vt opponitur libero eſt, quod habet tantum vnum modum agendi determinatum, idest, quod poſitis omnibus requiſitis ad agendum, non poteſt non agere, vt Sol, ignis, & cætera agentia naturalia, præter voluntatem Angelicam, & Humanam: & per oppoſitum agens liberum eſt illud, quod poſitis omnibus requiſitis ad agendum neceſſarijs, poteſt agere, & non agere ſicut ſibi placet, vt aliàs dictum eſt. Naturale vero tertio modo vt opponitur violento, & neutro, non dicit ordinem ad agens, vel paſſum, ſed tantum ad formam, quam ſi recipit cum inclinatione ad ipſam dicitur eſſe in potentia naturali ad ipſam; ſi contra inclinationem erit in potentia violenta; ſi verò illam reſpiciat, nec ſecundum inclinationem, nec contra illam, tum paſſum dicitur eſſe in potentia neutra ad ipſam. Ex his infertur, quod naturale hoc tertio modo ſumptum non opponitur ſupernaturali, ſiquidem forma, ſiue imprimatur paſſo virtute agentis naturalis, ſiue ſupernaturalis, non denominabitur naturalis, vel ſupernaturalis ab ipſo, ſed ſolùm naturalis, vel violenta, vel neutra, ſecundum quod paſſum illam reciperet aut cum inclinatione, aut contra inclinationem, vel neutro modo. Hic eſt ſermo de naturali, vt opponitur ſupernaturali duntaxat, tàm actiuo, quàm paſſiuo.

Tertiò Notandum, vt colligitur ex eodem Doctore in 3. d. 1. q. 1. ſub E, & H, & q. 2. C, & q. 4. ſub A, & quol. 9. R. quod potentia obedientialis in rebus creatis, cum præſeferat entitatem naturæ cum relatione aptitudinali obedientiæ, ſeù ſubiectionis ad efficientiam primi efficientis tantùm, & non ad aliam potentiam actiuam, debet eſſe ſupernaturalis, vt opponitur naturali, per quam creatura in operando, ſiuè actiuè, ſiuè paſſiuè, non conformatur legibus naturæ, ſicut facit potentia naturalis, ſed ſolùm ſecundum Diuinæ voluntatis imperium, quo eleuari dicitur ad opera ſupernaturalia: Quamobrem ſi conſideretur formaliter potentia obedientialis importat entitatem rei eleuandæ, connotando relationem ſubiectionis ad imperium Diuinæ voluntatis præbentis concurſum ſpecialem, & extraordinarium, vt moliri poſſit quæ-

Digitized by Google

nis opera ſupra naturæ vires,& exigentiam tàm illius rei, quàm comprincipiorum, quæ ſecundum ordinem naturalem prærequirebantur ad naturaliter operandum. Ex his infertur differentia inter potentiam naturalem, & obedientialem; ſiquidem potentia naturalis dicitur talis, quia operatur ſecundum ordinem naturæ, & iuxtà leges ab eadem natura præfixas; at potentia obedientialis, quamuis in entitate formaliter ſit eadem cum potentia naturali, & remotè, tamen de connotato inuoluit relationem tranſcendentalem obedientiæ ad primum efficiens, hoc eſt ad voluntatis Diuinæ imperium, per quam dicitur eleuari extra ordinem naturæ, & quaſi conſtitui in potentia operandi proxima ſupra leges naturæ, & præter ordinem naturalem. Secundò differunt, quia potentia naturalis, vt exeat in actus operandi non eget concurſu ſpeciali Dei, cùm ſufficiat ſibi influentia generalis, ſecundum quam concurrit cum omnibus cauſis ſecundis; at potentia obedientialis de neceſſitate indiget concurſu ſpeciali Diuinæ voluntatis, molientis in aliquo priori naturæ tale opus in ſingulari, vtpotè eliciendum, vel recipiendum in tali entitate creata. Hinc deduci poteſt notificatio, ſiue deſcriptio potentiæ obedientialis, quod nimirū ſit vis rei creatæ, indita ſibi à Deo, ad operationes ſupra vires naturales moliendas, vel recipiendas, aut ſuſtentandas, mediante concurſu ſpeciali Diuinæ voluntatis determinantis, ac molientis tales, aut tales effectus in ſingulari.

Quartò Notandum, pro huius deſcriptionis puriori intelligentia, ex Scoto in 4. d. 1. q. 1. ſub duplici Rr, & d. 6. q. 5. D, & d. 13. q. 1. art. 3. Ce, & d. 43. q. 3. §. Tertia opinio &c. quod vis indita à Deo potentiæ obedientiali, ad hoc, vt poſſit exire in operationes ſupra naturæ vires, non eſt aliqua virtus, ſiue qualitas ſpiritualis recepta in creatura eleuanda ad opera ſupernaturalia, vt cenſent Thomiſtæ; neque modus quidam ſpecialis conſtituens ipſam in ordine ſupernaturali, vt putant nonnulli Recentiores; neque ſimplex ſubordinatio cauſæ inferioris ad ſuperiorem, vt volunt alij; quandoquidem vt probauimus in 2. Phyſicorum diſp. 5. q. 3. Deus in principio creationis, condidit, entitates rerum cum omni perfectione ſibi conuenienti, vt poſſint proprias operationes moliri, ſiuè in ſuo, ſiuè in alio ordine, ſi habeant prompta alia comprincipia; ſed eſt aptitudo obedientiæ ad efficientiam primi efficientis, non quod ipſe ſolus producat formam ſupernaturalem in re creata, ipſa merè paſſiuè ſe habente, verùm etiam, quod illa, vt ſpecialiter ſubordinata, coagat ſimul cum eo, producendo eandem formam, quam tamen non poſſet producere, niſi ſubordinaretur imperio Diuinę voluntatis, præbentis concurſum ſpecialem ad eiuſdem formæ efficientiam, qua de cauſa Deus dicitur ſupernaturaliter agere, & creatura coagendo ſibi ſupernaturaliter obedire. In hac igitur ſubordinatione, & obedientia ad Imperium, & Voluntatem Dei, vt primi efficientis ſupernaturaliter, conſiſtit vis indita rebus creatis, vt exire valeant in actus, & operationes ſupernaturales, & non in aliqua qualitate ſupernaturaliter illis infuſa; nec in aliquo modo ſuperaddito, aut in ſimplici ſubordinatione cauſæ ſecundæ ad cauſam primam quicquid dixerint alij ſupra relati.

Ex his igitur ſit prima Concluſio. In rerum mundialium ordine, præter potentias naturales, admittenda eſt in nonnullis etiam potentia obedientialis. Ita Scotus in 3. d. 1. q. 1. E, & H. q. 2. C. q. 4. ſub A, & quolib. 19. ſub R. Probatur, quia in nonnullis rebus creatis reperitur vis, & aptitudo ad operandum ſupra vires naturæ, ergo in eis admittenda eſt aliqua potentia ſupernaturalis, ſed talis eſt potentia obedientialis, igitur in nonnullis rebus admittenda eſt potentia obedientialis. Conſequentia tenet, nam potentia naturalis non agit præter ordinem naturæ, ergo ſi aliquibus rebus creatis adſit vis, & aptitudo ad operandum ſupra vires naturæ, talis neceſſariò debet eſſe ſupernaturalis. Antecedens ſuadetur ſic; ſiquidem natura rationalis recipit in ſe varios effectus ſupernaturales, ad quos ex ſuis viribus nullam habet proportionem, vt ſunt vnio hipoſtatica, viſio, & fruitio beatifica, gratia habitualis, habitus ſupernaturales fidei, ſpei, & charitatis: ſimiliter producit multas operationes ſupernaturales, cuiuſmodi ſunt actus fidei, ſpei, & charitatis, & ſimilium, ad quos ex viribus naturæ non habet proportio-

Digitized by Google

tionem; idem dicendum eſt de intellectu, ac voluntate Angeli reſpectu actuum ſupernaturalium, igitur in nonnullis rebus creatis reperitur vis, & aptitudo ad operandum ſupra vires naturæ. Aſſumptum probatur, quia potentia obedientialis in rebus creatis, idem eſt ac potentia ſupernaturalis, vt probauimus in 3. Not. ergo cùm in nonnullis rebus creatis admittatur potentia ſupernaturalis ad varios effectus ſupra vires naturæ, conſequenter admitti debet in illis potentia obedientialis.

Secunda Concluſio. Potentia obedientialis non conſiſtit in modo accidentali ſuperaddito naturæ, vt poſſit recipere, vel producere aliquas formas ſupernaturales: Neque in non repugnantia creaturæ ad obediendum Creatori: neque in ſimplici ſubordinatione, quam cauſæ ſecundæ præſeferunt ad cauſam primam: neque in qualitate ſupernaturali ipſam conſtituente in actu primo agendi, aut recipiendi formas ſupernaturales, vt dicunt alij, ſed tantum ſita eſt formaliter in entitate rei naturalis, connotando relationem obedientiæ, ſeù aptitudinem ſubiectionis ad imperium Diuinæ voluntatis, præbentis concurſum ſpecialem ad nonnullas operationes ſupra naturæ vires moliendas, vel recipiendas, aut ſuſtentandas, vt colligitur ex Doctore Subtili in 4. d.1. q. 1. ad vltimum principale d.6. q.5. D. d.13. q.1. art. 3. Cc, & d. 43. quæſt.3. §. Tertia opinio &c.quem ſequuti ſunt eius Diſcipuli varijs in locis,& ex alienis, Doctores citati pro prima ſententia, quibus addi poſſunt Poncius libr. 2. Phyſicorum diſput.9. q. 8. concl. 4. num.137. & Ruuius libr.1. de Cœlo, tract. de terminis potentiarum quæſt.4. part.2. dubio 1. Appendicis. Probatur quoad omnes partes impugnando aliorum opiniones, & primo quod potentia obedientialis non ſit modus accidentalis ſuperadditus potentiæ naturali, qua redditur capax in recipiendo, vel potens in producendo operationes ſupra vires naturæ; quandoquidem talis entitas modalis non eſt neceſſaria,nec ad recipiendum, nec ad producendum tales operationes ſupernaturales, ergo non eſt admittenda. Antecedens probatur, quia ſi foret neceſſaria, hoc maxime eſſet ob improportionem potentiæ naturalis ad operationes ſupernaturale, ſed hoc eſt fictitium,ergo &c. Sequela maioris admittitur ab opinantibus. Minor probatur, quia accipio huiuſmodi entitatem modalem ſuperadditam potentiæ naturali, & quæro an ſit ordinis naturalis, vel ſupernaturalis: Si naturalis, igitur cum, & ipſa ſit improportionata ad formas ſupernaturales, non poterit reddere potentiam naturalem ad illas proportionatam: Si ſupernaturalis, ergo non poterit recipi in potentia naturali abſque alia entitate modali, de qua quæram ſicut de priori, & ſic erit proceſſus in infinitum, at hic eſſet contra Ariſtotelem 2. Metaph. t.c.5. & alibi, ergo ſtandum eſt in potentia naturali ſine tali modali entitate,ac proinde probatur non neceſſaria, ſed ſuperflua. Secundò probatur ſecunda pars, & ſimul impugnatur tertia ſententia nam potentia obedientialis, cum ſit virtus, & aptitudo recipiendi, vel producendi aliquid reale ſupra vires naturæ, non eſt potentia logica, quæ ſecundum Doctorem Subtilem in primo d.7. quæſt. vnic. dicit tantùm modum compoſitionis factæ ab intellectu, ſed ſi potentia obedientialis eſſet non repugnantia creaturæ ad obediendum Creatori, eſſet duntaxat potentia logica, quæ neceſſariò inuoluit non repugnantiam extremorum compoſitionis logicæ ex Ariſtotele 5. Metaphyſicorum capit. de Potentia t.17. propè finem, ergo dicendum eſt, potentiam obedientialem aliquid addere vltra non repugnantiam creaturæ ad obediendum Creatori. Tertiò probatur tertia pars, & impugnatur quarta ſententia, quia ſimplex ſubordinatio cauſæ ſecundę ad primam cauſam, non facit neceſſariò exire cauſam ſecundam extra ordinem naturæ, ſiue actiuè, ſiue paſſiuè concurrat cum illa, ſed potentia obedientialis facit, quod cauſa exeat limites naturæ, ergo potentia obedientiæ non dicit tantum ſimplicem ſubordinationem cauſæ ſecundæ ad primam cauſam. Maior eſt manifeſta, apud omnes, alioquin inter cauſas ſecundas nulla eſſet cauſa naturalis, ſed omnes eſſent ſupernaturales, cum nulla ſit creatura, quæ non dependeat ad primam cauſam. Minor patet, quia aliter non tenderet in operationes ſupra vires naturales, ſed eſſet intra fines, ac leges naturæ, quod eſſet con-

Digitized by Google

contra ſuppoſitum probatum in 3. & 4. Not. Quartò probatur quarta pars, & refellitur opinio Thomiſtarum à Doctore Subtili in 4. d. 43. quæſt. 3. §. Tertia opinio &c. ſi enim potentia obedientialis ſuperadderet virtuti potentiæ naturalis qualitatem ſpiritualem, illam conſtituentem in actu primo recipiendi, vel efficiendi operationes ſupernaturales, ſequeretur, quod potentia naturalis cum tali qualitate poſſet independenter à cauſa prima, operari ſupernaturaliter, ſed hoc eſſet contra naturam potentiæ obedientialis, & cuiuſcumque cauſæ ſecundæ, ergo &c. Maior cum ſua ſequela probatur, tùm quia eſſet conſtituta ſufficienter in actu primo operandi: tùm etiam, quia haberet totum id, propter quod indiget actione cauſæ primæ, ergo poſſet ſine concurſu illius operari ſupernaturaliter. Minor patet, quia potentia obedientialis dicit aptitudinem, & relationem dependentiæ ad efficientiam primi efficientis, vt dictum eſt Not. 3. & 4. & quælibet cauſa ſecunda ſicut dependet à cauſa prima in eſſe, ita in operari, ergo ſi potentia obedientialis poſſet operari independenter à primo efficiente, iam non eſſet potentia obedientialis, verùm deſtrueretur eius natura. Quintò probatur ſexta pars Concluſionis, & declaratur prima ſententia, quam priùs docuit Doctor Subtilis in locis præcitatis, ſiquidem ratio potentiæ obedientialis, vel conſiſtit in aliquo modo ſuperaddito potentiæ naturali: vel in non repugnantia ad imperium Diuinæ voluntatis: vel in ſimplici ſubordinatione cauſæ ſecundæ ad primam cauſam: vel in quadam qualitate ſuperinfuſa potentiæ naturali, per quam eleuetur extra ordinem naturæ, & transferatur ad ordinem ſupernaturalem: vel tandem in entitate naturalis potentiæ, connotante concurſum ſpecialem Diuinę voluntatis, & relationem ſubiectionis ad eiuſdem imperium, ſed in nulla priorum quinque conſiſtere valet, vt probatum eſt, ergo dicendum eſt conſiſtere in ſexta, nempè formaliter in entitate potentiæ naturalis, connotando concurſum ſpecialem Dei, & relationem ſubiectionis ad imperium Diuinæ voluntatis; Conſequentia tenet per locum à ſufficienti diuiſione, & per locum ab excluſione vnius ad incluſionem alterius. Confirmatur quia potentia naturalis, penitùs immutata, concurrens cum primæ cauſæ concurſu ſupernaturali, attingere valet operationes ſupernaturales, vt patet de intellectu reſpectu viſionis, & de voluntate reſpectu fruitionis beatificæ, quæ ſunt operationes ſupernaturales, ergo idem dicendum de potentia obedientiali, quæ operatur ſupra ordinem naturæ. Nec iuuat dicere, intellectum, & voluntatem beatam attingere huiuſmodi operationes per habitus ſupernaturales, à quibus eleuantur de ordine in ordinem: Quandoquidem viſio, & fruitio cùm ſint operationes vitales, nequeunt, vt ſic, habere eſſe ab habitibus luminis gloriæ, & charitatis, igitur neceſſariò pendent ab intellectu, & voluntate, quæ ſolum habent vitalitatem, ac proinde concurrunt in ſuo ordine ſimul cum prima cauſa in ſuo ordine pariter concurrente. Conſequentia eſt manifeſta cum potentia obedientialis ſit ratio operandi ſupra vires naturę, atque adeò ſupernaturalis. Confirmatur ſecundo, quia potentia obedientialis eſt, quę eleuatur ad operationes ſupra ordinem naturę ob improportionem, quam ex viribus naturę habet ad illas, ſed talis nequit eſſe aliud, quam entitas, ſeu virtus entitatiua potentię naturalis, ergo potentia obedientialis conſiſtit formaliter in tali virtute entitatiua. Maior patet, quia potentia obedientialis dicit ordinem ad efficientiam primi efficientis, à qua dicitur eleuari ad operandum ſupra vires naturę ex dictis in tertio, & quarto Not. Minor probatur, quia in potentia obedientiali continentur duo, vnum de formali, & eſt entitas potentia naturalis; alterum de connotato, & dicit relationem ſubordinationis ad efficientiam, ſeu concurſum ſpecialem Diuinę voluntatis; at huiuſmodi relatio, ſiue concurſus non eſt eleuabilis, cum ſit ſupernaturalis, ergo eſt ſola entitas potentię naturalis, quę eleuatur, ac proindè in hac ſola formaliter conſiſtit potentia obedientialis, connotando talem relationem ſubordinationis ad imperium, ſiuè concurſum Diuinę voluntatis.

Obji-

Digitized by Google

Obijcitur primo contra primam Concluſionem, quia omnis potentia, aut dicit ordinem ad agens, aut ad formam, ſed neutra iſtarum poteſt dici obedientialis, ergo in creaturis non eſt admittenda aliqua potentia, quæ dicatur obedientialis. Maior eſt Scoti in Prologo 1. Sent. q. 1. ſub L. Minor probatur, nam ſi potentia reſpiciat agens, vel eſt naturale, & ſic dicitur potentia naturalis; vel eſt ſupernaturale, & ſic appellatur potentia ſupernaturalis: ſi verò dicat ordinem ad formam, vel cum inclinatione ad ipſam recipiendam, & ſic eſt naturalis; vel contra inclinationem, & ſic eſt violenta; vel cum negatione vtriuſque, & ſic eſt neutra, ergo cum in iſtis non reperiatur potentia obedientialis, concludendum eſt, non eſſe admittendam, vt membrum diſtinctum à potentia naturali.

Reſpondetur negando minorem; ad probationem dico, quod ſi potentia obedientialis ordinetur ad agens, eſt ſupernaturalis, prout diſtinguitur à naturali; importat enim relationem ad efficientiam primi efficientis, qui eſt agens ſupernaturale: Si verò ordinetur ad formam, cùm recipiat formas ſupernaturales cum negatione inclinationis, & eius oppoſiti, erit potentia neutra, ac proindè diſtincta à potentia naturali, ſumpta naturalitate, & per ordinem ad agens, & ad formam.

Obijcitur ſecundo contra ſecundam Concluſionem ſi potentia obedientialis cõſiſtit formaliter in entitate cuiuſque rei naturalis, ſequitur eſſe potentiam naturalem, & nullatenus ab ea diſtinctam, ſed hoc eſt contra præcedentem concluſionem, ergo dicendum eſt non conſiſtere in entitate abſoluta potentiæ naturalis.

Reſpondetur ſequelam maioris eſſe veram in recto, quatenus fundat relationem, vel ad agens naturale, vel ſupernaturale, non tamen in obliquo, & de connotato, quia ſic diſtinguuntur, quandoquidem vt relatio terminatur ad agens naturale dicitur potentia naturalis; vt verò terminatur ad agens ſupernaturale ſupernaturaliter concurrente, tunc dicitur potentia ſupernaturalis, & obedientialis.

Obijcitur tertio. Potentia obedientialis, & ſupernaturalis idem ſonant, cùm vtraque ſit principium operandi ſupra vires naturæ; ſed potentia ſupernaturalis nequit dici talis, niſi prius eleuetur per receptionem alicuius formæ ſupernaturalis ſibi inhærentis, ergo idem dicendum eſt de potentia obedientiali; ac proinde hæc ſumere debet ſuam denominationẽ ab aliquo modo ſuperaddito, vel ab aliqua forma ſupernaturaliter infuſa in potentia eleuabili, vt dicunt Conimbricenſes, & Thomiſtæ. Maior eſt nota ex dictis ſupra. Minor probatur, quia intellectus nequit dici potentia ſupernaturaliter operans ad viſionem, & voluntas ad fruitionem beatificam, niſi eleuentur de ordine naturali ad ſupernaturalem ordinem, hæc per receptionem ordinariam habitus charitatis, & ille per habitum luminis gloriæ, ergo &c.

Reſpondetur negando Minorem. Ad probationem negatur etiam eleuari huiuſmodi potentias ad ordinem ſupernaturalem per receptionem illorum habituum ſupernaturalium, ita quod ab eis ſumant virtutem operandi ſupernaturaliter; ſiquidem agunt ad operationes illas ſupernaturales, nempè viſionis, & fruitionis beatificæ per propriam virtutem naturalem, cum habeant totum ens pro obiecto adæquato: & in tantùm dicuntur eleuari ſupra vires, in quantum cum eis concurrit Diuina voluntas gerens vicem obiecti ſupernaturalis: eleuatio enim, vt aliàs dictum eſt cum Doctore Subtili in 4. d. 1. q. 1. ad vltimum argumentum principale, dicit duntaxat ſubordinationem, & dependentiam in agendo potentiæ inferioris ad ſuperiorem in ordine ad effectum communem ab eis producendum, qui, vt aliàs docuimus in Phyſicis, appellatur concurſus in actu ſecundo.

An Potentia obedientialis rectè diuidatur in Actiuam, & Paſſiuam?

QVÆSTIO II.

QVamuis ex hucuſque actitatis facilè poſſemus reſpondere huic propoſitæ difficultati; nihilominus lubet illam ſeorſim pertractare nedum vberioris doctrinæ gratia, verùm etiam vt occaſionem habeamus examinandi multorum Doctorum opiniones, & eam ſeligendi, quæ conuenientior doctrinæ Doctoris Subtilis nobis probata fuerit, & cæteris probabilior.

Prima igitur opinio negat dari potentiam

tiam obedientialem actiuam in rebus creatis, & paſſiuam tantùm in eis agnoſcit, per quam moraliter ſolùm operari dicuntur, deferendo duntaxat actiuitatem Diuinæ omnipotentiæ. Sic Vaſquez in 1. part. D. Thomæ diſp. 176. cap. 3. Coninchius de Sacramentis q. 62. art. 4. Faber Fauentinus in 4. Sent. Scoti diſp. 2. cap. 4. n. 36. Aretinus ibidem d. 1. q. 4. art. 6. Y ribarnes diſp. 4. ſect. 2. Vulpes 1. p. tom. 1. diſp. 23. art. 13. num. 4. Cartagena de Sacram. diſp. 3. difficul. 2. capit. 7. & alij non pauci, quorum meminit Roſſius de Potentia obedientiali diſp. 1. puncto 6.

Secunda opinio, huic omninò aduerſa, præter potentiam obedientialem paſſiuam, admittit in nonnullis rebus creatis etiam obedientialem actiuam. Ita Tannerus to. 4. diſp. 3. q. 3. dub. 3. P. Franciſcus Suarez in 3. p. D. Thomæ diſp. 30. ſect. 6. & diſp. 31. ſect. 5. in Metaph. diſp. 43. ſect. 4. n. 6. Hurtad. in Phyſic. diſp. 9. ſect. 14. & de Incarnat. diſp. 57. ſect. 3. Ariaga in Phyſic. diſput. 9. ſect. 4. ſubſect. 3. Serbell. de Efficiente Creato diſput. 2. q. 3. art. 8. vbi citat. D. Thom. 3. p. q. 13. art. 3. & q. 62. art. 1. 3. & 5. Maſtrius in Phyſic. diſp. 7. q. 6. art. 4. & Poncius diſput. 9. q. 9. num. 122. qui pro hac ſententia citant Doct. Subtili in 3. d. 4. q. vnic. E. & G, quibus, & nos loquentes conſequenter ad ea, quæ hucuſque diximus, libenter ſubſcribimus.

Pro cuius maiori declaratione, præter ea, quæ in præcedenti obſeruauimus, primo notandum eſt ex Doctore Subtili in 4. d. 1. quæſt. 1. § Ad quæſtionem &c. & d. 6. q. 5. D, quod agere contingit dupliciter, principaliter, ac inſtrumentaliter. Agere primo modo adhuc dupliciter attenditur. Vno modo excludendo omnem cauſam ſuperiorem agere adeò vt ſic agere principaliter ſit agere independenter à cauſa ſuperiore agente, & ſic agere competit ſoli Deo. Alio modo intelligitur agere principaliter, id eſt per formam propriam actiuam, & intrinſecam agenti, ita tamen quòd in agendo ſit ordinata cauſæ agenti, & ſic omnis cauſa ſecunda actiua dicitur agere principaliter in ſuo ordine. Agere verò ſecundo modo multipliciter intelligi poteſt, ſecundum diuerſas acceptiones inſtrumenti. Quandoquidem inſtrumentum aliquando ſumitur, vt diſtinguitur contra cauſam agentem independenter à cauſa ſuperiori, & ſic omnes cauſæ ſecundæ vocari poſſunt inſtrumenta primæ cauſæ, cùm in cauſando neceſſariò dependeant ab ea. Quandoque ſumitur pro illo, quod non attingit principaliter, & effectiue terminum intentum à principali agente, ſed tantùm diſponit ad illum, & ſic omnia accidentia dicuntur inſtrumenta ſubſtantię, ſiquidem diſponunt ad generationem formarum ſubſtantialium ab agente intentarum. Interdùm accipitur pro parte agentis principalis, qua vtitur in agendo, & ſic manus vocari poteſt inſtrumentum ſcribentis. Aliquando appellatur inſtrumentum omne illud, quod in eſſe quieto caret virtute actiua, ſed tantum illam recipit dùm actualiter agit, & ſic ſpecies intentionalis coloris per aerem diffuſę dicuntur inſtrumenta reſpectu illuminationis, quia ſolumodo agunt dùm illuſtrantur à Sole. Denique inſtrumentum extenditur ad omnia artificialia, quibus vtuntur artifices in ſuis operationibus, cuiuſmodi ſunt ſerra, ſecuris, aſcia, maleus, & cętera huiuſmodi, quę deſeruiunt fabris in ſuis operationibus artificialibus. Ad propoſitum quęritur, an potentia obedientialis, ſiuè actiua, ſiuè paſſiua gaudere poſſit nomine principalis agentis, dependentis à ſupremo agente, vel ſolum ſit agens, vel paſſum inſtrumentale duntaxat, & quonam pacto ſit inſtrumentum.

Secundò Notandum eſt, vt colligitur ex eodem Doctore in pręcitatis locis, Deum agere immediate in effectum producendum ab eo ſimul cum Agente creato, & immediatione virtutis, cùm illum attingat per propriam virtutem, non aliunde receptam, & immediatione ſuppoſiti, cum eius virtus non recipiatur prius in Agente creato, ſed ſimul cum illo attingit effectum ab vtroque in eſſe ponendum. Et per oppoſitum agens creatum attingit effectum mediatè mediatione virtutis, cum illum producat per propriam virtutem quidem, quia illam non recepit ab agente ſuperiori in actuali actione, verùm mediate, quia illam habuit dependenter à Deo in primordio ſuę conditionis, dicente D. Auguſtino: Deus res, quas condidit ita adminiſtrat, vt proprios motus agere ſinat. Ex quibus infertur, Deum quidem per ſuam virtutem immediatam ponere effectum in eſſe, ad

quem

quem ordinatur potentia obediētialis actiua, cum hoc tamen, vt ſimul cum ipſo agat obedientialis potentia per propriam virtutem naturalem, eleuatam verò per ſubordinationem ad ipſum Deum ſupernaturaliter agentem, ſine qua non poſſet exire in actum ſecundum, producendum ſimul cū Deo, quamuis ab ipſa fuiſſet naturaliter intentus. Exemplum ſit de intellectu creato reſpectu viſionis Diuinæ, & de voluntate creata reſpectu fruitionis beatificæ: nam vtraque potentia, cum ſint in potentia obedientiali actiua ad huiuſmodi operationes ſupernaturales eliciendas ſimul cum Diuina voluntate, concurrente per modum obiecti, neque prius eleuantur à Deo per ſuum immediatum concurſum, vt poſſint illas ſupernaturaliter producere, neque illæ per propriam actiuitatem naturalem, quaſi poſterius eliciunt, & operantur, ſed ſimul ab omnibus per propriam virtutem in eſſe vitali; & ſupernaturali producuntur, ac ſi ſingulæ à ſingulis virtutibus elicerentur.

Tertiò Notandum eſt, potentiam obedientialem in actiuam, & paſſiuam partiri poſſe in Doctoris Subtilis Schola, eſſe ita peruium, ac manifeſtum, vt nemo Scotiſta verus, poſſit, niſi proteruiendo, hoc negare: Quandoquidem Scotus loquendo in 3. Sent. d. 1. q. 1. ſub F, & H. de poſſibilitate Incarnationis Diuini Verbi cum natura humana, tum ex parte Dei, tùm ex parte naturæ, dicit, hanc eſſe in potentia paſſiua dependendi ad Verbum, *quia licet non ſit aptitudo talis naturæ ad dependendum, eſt tamen aptitudo obedientiæ, quia natura illa eſt in perfecta obedientia ad dependendum per actionem agentis ſupernaturalis; & quando datur ſibi talis dependentia, perſonatur perſonalitate illa, ad quam dependet; quando autem non datur perſonatur in ſe iſta negatione formaliter*. Et ſub H. ſubdit: *Negatio potentiæ dependendi nulli creato conuenit; negatio aptitudinis ineſt cuilibet naturæ perſonabili in ſe, etiam quando actu dependet, quia actum ſupernaturalem non concomitatur aptitudo in natura, cùm ſit tantùm in potentia obedientiali ad ipſum*. Et q. 2. ſub C. ſubiungit. *Ad ſecundum, & tertium ſimul dico, quod ſi vna potentia obedientialis eſt in natura, qua poteſt vniri tribus diſiunctim, illa vna reducta eſt ad actum per hoc, quod Verbum eam ſuſtentat*. Et qu. 4. A. oſtendendo, quod ſuppoſitum creatum non poteſt ſuſtentificare aliquam aliam naturam à ſua inquit, *quia natura alia, ad talem vnionem cum ipſo, non eſt in potentia, niſi tantùm obedientiali, quia aliter eſſet violenter ſub proprio ſuppoſito, ſicut graue ſurſum, potentia obedientialis in creatura reſpicit efficientiam primi efficientis, nō aliam potentiam actiuam*. Quid clariùs poterat dici à Doctore loquendo de potentia obedientiali paſſiua? Quod autem, & actiuam admiſerit, non obſcure oſtenditur ex ipſo in eodem 3. d. 4. quæſt. vnic. vbi volens probare Beatam Virginem fuiſſe veram Matrem Dei, & actiuè ſe habuiſſe concurrendo cum Spiritu Sancto, ſicut aliæ matres cum patre inquit. *Iſtud declaratur per Damaſcenum capit. 48. vbi dicit, quod Spiritus Sanctus dedit ei potentiam ſuſceptiuam, ſimul autem, & generatiuam, non quod miraculoſe dedit ei illam fœcunditatem, ſecundum quam cooperabatur, ſed illam habuit naturaliter, quia non fuit ſterilis; & ſecundum eam potuiſſet naturaliter cooperari ad productionem filij, ſi pater naturalis genuiſſet: ſed potentia actiua cauſa inferioris eſt remota, quando cauſa ſuperior non agit, ita quod nunquam cauſa inferior eſt in potentia propinqua ad effectum, niſi cauſa ſuperiori agente. Hæc potentia propinqua conferebatur Mariæ, non ex tali cauſa naturali, ſed immediate à Spiritu Sancto habente vim principalis cauſæ: & ideò Spiritus Sanctus dedit ei vim generatiuam, hoc eſt potentiam generandi propinquam ſecundum illam vim naturalem, qua ipſa erat naturaliter fœcunda, ſed ſuſceptiuam dedit ei, in quantum erat generatiua Verbi: ſicut enim natura, ad quam, vt ad formalem terminum, erat iſta generatio tantum erat in potentia obedientiali, vt vniretur Verbo, ita illa Mater habuit potentiam obedientialem, vt eſſet Mater Verbi*. Eſt autem Mater per potentiam actiuam, quam obedientialem vocat Doctor Subtilis, igitur de mente eius datur potentia obedientialis, nedùm paſſiua, ſed etiam actiua. Vlterius in hoc eodem libro 3. d. 13. & d. 14. & in 4. d. 49. q. 11. aſſerit, quod intellectus, & voluntas creata nequeunt ex puris naturalibus videre, & frui Verbo,

ne-

neque conſequi beatitudinem ex puris naturæ viribus, cùm vt ſic conſideratæ tales potentię,ſint in potentia remota,vt poſſint agere ſupetnaturaliter, & fiunt in potentia propinqua per præſentiam obiecti ordinis ſupernaturalis, à quo dicuntur eleuari, ad hoc, vt elicere valeāt operationes ſupra vires naturæ. Potentia autem remota eſt eadem,ac obedientialis, ſiquidē vtraque petit determinari ab agente ſuperiori,à quo recipiunt potentiam propinquā operandi ſupra ordinem naturalem; nōn per receptionem alicuius formæ, & ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco ſolùm per ſubordinationē ad virtutem agentis primi, vt ſuperiùs obſeruatum,& probatum fuit. Ex quibus infertur, quod cùm Scotus admittat vtramque potentiam obedientialem, actiuam ſcilicet & paſſiuam, conſequenter admittere debet, diuiſionem potentiæ obedientialis in actiuam,& paſſiuam eſſe rectè diſpoſitam.

Ex his fit prima Concluſio. In rerum mundialium ſerie admittenda eſt potentia obedientialis paſſiua. Eſt communis,& præſertim Doctoris Subtilis in 3. d. 1. q. 1. F, & H, & q. 2. C, & q. 4. ſub A. Probatur ſic ab eodem; nam de fide eſt,naturam humanam eſſe vnitam Verbo Diuino in vnitate ſuppoſiti, igitur prius erat in potentia paſſiua ad ſic vniri, ſed talis potentia non erat naturalis, nec vt naturale diſtinguitur contra ſupernaturale; nec vt opponitur violento, ergo erat obedientialis. Aſſumptum,quoad primam partem probatur, quia potentia naturalis paſſiua, vt diſtinguitur contra ſupernaturalem, dependet ab agente naturali, atqui vnio naturæ humanæ ad Verbum fuit facta ab agente ſupernaturali, nempè à tota Trinitate Perſonarum, vt communiter tenetur, ergo talis potentia paſſiua in natura ad vniri Verbo Diuino non fuit naturalis, vt naturale opponitur ſupernaturali. Secunda pars ſuadetur, quia ſi fuiſſet naturalis, vt opponitur violentæ, ſequeretur illam fore violenter in proprio ſuppoſito, ſiquidem eſſet cum inclinatione in ſuppoſito Diuino, & contra inclinationem in ſuppoſito creato, quod nemo ſanæ mentis dixerit: igitur cùm talis potentia paſſiua in natura ad vniri hipoſtaticè Verbo nullo pacto erat naturalis, ſequitur ipſam fuiſſe obedientialem. Conſequentia tenet, ſiquidem fuit in aptitudine ad efficientiam Dei, vt primi efficientis, in qua conſiſtit ratio potentiæ obedientialis, vt diximus in præcedenti quæſtione.

Secunda Concluſio. In rerum Mundialium ordine, preter potentiam obedientialem paſſiuam, admittenda eſt etiam actiua de mente Scoti in 3. d.4. q.vn. ſub E, & G, contra nonnullos Scotiſtas, quos retulimus in fauorem primæ opinionis. Probatur ex eodem Doctore Subtili in præcitato loco, quia Beata Virgo Maria in generatione Filij habuit potentiam obedientialem ad Spiritum Sanctum, vt ad alteram concauſam, vt eſſet vera Mater Diuini Verbi, ſed huiuſmodi potentia obedientialis non erat tātum paſſiua, verùm etiam actiua, ergo præter potentialem obedientialem paſſiuam, datur etiam actiua. Maior probatur, quia ſicut natura, ad quam, vt ad terminum formalem, erat generatio Mariæ, erat in potentia obedientiali, vt vniretur Verbo Diuino, ita Maria, vt Mater habuit potentiam obedientialem, vt eſſet vera Diuini Verbi Mater; ſiquidem vtraque potentia præſeferebat aptitudinem ad efficientiam primi efficientis, nempè Dei, igitur ſicut vna erat obedientialis, & alia pariter debuit eſſe obedientialis. Minor, in qua eſt tota vis, ſic oſtenditur, nam potentia generatiua Verbi in Maria, qua habuit, vt eſſet Mater vera eiuſdem, fuit actiua ſimul cum Spiritu Sancto, gerente vicem patris naturalis, ergo non obſtante, quod fuerit in potentia obedientiali ad efficientiam Spiritus Sancti, debuit eſſe actiua. Antecedens probatur, ſiquidem Maria in generatione Verbi habuit fæcunditatem naturalem, ſicut aliæ Matres, ſed iſtæ concurrunt actiuè, ſicut Patres, in generatione filiorum, vt probauimus in ſecundo de Anima diſp.3. quæſt.6. ſect. 3. ergo & Maria debuit actiuè ſe habere per ſuam fæcunditatem naturalem ingeneratione Verbi, ſicut ſe habuit Spiritus Sanctus gerens vicem Patris. Conſequentia probatur; nam omnis cauſa actiua habens virtutem reſpectu alicuius effectus,& non præuenta ab alio,totaliter cauſāte illū effectum, in eo inſtāti in quo producitur, poteſt agere ad productionē eius, ſed Maria fuit talis in generatione Verbi, igitur cū Spiritus Sanctus in aliquo priori non fuerit cauſa totalis generationis Verbi, Maria potuit actiuè cum illo con-

concurrere ad productionem eiuſdem, non obſtante, quod eius actiuitas fuerit in potentia obedientiali ad Spiritum Sanctum. Confirmatur, quia ſicut ſe habet potentia intellectiua creata, concurrens cum voluntate Diuina, vicem gerente obiecti beatifici, ad generationem Verbi creati, nempe intellectionis, ſeù viſionis beatificæ, ita ſe habuit Maria, concurrens cum Spiritu Sãcto, ad generationem Verbi increati, ſed potentia intellectiua creata, concurrens cum voluntate Diuina ad generationem Verbi creati, ſeù viſionis beatificæ, ſe habet actiuè, ergo & Maria, concurrens cum virtute Spiritus Sancti, ad generationem Verbi increati, debuit actiuè ſe habere. Maior patet, tum quia Verbum creatum eſt repræſentatiuum Verbi increati: tùm etiam, quia intellectus in generatione intellectionis aſſimilatur Matri, & obiectum Patri ex D. Auguſtino 9. de Trinit. cap. 30. & 11. de Trinit. cap. 5. & nos probauimus ex eo, & Ariſtotele in 3. de Anima diſp. 1. q. 2. & 3. ergo ſicut ſe habet potentia intellectiua concurrens cum obiecto beatifico ad operationes ſupernaturales, ita ſe habere debet Beata Virgo Maria, concurrens cùm Spiritu Sancto ad generationem Verbi. Minor probatur, 1. ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. can. 4. vbi ſub anathemate percutit eos, qui dixerint, liberum hominis arbitrium, à Deo motum, & excitatum, veluti inanime quoddam nihil omninò agere, mereque paſſiuè ſe habere, ergo potentia intellectiua, quæ eſt pars liberi arbitrij, vt probauimus in Tractatu de libero Arbitrio q. 1. concurrens cum voluntate Diuina, eſt actiua reſpectu operationum ſupernaturalium. Deinde probatur ratione, quia operationes intellectuales, vt ſunt viſio, & fruitio in Patria ſunt, & ſupernaturales, & vitales, ergo debent prodire à principijs vitalibus, ſed prodeunt ab intellectu, & voluntate beata, ergo tam intellectus, quam voluntas ſunt principia vitalia, ac proindè actiua reſpectu ſuarum operationum in Patria. Secundò probatur concluſio à ſimili, ſicut enim in rerum mundialium ordine datur potentia paſſiua obedientialis, ita, & obedientialis actiua dari debet. Conſequentia probatur, quia creatura, ita pendet à Deo in genere cauſæ efficientis, ſicut in genere cauſæ materialis, ſed eo, quod pendet in genere cauſæ materialis, habet potentiam obedientialem paſſiuam, ergo cum ſimiliter pendeat ab eo etiam in genere cauſæ efficientis, debet pariter habere potentiam obedientialem actiuam. Maior patet, quandoquidem dependentia arguitur ex ſubordinatione ad Deum, ſed creatura eſt æqualiter ipſi ſubordinata in vtroque genere; ſiquidem ab eodem habet eſſe, & operari, vt omnes fatenſur, ergo &c. Minor clareſcit ex probatione præcedentis concluſionis; ex eo enim, quod recipit ab eodem ſupernaturaliter agente aliquam formam ad quam non eſt naturaliter inclinata, nec ad oppoſitum, dicitur eſſe in potentia obedientiali ad ipſum, atqui vt ſic dicitur pendere à Deo in genere cauſæ materialis; ſiquidem recipere formas eſt proprium materiæ. Ex his patet reſponſio ad titulum quæſtionis: poſitis namque membris diuidentibus alicuius diuiſi oppoſitis, ſtatuitur bona diuiſio, vt alias viſum fuit, igitur cùm potentia obedientialis paſſiua, & actiua euacuent potentiam obedientialem, tanquam membra oppoſita diſparate ſaltem, inferri debet, diuiſionem illam eſſe rectè diſpoſitam.

Obijcitur tamen primo contra primam Concluſionem, quia potentia obedientialis paſſiua ſi daretur, eſſet aptitudo quædam recipiendi à Deo quamcumque formam, quam creatura nequit recipere ab agente creato, ſed huiuſmodi aptitudo nequit reperiri in creaturis mundialibus, ergo in eis admitti non poteſt potentia obedientialis paſſiua. Maior patet ex ipſa notione potentiæ obedientialis paſſiuæ, ſi daretur. Minor probatur, quia omnis forma receptibilis in aliquo paſſo, virtute alicuius agentis, quodcumque ſit illud, ſiue naturale, ſiue ſupernaturale, vel eſt receptibilis cum inclinatione paſſi ad ipſam, vel contra eius inclinationem, vel cum negatione inclinationis, & oppoſiti; ſi aptitudo in paſſo erga formam receptibilem attendatur primo modo, dicitur eſſe in potentia naturali, ſi ſecundo modo in potentia violenta, & tertio modo ſic erit in potentia neutra, ergo cum nulla iſtarum ſit potentia obedientialis paſſiua, ſequitur hanc non eſſe admittendam in rerum mundialium ordine.

Re-

Digitized by Google

Reſpondetur negando minorem. Ad probationem dico, ſicut aliàs dictum fuit ad idem, vel ſimile argumentum, potentiam obedientialem attendi poſſe, vel in ordine ad agens, à quo recipit formam, vel ad ipſam formam receptibilem; ſi priori modo attendatur, cùm dicat aptitudinem ad agens ſupernaturale dicitur potentia ſupernaturalis, cum pendeat ab imperio agentis ſupernaturalis: ſin autem ſpectetur poſteriori modo, vocatur potentia neutra, quia forma receptibilis in ipſa ſupponit non repugnantiam, & negationem inclinationis, ac eius oppoſiti, in quibus conſiſtit potentiæ obedientialis ratio ſaltem de connotato; & ſic neganda eſt minor quoad tertium membrum diuiſionis.

Obijcitur ſecundo ſi potentia obedientialis paſſiua importat reſpectum traſcendentalem, ſiue aptitudinem obedientiæ ad Deum, à quo creatura recipit formam ſupernaturalem, vel eſt idem cum eo, quem habet, vt creatura eſt ſubordinata creatori, vel diuerſus, ſed neutrum dici poteſt, ergo nec dici poteſt dari potentiam obedientialem paſſiuam in creatura. Maior patet, quia inter idem, & diuerſum non datur medium. Minor probatur, non idem, quia tunc potentia obedientialis non diſtingueretur formaliter à naturali; ſiquidem creatura eſt ſemper ſubordinata creatori, ſiue in eſſe naturali, ſiuè ſupernaturali: nec diuerſus, quia tunc potentia obedientialis nõ eſſet fundata in entitate creaturæ, alioquin eſſet ſemper vna, & eadem relatio, ſicut ſemper eſt vna, & eadem entitas creaturæ, vt eſt ſubordinata Deo.

Reſpondetur negando minorem. Ad probationem dico huiuſmodi reſpectum, quem dicit ad Deum potentia obedientialis, eſſe diuerſum formaliter ab eo, quem importat ad ipſum potentia naturalis; ſiquidem prior terminatur ad Deum, agentem per concurſum ſupernaturalem, & indebitum creaturæ, vt creatura; poſterior verò reſpicit ipſum Deum agentem naturaliter, & per concurſum debitum creaturæ, vt eſt in ordine naturæ: cum igitur reſpectus diuerſificentur per terminos, & terminus vnius ſit alius formaliter à termino alterius, ſequitur eſſe alium, & reſpectum importatum per potentiam naturalem, & obedientialem paſſiuam.

Obijcitur tertio contra ſecundam Concluſionem. Si in rerum mundialium ordine daretur potentia actiua obedientialis, vel conſiſteret in entitate rei, eleuata ad operationes ſupra naturæ vires producendas; vel in aliqua virtute ſupernaturali, entitati rei ſuperadita, per quam potentia naturalis poſſet in actus ſupernaturales, ſed neutrum iſtorum eſt dicendum, ergo nec dici poteſt, quod detur in creaturis potentia obedientialis actiua. Maior patet quia non poſſet quiſpiam imaginari, quod cauſa ordinis naturalis agere valeat ſupra vires naturæ, niſi conſtituatur in ordine agentium ſupernaturalium, vel per eleuationem ab extrinſeco, vel per receptionem alicuius virtutis ſibi impreſſæ ab intrinſeco. Minor probatur, & primo quod non per eleuationem ab extrinſeco, quia Deus nequit facere, quod natura agat vltra vires ſuas, quin ei tribuat aliquam virtutem, quæ ſit illi ratio ſic agendi, alioquin poſſet facere, quod formica manens formica intelligat, videat, & fruatur Deo, quæ inuoluunt manifeſtam repugnantiam. Conſequentia patet, ſiquidem natura talis, cùm ſit in potentia obedientiali actiua, poſſet eleuari ad agendum ſupra vires. Neque ab intrinſeco per receptionem alicuius virtutis infuſæ, quia hoc eſſet contra Doctorem Subtilem in 4. d. 1. q. 1. ad vltimum principale, & d. 43. q. 3. §. Tertia opinio &c. quia tunc creatura habens talem virtutem poſſet agere ſine concurſu ſpeciali Dei; ſiquidem haberet totum id, propter quod indigeret concurſu Diuino, quod eſſet cõtra naturam potentiæ obedientialis, quæ neceſſariò dicit relationem ad ſpecialem Dei concurſum, vt dictum eſt ſuperius in præcedenti quæſtione.

Reſpondetur negando minorem. Ad probationem dico, potentiam actiuam obedientialem, vt agat ſupra vires naturæ, indigere eleuatione tantùm ab extrinſeco, per concurſum Diuinum, determinantem effectum communem, ab vtroque agente, naturali, & ſupernaturali, in eſſe ponendum, vt dictum eſt ſupra in Notabili 2. & 3. & ſic intelligitur, Deum tribuere potentiæ naturali vim agendi ſupernaturaliter, quando ſecum concurrendo, reducit illam ad potentiam propinquam agendi ſupernaturaliter effectum, ad quem ex puris naturali-

ralibus, habebat tantum potentiam remotam. Et cùm infertur, quod Deus poſſet facere, formicam, quæ intelligat, videat, ac fruatur obiecto beatifico, negatur illatum, quandoquidem, vt videbimus in ſequenti quæſtione, potentia obedientialis non ponitur in qualibet creatura ad quoslibet effectus, ſed tantum in illis, in quibus non adeſt repugnantia, ſed habent virtutem inchoatam naturaliter ad illos effectus, qui continentur intra limites ſui obiecti adæquati, ſaltem ex natura potentiæ.

Obijcitur quartò ſi daretur huiuſmodi potentia obedientialis actiua in rebus mūdialibus, maxime foret admittenda in potentijs rationalibus, nempè intellectu, & voluntate ad operationes ſupernaturales, ſiquidem in eis adeſt potentia remota ad tales operationes eliciendas, cum contineantur ſub obiecto adæquato vtriuſque, quòd eſt ens, ſaltem ex natura potentiæ, ſed hoc eſt falſum, ergo & id ex quo ſequitur. Minor probatur, quia poſſet homo naturaliter videre Deum, & eo frui, ſed hoc eſt damnatum ab Eccleſia contra Begardos, & Beguinas, ergo &c. Sequela maioris probatur, quia ſi haberet virtutem actiuam videndi, & fruendi Deo, quamuis remotam, & inchoatam, ſibi deberetur connaturaliter concurſus Diuinus, quo reduceretur potentia remota ad proximam, & ad actum videndi, & fruendi Deo, non minus, quàm debetur aquæ concurſus ad producendum frigus, ergo ſicut aqua mediante tali concurſu, ſibi connaturali, diceretur naturaliter producere frigus, ita intellectus, & voluntas habito tali concurſu, ſibi connaturali, poſſent exire in actus ſecundos videndi, & fruendi Deo naturaliter, ad quos ex ſe habebant potentiam inchoatam, & remotam.

Reſpondetur negando minorem. Ad probationem negatur ſequela maioris. Ad cuius probationem, negatur pariter ſibi deberi connaturaliter concurſum Diuinū; quo poſſent reduci de potentia remota ad proximam videndi Deum, & ipſo fruendi, ſicut aquæ ad producendum frigus; ſiquidem viſio, & fruitio, cum ſint operationes ſupernaturales in ſubſtantia, non poſſunt elici à ſuis potentijs cum eo concurſu generali, qui debetur aquæ, & cæteris cauſis in ordine naturali cauſantibus, verùm requirunt concurſum ſpecialem, ac illis indebitum, alioquin non eſſent ſupernaturales in ſubſtantia, vt communiter conceditur ab omnibus.

Vel dicendum cum Scoto in 4. d. 49. q. 11. ſub F, & redit in idem, quod quamuis intellectus, & voluntas habeant ex ſe actiuitatem ad videndum, & fruendum Deo; impoſſibile tamen eſſe, vt exeant in actus ſecundos videndi, ac fruendi, niſi habeant in ſe præſentem Deum, vt obiectum cognitum, vel volitum, ſiquidem viſio eſt cognitio intuitiua; huiuſmodi autem præſentia Dei, in ratione obiecti, haberi nequit ex puris naturalibus, cum non pertineat ad ordinem naturalem, verùm ſupernaturalem duntaxat, indè ſequitur haberi non poſſe viſionem, & fruitionem Dei, niſi potentiæ eleuentur ad ordinem ſupernaturalem, vel per habitus ſupernaturales, cuiuſmodi ſunt lumen gloriæ, & charitas; vel per auxilium, aut concurſum ſpecialem, & indebitum.

An Potentia obedientialis, tam actiua, quam paſſiua, ſit æqualis in omnibus creaturis ad quoslibet effectus producendos, & recipiendos?

QVÆSTIO III.

Circa vtramque partem propoſitæ difficultatis eſt non parua controuerſia inter Doctores: quandoquidem nonnulli ex Recentioribus ſuſtinent partem affirmatiuam in vtraque potentia. Ita Pater Suarez 1. to. in 3. partem D. Thomæ diſp. 31. ſect. 5. & 6. diſp. 43. ſect. 4. num. 9. Valentia 3. p. diſp. 1. q. 13. punct. 2. Molina 1. p. q. 45. diſp. 2. §. Ad tertium, & alij permulti ex Societate Ieſu, quos refert, ac ſequitur Comptonus in ſua Philoſophia diſp. 27. ſect. 4. num. 2. & 4.

Alij ex aduerſo defendunt partem negātem, loquentes ſic vniuerſaliter de vtraque potentia obedientiali, tùm actiua, tùm paſſiua. Sic Doctor Subtilis in 4. d. 1. q. 1. & 5. Vaſquez in 1. p. diſp. 176. cap. 4. & in 3. p. diſp. 132. cap. 6. Coninchius in 3. par. q. 62. art. 4. Erice in 1. p. diſp. 23. nu. 8. Alarcon. de Angelis diſp. 9. cap. 9. quorum meminit idem Comptonus loco citato.

Alij media incedentes via, ſuſtinent quidem partem affirmatiuam de potentia paſſiua obedientiali in ordine ad quamcumque formam, negant verò de potentia obedientiali actiua. Ita Poncius ex noſtris libro 2. Phyſicorum diſp. 9. quæſt. 9. conc. 1. num. 120. & concl. 3. num. 124. Serbellonus diſput. 11. quæſt. 3. art. 9. & 10. vbi citat alios, quos retulimus in fauorem primę opinionis, ex quo inferendum eſt, illos, vel non ſibi conſtare, vel perperam referri in vtramque ſententiam.

Quid autem ſit dicendum ad vtramque difficultatem, ſecundum veram, ac genuinam Doctoris Subtilis mentem, quibuſdā de more adnotatis, dicam in concluſionibus infra ponendis, ac probandis.

Primò igitur memoriæ recolenda ſunt omnia, quæ notauimus in duabus præcedentibus quæſtionibus, & præſertim, quod potentia ſumpta pro principio diuiditur in actiuam, & paſſiuam; & vtraque in naturalem, & ſupernaturalem. Inſuper, quod agere contingit dupliciter, nempè principaliter, & inſtrumentaliter, & hoc ſubdiuiditur iuxta variam acceptionem inſtrumenti. Deindè quid, & quotuplex ſit potentia obedientialis, & quonam pacto à naturali diſtinguatur; ſiuè ſumatur in ordine ad agens; ſiuè in comparatione ad formam. Hiſce namque rectè perſpectis, & nonnullis paucis ſuperadditis facillimo negotio reſpondebimus ad vtramque difficultatem.

Secundò Notandum ex Doctore Subtili noſtro in 1. d. 43. quæſt. vn. ad primum argumentum ſub G, & in 4. d. 1. q. 1. ſub Ee, & q. 5. §. Contra opinionem iſtam &c. & d. 44. q. 2. §. Aliter dicitur &c. verſ. Contra &c. & d. 49. q. 11. aliquam formam poſſe recipi in potentia paſsiua plures diſpoſitiones in illa exigere, ſecundum varios effectus, quos eidem communicare ſolet. Primò enim ſupponit capacitatem ad ſui receptionem in paſſo; quandoquidem ſine illa repugnat à parte rei, aliquam formam poſſe informare materiam ſi fuerit ſubſtātialis, aut ſubiectum, ſi fuerit accidentalis, defectu cuius, inquit Doctor in primo loco citato, repugnat nihilo factionem in ſe recipere, & igni, perſeueranti in ſua natura, recipere intellectum, & voluntatem, quia carent capacitate, vt formas huiuſmodi in ſeipſis recipere, propter repugnantiam formalem, quam præſeferunt partes adinuicem, omninò valeant. Similiter implicat formam ſpiritualem recipi poſſe in ſubiecto corporali, & corporalem in ſubiecto ſpirituali ob negationē capacitatis in illis; quandoquidem ſubiectum corporale eſt extenſum, & diuiſibile in partes corporales actu, qua de cauſa forma ſpiritualis, cùm non ſit tota in toto, & tota in qualibet parte, ſed indiuiſibilis formaliter, & virtualiter, non poſſet informare totum ſubiectum, & omnes partes eiuſdem, ac proindè nec recipi tamquam forma informans in eodem: & per oppoſitum quia forma corporalis eſt diuiſibilis, & extenſa quoad informationē, & ſubiectum ſpirituale indiuiſibile proptereà caret capacitate, vt illam poſſit recipere. Secundò forma receptibilis in ſubiecto capaci, quod informat, communicat illi denominationem conuenientem ſuę naturæ; ſiquidem inquit Scotus in 1. d. 30. q. 2. ſub B. *Videtur omninò irrationabile, quod aliqua forma ſit in aliquo ſubiecto, & tamen ſubiectum non poſſe dici tale, quale natum eſt conſtitui per illam.* Vnde cum repugnet lapidi ſapientia, formicæ intellectio, & volitio, & ſic de multis alijs ſubiectis, ſequitur, quod per nullam potentiam huiuſmodi formæ poſſint recipi in talibus rebus creatis. Tertiò denique forma non ponitur in ſubiecto, vel potentia ad decorem, & pulchritudinem eius, verùm vt ſit principium operandi, ſicut probat Scotus in 4. d. 49. q. 11. ſub G, quare inferendum eſt, non poſſe quamlibet formam recipi in qualibet potentia ad quemcumque effectum producēdum, cùm inter formas contrarias ſit formalis repugnantia, & inter huiuſmodi formas, ac etiam diſparatas, & earū effectus ſit repugnantia virtualis, vt docet idem Doct. Subtilis ibid. q. 16. ad ſecundum argumentū ſub C. vndè infert in eodem 4. d. 1. q. 1. ſub Ee. *Quod ſi alicui naturæ repugnet, quod ſit principium actiuum aliquarum actionum, nō eſt poſſibile, quod per potentiam quamcūque ſit illarum principium: Etſi enim Deus poſſet abſolute creare frigus, non tamen poſſet per calorem, ita quod calor ſit in aliquo ordine cauſa actiua reſpectu frigoris.* Et ratio eſt, quia inter huiuſmodi formas adeſt repugnātia formalis. Ex quibus clare deducitur, non poſſe poni potentiā obedientialē

in quauis re creata ad quemlibet effectum recipiendum, vel producendum, cum in mulris adſit repugnantia formalis: Diuina autem omnipotentia non ſe extendit ad omnia, ſed tantùm ad ea, quæ non dicunt repugnantiam, vt fatentur communiter omnes Doctores, Philoſophi, & Theologi.

Tertiò Notandum ex eodem in 4. d. 1. q. 1. §. Ad quæſtionem ſub Dd, ac ſequentibus, quod creaturam poſſe eleuari ad terminum creationis, contingit dupliciter, vel vt agens principale dependens, vel vt agens instrumentale. Si priori modo contingat eleuari creaturam, certum eſt illam non poſſe attingere terminum creationis, quãdoquidem creatio eſt productio ex nihilo, hoc eſt ex nullo præſuppoſito ſubiecto, vt fatentur omnes, at creatura ſuapte virtute naturali, accepta à Deo in ſui conditione, nequit agere ex nullo præſuppoſito ſubiecto, etiamſi concurrat cum ea ſimul virtus ſupernaturalis: Nam omne producibile per virtutem creaturæ, vel eſt ſubſtantia, vel accidens; ſi accidens, dependet à ſubiecto in fieri, & conſeruari, ſiquidem accidentis eſt eſſe & ineſſe ſubiecto, vt patet ex ſua diffinitione: ſi ſubſtantia, vel eſt completa, & ſic pendet eſſentialiter in eſſe, & conſeruari à materia, & forma; vel incompleta, vt eſt materia, & forma materialis, & ſic planum eſt, ſeinuicem comitari, vt forma nequeat ſine materia, nec iſta ſeparata, vi naturali, ab ea, conſiſtere: igitur cum virtus creaturæ, vt principaliter agentis, nequeat ſe extendere ad actionem ex nullo præſuppoſito ſubiecto, ſequitur illam non poſſe eleuari ad attingendum creationis terminum. Si verò poſteriori modo ſpectari contingat, nempe vt agens inſtrumentale: hoc poteſt accidere dupliciter, vel in genere naturæ, vel in genere moris, ſeù vt agens morale. Si ſumatur inſtrumentum in genere naturæ concurrens, creatura nequit aſſumi à Diuina voluntate, tamquam inſtrumentum ad creandum; caret enim virtute actiua in creationis terminum, quia non poteſt agere, niſi ſuppoſita materia, vel ſubiecto, vt aliqualiter probatum eſt ſupra, & clarius oſtendetur in concluſione ponẽda. Si autem accipiatur inſtrumentum in genere moris, bene poteſt creatura inſtrumentaliter attingere terminum creationis; ſiquidem ad poſitionem eiuſdem, Deus poteſt creare gratiam in anima ſuſcipientis ſacramentum aliquod, dummodò non ponat obicem: ſimiliter ad preces, & merita alicuius hominis Deo accepti, remittit peccata, & infundit in animabus peccatorum gratiam ſanctificantem: modò certum eſt, preces, & ſacramenta eſſe res creatas, & eſſe poſitas, veluti diſpoſitiones, neceſſitantes, ex pacto facto cum Eccleſia, Diuinam voluntatem ad creandum gratiam, & alios habitus ſupernaturales in animabus fidelium.

Ex his ſit prima Concluſio. Potentia obedientialis paſſiua, in rebus creatis, nequit conſtitui æqualis, & vniuerſalis ad receptionem quarumlibet formarum in quouis paſſo. Eſt Scoti in locis citatis in ſecundo Notabili, quem ſequitur Maſtrius in Phyſicorum libris diſp. 7. q. 6. art. 4 contra Poncium, ac Serbellonum, relatos in tertia ſententia. Probatur, quia in omni paſſo, in quo non eſt capacitas, quin potius repugnantia ad recipiendum aliquas formas, ibi nequit conſtitui potentia obedientialis paſſiua æqualis, ſeù vniuerſalis ad omnes formas recipiendas, ſed dantur nonnulla paſſa in rebus creatis, quæ carent capacitate ad informari à pluribus, & alia, quæ fundant repugnantiam cum alijs formis, ergo in talibus nequit dari potentia obedientialis paſſiua, & ſic non erit æqualis, vel vniuerſalis in omnibus. Maior de ſe eſt manifeſta, ſiquidem informatio ſupponit capacitatem, & non repugnantiam ad receptionem formæ; alioquin nunquam ſequeretur informatio. Minor probatur, quia implicat, quod ignis manens in ſua natura ſit intelligens, & volens, ergo implicat in eodem poſſe recipi intellectum, & voluntatem, qui ſunt principia intelligendi, & volendi. Conſequentia patet, quia intelligere, & velle de neceſſitate ſupponunt intellectum, & voluntatem in eo, qui intelligit, & vult, ergo ſi effectus implicant in aliquo recipi poſſe, & cauſæ implicabunt in illo. Secundò probatur, quia formam ſpiritualem informare poſſe ſubiectum corporeum, & econuerſo formam corpoream informare ſubiectum ſpirituale, dicunt repugnantiam in illis ſubiectis, ergo in eiſdẽ conſtitui nequit potentia obedientialis paſſiua. Conſequentia patet, quia potentia

obe-

Digitized by Google

obedientialis connotat non repugnantiam in ſubiecto, in quo habet conſtitui, vt ſuperiùs viſum fuit. Antecedēs probatur quoad vtranque partem, quandoquidem ſubiectū corporeum eſt extenſum, & diuiſibile in partes quantitatiuas, ergo petit informari à forma extēſa, & diuiſibili, quantitatiuè, ſed forma ſpiritualis, cùm non ſit tota in toto, nec tota in qualibet parte (hoc enim eſt priuilegium ſolius animæ rationalis) eſt ſimpliciter indiuiſibilis formaliter, & virtualiter, ergo cùm nequeat extendi per accidens, repugnat, vt poſſit informari ſubiectū extenſum, ac diuiſibile. Et per oppoſitum forma corporea, quia eſt extenſa, & diuiſibilis per accidens, nequibit informare ſubiectum indiuiſibile, & inextenſum; caret enim capacitate, vt illā recipere poſſit. Tertiò probatur, quia forma receptibilis in ſubiecto capaci, quod informat, tribuit illi denominationem intrinſecam iuxtà conuenientiā ſuæ naturæ: ſiquidem videtur irrationabile, quod aliqua forma ſit in aliquo ſubiecto, & illud non denominari tale ab ea, cùm effectus formalis ſeiungi nequeat à ſua cauſa formali, ſed ſimpliciter repugnat, quod nonnulla ſubiecta recipere valeant denominationem quarumlibet formarum, ergo ſimpliciter repugnabit, quod quælibet forma recipi poſſit in quolibet ſubiecto: nam dicere lapidem, manentem in ſua natura, ſapientem; formicam, vt talem, intelligentem, & rationalem, & huiuſmodi, eſt proferre repugnātia formaliter, & penitùs impoſſibilia, ac incompoſſibilia ex ſuis rationibus formalibus ſe excludentia, ergo in huiuſmodi ſubiectis collocare velle potentiam obedientialem paſſiuam ad eiuſmodi formas recipiendas, eſt inibi conſtituere impoſſibilia ad quæ nequit ſe extendere Diuina omnipotentia, ergo nequit dari potentia paſſiua obedientialis, quæ ſit æqualis ad omnes formas recipiendas.

Secunda Concluſio. Potentia obedientialis actiua nequit conſtitui in qualibet re creata ad quoslibet effectus producendos. Eſt Scoti in 4. d. 1. q. 1. ſub Ec, & ferè communis contra Auctores relatos in prima opinione. Probatur, quia Deus poteſt omnia poſſibilia, & quę non inuoluunt formalem repugnantiam, ſed quod omnis cauſa poſſit eleuari ad productionem effectuum, inuoluit formalem repugnātiam, ergo &c. Maior patet, quia obiectum Diuinæ omnipotentiæ, eſt ſolummodo res poſſibilis, at quæ formaliter repugnant ſunt impoſſibilia, ergo &c. Minor probatur, quia cauſam eleuari poſſe ad producendos effectus, ques ſecundum ordinem naturalem, & ſupra vires eius producere non poteſt, eſt illam habere virtutem inchoatam ad huiuſmodi effectus producendos, vt ſuperiùs probatum eſt; at quod omnis, & ſingula cauſa habeat virtutem inchoatam ad productionē quorumlibet effectuum, includit repugnantiam formalem, ergo quod omnis cauſa eleuari poſſit ad productionem quorumlibet effectuum, includit formalem repugnantiam. Minor probatur, ſi omnis, & ſingula cauſa haberet virtutem inchoatam ad productionem quorumlibet effectuum, ſequeretur omnem cauſam eſſe tantùm vnam cauſam, vel vnam continere virtualiter in ſe actiuitatem omnium cauſarum, ſed vtrumque conſequens repugnat; tùm quia vnum, & multa opponuntur; tùm etiam quia entitates cauſarum creatarum differunt ſpecie, adeò vt vna nequeat continere virtutem alterius. Sequela maioris eſt manifeſta, ſiquidem quicumque effectus formaliter diſtinctus ab alijs, ſpecificat ſibi determinatam cauſam, igitur ſi omnis effectus poſſet produci ab vna, & eadem cauſa, tunc omnis cauſa, aut eſſet tantum vna, aut vna cōtineret virtualiter actiuitatem omniū cauſarum, ac proinde deſtrueretur multitudo cauſarum ſecundarum. Confirmatur, quia calor nequit eleuari ad productionem frigoris; nec cauſa non vitalis ad productionem actus vitalis, & non niſi, quia inter eiuſmodi cauſas, & tales effectus adeſt repugnātia formalis, & deficit virtus inchoata ad conſtituendos huiuſmodi effectus in eſſe, ergo non quæuis cauſa eleuari poterit ad productionem quorūcumque effectuū. Antecedens probatur, quia ſicut frigus virtualiter repugnat calori, & vitalitas principio non vitali, ita calor, & frigus repugnant formaliter ſecundum ſuas cauſalitates in entitate, & principium vitale & non vitale pariter, ergo quemadmodum frigus determinat ſibi propriam cauſalitatē, cum excluſione oppoſiti, nempe caloris, & vitalitas ſibi ſpecificat principium vitale, cum excluſione alterius principij, ita calor ſpecificat alium calorem, & principium vitale actum

vitalem pro effectibus, vt per nullam virtutem eleuari poſſint ad productionem aliorum effectuum, & præſertim oppoſitorum. Secundò probatur cõcluſio, quia minus videtur repugnare, quod potẽtia obedientialis paſſiua poſſit ęqualiter recipere quaſcũque formas, etiam diſparatas, & contrarias, quam quod actiua poſſit aſſumi ad productionem quorumcumque effectuum, ſed non obſtante tali minori repugnantia, potentia obedientialis paſſiua nequit eſſe æqualis in receptione quarumlibet formarum, vt probatum eſt in præcedenti cõcluſione, ergo cum obſtet maior repugnantia in obedientiali actiua, minus poterit eſſe vniuerſalis, vel æqualis in productione quorumcumque effectuum. Maior probatur, nam vt docet Scotus in 4. d. 49. q. 11. §. Reſpondeo ad quæſtionẽ &c. potentia paſſiua in puris naturalibus conſiderata, eſt ſuſceptiua cuiuſcumque formæ ſuipſius perfectiuæ, neque connotat agens, à quo ſumat talem receptionem, veluti comprincipium in recipiendo, ſed eſt de ſe indifferens, vt à quauis perficiatur forma, quęcumque ſit illa, at potentia actiua eſt determinata per ſuam formam ad talem effectum in ſpecie, & per concurſum agentis ſuperioris, etiam in indiuiduo, ergo minor repugnantia videtur eſſe, vt conſtituatur vniuerſalis, ad receptionem cuiuslibet formæ, obedientialis paſſiua, quam obedientialis actiua, ac proinde ſi illa nequit eſſe vniuerſalis ratio ſuſceptiua quarumlibet formarum ob illam minorem repugnantiam, multò minus poterit eſſe actiua vniuerſalis ratio producendi quoſcumque effectus.

Tertia Concluſio. Impoſſibile eſt, aliquã creaturam eleuari poſſe per potentiam obedientialem actiuam, vti cauſam principalem, dependentem tamen à Deo, ad creandum aliquid. Eſt Scoti in 4. d. 1. q. 1. contra nõnullos Recentiores, quos refert, ac ſequitur Cõptonus in Philoſophia diſp. 27. ſect. 7. num. 4. Probatur ſic à Doctore Subtili loco citato, quia omne creabile, vel eſt ſubſtantia, vel accidens, ſed nulla creatura poteſt creare ſubſtantiam, vel accidens, ergo nulla creatura poteſt creare. Maior patet, quia omne creabile eſt ens reale finitum, ac tale diuiditur adæquatè in ſubſtantiam, & accidens, igitur &c. Minor probatur, nam omnis creatura, vel eſt ſpiritualis, vel corporalis, ſiue talis ſit ſubſtantia, ſiue ſit accidens, ſiquidem accidens ſpirituale ſubiectatur in creatura ſubſtantiali ſpirituali, & corporeum in corporali, ſed neutra creare poteſt ſubſtantiam, vel accidens, ergo &c. Minor probatur de ſpirituali, nam creatura merè ſpiritualis, cuiuſmodi eſt Angelus, agit per intellectum, & voluntatem, ac per intellectionem, quæ eſt operatio intellectus, & volitionem voluntatis nequit creari ſubſtantia, vel accidens, ergo &c. Minor probatur de ſubſtantia; quia accidens, cum ſit imperfectius ſubſtantia à toto genere, nequit producere ſubſtantiam, atqui intellectio, & volitio ſunt accidentia, ergo nequeunt producere ſubſtantiam. Conſequentia patet quia omnis productio, vel eſt vniuoca, in qua producens eſt æque perfectum cum producto, vel æquiuoca, in qua producens eſt perfectius producto, ergo cum accidens ſit imperfectius ſubſtantia ex Ariſtotele 7. Metaphyſicorum cap. 2. & eius productio erga ſubſtantiam ſit æquiuoca, ſequitur, quod non poſſit illam producere. Probatur eadem minor de accidente, quia forma, quæ creatur, prius naturaliter eſt à cauſa efficienti, quam materiam informet, ſed nulla forma materialis, cuiuſmodi eſt accidens, poteſt eſſe ab aliqua creatura prius naturaliter, quam informet materiam, vel ſubiectum potentiale ergo &c. Maior probatur, quia ſi non habet eſſe prius ab efficiente, quam materiam informet, ergo ſimul habet informationem, & eſſe in materia, ſed talis informatio eſt mutatio, ergo non habet eſſe per creationem, per aliquam mutationem igitur, quod eſt contra ſuppoſitum. Minor probatur, quia ſi creatura poteſt dare aliquod eſſe abſolutum accidenti, antequam informet ſubiectum, ergo poſſet in aliqua duratione temporis ipſum conſeruare abſque ſubiecto ſiquidem cuius eſt dare eſſe independenter ab alio, eiuſdem eſt conſeruare illud independenter ab eodem, vt patet de accidentibus in ſacramento Altaris, ſed talis conſeruatio nequit competere creaturæ, alioquin conſeruatio accidentium in Euchariſtia abſque ſubiecto, non eſſet miraculoſa, quod nemo fidelium diceret, ergo conſeruatio accidentis extra ſubiectum nequit competere creaturæ.

Mi-

Minor primi Syllogiſmi de creatura corporali probatur, quandoquidem omnis creatura corporalis, vel eſt materia, vel forma, aut compoſitum ex illis, ſed nullum iſtorum poteſt creare, ergo &c. Minor probatur: Non materia, quia non eſt actiua, ſed ſolùm paſſiua: Nec forma materialis, ſiquidem in eſſendo, & agendo pendet à materia, ac proinde nequit creare; ſiquidem creare eſt ex nullo præſuppoſito in eſſe reale producere. Nec compoſitum, quia tale nequit agere niſi per propriam formam actiuam, ſed illa nequit attingere terminum creationis, vt probatum eſt, ergo neque compoſitum creare poteſt. Reſtat igitur probata concluſionis prima pars, quod nulla creatura, ſiue ſpiritualis, ſiue corporalis poteſt in terminum creationis, tanquam cauſa principalis. Secunda pars probatur, quod nec eleuari poſſit per potentiam obedientialem ad attingendum terminum creationis, nam ſic eleuari eſt aſſumi ab agente ſuperiori, tamquam inſtrumentum creationis, ſed nulla creatura poteſt ſic aſſumi à Deo, ergo nulla creatura poteſt conſtitui in potentia obedientiali actiua ad creandum. Maior patet, quia eleuari eſt accipere virtutem agentis ſuperioris, vt ſimul cum eo poſſit agere, quod ſine illo non poterat, atqui ſic agere eſt quodammodo inſtrumentaliter operari, ergo ſic eleuari non eſt aliud, quàm aſſumi vt inſtrumentum creandi. Minor probatur, quia talem virtutem communicatam creaturæ, veluti inſtrumento, accipio, & quæro an ſit materialis, vel immaterialis, ſed neutra poteſt eſſe principium quo creandi, vt ſuperiùs probatum fuit, ergo nulla creatura aſſumi poteſt à Deo, vt ſit inſtrumentum creandi phyſicum.

Quarta Concluſio. Bene tamen poteſt aliqua creatura aſſumi à Deo, vt ſit inſtrumentum morale creandi gratiam, & alios habitus ſupernaturales, vt ſunt Fides, Spes, & Charitas. Eſt Scoti in 4. d. 1. q. 5. ſub D. Probatur, quia gratia, cum cæteris habitibus ſupernaturalibus, nempe Fide, Spe, & Charitate, habet eſſe à Deo per creationem, vt probatum eſt à nobis in 1. Phyſicorum diſp. 4. q. 3. ex eodem Scoto pluribus in locis, ſed aliqua creatura aſſumitur ab ipſo, tanquam cauſa inſtrumentalis ad ponendum in eſſe gratiam in anima rationali, ergo aliqua creatura eſt cauſa creatiua inſtrumentalis, non phyſica, igitur moralis. Minor probatur quia omnis diſpoſitio neceſſitans ad formam, quæ non ſit ratio receptiui, poteſt dici quodammodo cauſa actiua illius inſtrumentalis, ſed ſacramẽtum, ſiue ſuſceptio ſacramenti, quæ ſunt reſcreatæ, ſiue creaturæ, ſunt huiuſmodi diſpoſitio neceſſitans voluntatem Diuinã ad creandam gratiam in anima rationali, ergo aliqua res creata, ſeù creatura eſt cauſa inſtrumentalis creandi gratiam. Maior probatur, quia merita ſunt diſpoſitiones acquirendi præmium, & communiter cõceditur, eſſe cauſas Deo largiendi gloriã Beatis, ipsũ neceſſitantes ex pacto, quod fecit cũ hominibus iuſtis, & ſeruantibus legem ſuã, & tamen non ſunt cauſa phyſica, ſed inſtrumentalis moralis: ſimiliter motus eſt diſpoſitio acquirendi terminum, (non enim eſt illius cauſa actiua, cum quantitas non ſit actiua) ergo inſtrumentalis, & nihilominus omnes concedunt per motum acquiri terminum formæ fluentis, & ſic poſſumus exemplificare in multis rebus creatis, igitur concludendũ eſt, quod omnis diſpoſitio neceſſitãs ad formam, quæ non ſit ratio receptiui, ſit cauſa actiua inſtrumentalis illius. Minor probatur, quia Deus indidit pactum, & de hoc certificauit Eccleſiam, quod quicumq; verè, & non fictè, aut cum actuali peccato, ſuſceperit aliquod ſacramentum, recipiet Diuinam gratiam in anima ſua, ergo ſacramenta, ſeù eorumdem ſuſceptio, ſunt diſpoſitiones neceſſitantes Deum ad creandam gratiam in anima ſuſcipientis, ac proindè ſunt quodãmodo cauſa inſtrumentalis gratiæ, non phyſica, cum non habeant vim naturalem attingendi gratiam, vt probatũ fuit in præcedenti concluſione, igitur moralis. Conſequentia iſta ſuadetur ſic, nam cauſa moralis dicitur illa, ad cuius poſitionem ſequitur poſitio effectus, ab alio tamen agente per proprium influxum producendi, atqui ex ſuſceptione vera, & non ficta, ſequitur poſitio Diuinæ gratię per Diuinam voluntatem, in anima ſuſcipientis ſacramenta, ergo ſacramenta ſunt cauſa actiua inſtrumentalis moralis Diuinæ gratiæ, à Deo tamen phyſicè creandæ.

Obijcitur primo contra primam concluſionem ex Poncio, non videtur maior im-

propoitio vllius ſubiecti ad vllam formam talem, quàm naturæ humanæ ad vnionem hipoſtaticam, ſed in natura humana eſt talis potentia obedientialis ad hipoſtaticam vnionem paſſiua, vt eſt de fide, ergo datur talis potentia in quolibet ſubiecto ad quamlibet formam, quam nequit naturaliter recipere, & quæ non dicit eſſentialiter ordinem actualem ad determinatum ſubiectum. Quod notanter additur, quia vnum ſubiectum nequit recipere in ſe relationes alterius ſubiecti; nec actus vitalis, ex ſuppoſitione, quod dependeret a potentia vitali, cuius eſt actus, poteſt recipi etiam ſupernaturaliter in alio ſubiecto, quam in illa, igitur vbi non eſt dependentia eſſentialis formæ ad tale ſubiectum, talis poterit recipi inquolibet ſubiecto.

Reſpondetur negando Maiorem abſolutè, ſiquidem in natura humana ad vnionem hipoſtaticam, ideò eſt potentia obedientialis, quia non ſolum dicit relationem dependentiæ ad efficientiam primi efficientis, & termini ad Verbum, verùm etiam quia in ipſa non adeſt repugnantia vlla, imò conuenientia & capacitas, vt poſſit ſubſiſtere in ſuppoſito Verbi; ceterùm in multis ſubiectis ad multas formas, & adeſt repugnantia formalis, & negatio capacitatis, vt patet in formica reſpectu actus intelligendi, & animæ rationalis, & in Angelo reſpectu albedinis, & in quolibet ſubiecto corporali in ordine ad formas ſpirituales, & indiuiſibiles formaliter, ac virtualiter, vt diximus ſupra in 3. Not. & in probatione concluſionis primæ cum Doctore Subtili in 4. d. 1. q. 5. & in 1. d. 43. q. vn.

Dices cum eodem Poncio, Scotum locutum fuiſſe cum hac modificatione, nempè quod forma corporalis non poſſit recipi in ſubiecto ſpirituali modo extenſo, & ſpiritualis in ſubiecto corporali cum denominatione, non autem quod ſimpliciter non poſſit recipi, & albedo in Angelo, & ſapientia in lapide abſque denominatione in iſto, & extenſione in illo, quia ſic nulla adeſt improportio, aut repugnantia; ergo &c.

Reſpondetur negando conſequentiam, quinimò expoſitio illa contradicit omninò Doctori Subtili, tùm quia negat formam corporalem poſſe recipi in ſubiecto ſpirituali, ob negationem capacitatis in ſubiecto ad informari à forma diuiſibili, ſiquidem diuiſibilitas actualis, & indiuiſibilitas actualis ſe opponuntur contradictoriè, vnde implicat, vt poſſint verificari de eodem; verificarentur tamen ſi forma diuiſibilis poſſet informare ſubiectum indiuiſibile; ſiquidem valeret hæc denominatio intrinſeca, indiuiſibile eſt diuiſibile, quod tamen repugnat ob contradictionem vnius de alio. Deindè negat etiam Scotus, aliquam formam informare ſubiectum aliquod, & illud non denominari tale ab ea; imò dicit in 1. d. 30. q. 2. hoc eſſe irrationabile, quare, data hypoteſi, quod ſapientia informaret lapidem, & anima rationalis formicam, non poſſet fieri quin lapis denominaretur ſapiens, & formica intelligens, quæ tamen includunt repugnantiam ex ſuis rationibus formalibus, igitur melius dicendum eſt, formam ſpiritualem non poſſe recipi in ſubiecto corporali, neque corporalem in ſubiecto ſpirituali.

Contra, quia non minus eſt forma ſpiritualis anima rationalis, quam gratia, ſed non obſtante tali ſpiritualitate anima rationalis poteſt informare corpus diuiſibile, & recipi in ſubiecto corporali, ergo, & gratia, quamuis ſit ſpiritualis, poterit eſſe in potentia obedientiali, vt recipiatur in ſubiecto corporali, nempè in ſacramento.

Reſpondetur negando Maiorem; quandoquidem anima rationalis, cùm ſit tota in toto corpore, & tota in qualibet parte corporis, arguitur in ea diuiſibilitas virtualis, vnde non inconuenit, vt ſit, & informet corpus diuiſibile cum extenſione ad totum, & ad omnes eius partes: ceterùm, quia gratia, & quælibet alia forma ſpiritualis, præter animam rationalem, ſint indiuiſibiles formaliter, & virtualiter, hinc fit, vt nequeant recipi in ſubiecto diuiſibili, quin & ipſæ cogantur extendi, ac diuidi, quod implicat contradictionem, vt dictum eſt ad præcedens argumentum.

Contra, quia hinc ſequeretur, ſaltem formam corporalem, nempe albedinem, poſſe recipi ſubiectiue in Angelo, quod tamen negatum eſt ſuperius reſpondendo ad fundamentum Poncij. Sequela Maioris probatur, nam non minus eſt diuiſibilis virtualiter Angelus, quam ſit anima rationalis, ſed hæc, ob talem diuiſibilitatem, habet potentiam obedientialem ad informan-

dum

Digitized by Google

dum corpus diuiſibile, ergo & Angelus, quamuis ſubiectum ſit ſpirituale, poterit informari à forma corporea, & diuiſibili. Præterea qualitatem corpoream, vt puta albedinem, recipi poſſe, ſaltem ſecundum modum intenſionis, in aliquo indiuiſibili quantitatiuo, ex eo liquet, quia gradus illam intendentes, adinuicem ſe penetrant in eodem indiuiſibili, vt patet ex natura eius, quod ſuſcipit magis, & minus, ad differentiam illius, quod ſuſcipit maius, & minus, ergo quemadmodum non repugnat huiuſmodi qualitatem, quamuis diuiſibilem, modo indiuiſibili, recipi in ſubiecto indiuiſibili quantitatiuo, ſic non repugnabit etiam tali pacto recipi poſſe in ſubiecto indiuiſibili ſubſtantiali.

Reſpondetur ad primum negando ſequelam maioris. Ad cuius probationem dico maiorem eſſe veram in agendo, & formaliter, falſam in patiendo, & ſubiectiuè; quandoquidem ſicut non datur virtus paſſiua, cùm virtus ſemper præſeferat actiuitatem, vt capacitas paſſiuitatem, ſic dari nequit diuiſibilitas virtualis ad recipiendum; verùm duntaxat ad agendum, vel effectiuè, aut formaliter; vnde non ſequitur, quod ſi anima rationalis, ob diuiſibilitatem virtualem, poſſit informare totum corpus, & eius partes, quod etiam Angelus, propter ſimilem diuiſibilitatem ſuæ virtutis, poſſit informari à forma corporea, ſed committitur fallacia æquiuocationis, tranſeundo de virtute ad capacitatem, & de diuiſibilitate virtuali actiua, ad capacitatis diuiſibilitatem paſſiuam. Ad ſecundum nego conſequentiam ob diſparitatem, quæ reperitur inter indiuiſibile quantitatiuum, & ſubſtantiale; nam cùm illud contineatur infra genus corporalium, non eſt inconueniens, vt recipere poſſit formam accidentalem corpoream modo indiuiſibili, quamuis ipſa ſit per accidens diuiſibilis: at cum iſtud contineatur ſub alio genere diſparato, nempè ſub ſubſtantia incorporea, cuius capacitas tantum ſe extendit ad formas incorporales, facit vt ſibi repugnet quæuis forma corporea, quamuis ſub modo indiuiſibili conſideretur. Hæc enim eſt conditio formarum diſparatarum, vt quæ conſequuntur capacitatem vnius generis diſparati, repugnent capacitati alterius diſparati; ſiquidem quemadmodum genera generaliſſima ſunt impermixta formaliter, & ſe totis ſubiectiuè; ita & diſparata ſubalterna, adeout, quæ continentur ſub vno realiter, & formaliter, repugnent, eadem repugnantia, cuicumque contento ſub alio, inquit enim Ariſtoteles in Antepræ dicamentis: Diuerſorum generum, & non ſubalternatim poſitorum, diuerſæ ſunt ſpecies, & differentiæ.

Obijcitur ſecūdò probando ſubſtantiam corpoream poſſe recipere in ſe formam ſpiritualem, quia qualitas ſpiritualis eſt abſolute terminabilis à ſubiecto ſuſtentante, ſed ſubſtantia corporea in genere ſubiecti ſuſtentantis conuenit cum ſubſtantia ſpirituali, ergo ſaltem per potentiam obedientialem poterit ſuſtentare accidens ſpirituale. Maior patet. Minor probatur, quia ſi ratio ſubſtantię eſt generica ad ſpiritualem, & corpoream, ergo etiam ratio formalis, quæ conſiſtit in eo, quod ſit primum ſubiectum ſuſtentatiuum, erit generica ad vtranque. Conſequentia prima probatur, quia ſimilitudo in prædicatis eſſentialibus eſt fundamentum potentiæ eleuabilis vnius ad effectum alterius, ergo ſi in ratione ſuſtentandi conueniunt ſubſtantia corporea, & ſpiritualis, poterit obedientialiter eleuari corporea ſubſtantia ad ſuſtentandum accidens ſpirituale. Antecedens probatur, nam per hoc, quod eſſentia Diuina in ratione formali obiecti intelligibilis, non differt ab obiecto intelligibili creato, ſaltem eſſentialiter, fit vt intellectus creatus eleuari poſſit ad viſionem intuitiuam Diuinæ Eſſentiæ, ergo à ſimili cum ſubſtantia corporea conueniat cum ſpirituali in ratione generica ſuſtentandi, ſequitur quod illa poterit eleuari obedientialiter ſaltem ad ſuſtentandum formam ſpiritualem, quę naturaliter ſuſtentari ſolet à ſubſtantia ſpirituali.

Reſpondetur negando conſequentiam. Ad probationem nego antecedens, ſiquidem prædicata eſſentialia generica non ſpecificant rationes formales inferiorum, vt inde ſequi poſſit, quod effectus vnius ſit, vel eſſe valeat effectus alterius: nam homo, & equus conueniunt in animali, & in prædicatis eſſentialibus illius, & tamen per nullam potentiam fieri poteſt, quod hinnibile ſit effectus hominis, & riſibile equi. Ad probationem negatur ſequella

Digitized by Google

antecedentis; non enim intellectus creatus eſt eleuabilis ad viſionem Diuinę eſſentiæ, quia hæc in ratione intelligibilis obiecti conueniat cum intelligibilitate obiecti creati intellectus, vt non benè ſentit Serbellonus, cuius eſt iſta ratio, ſed quia intellectus habet virtutem inchoatam, ſeu remotam circa totum ens, ſub quo continetur etiam Diuina eſſentia, quæ tamen compleri poteſt, & reduci ad potentiam propinquam intelligendi, ſeu videndi etiam Diuinam eſſentiam, per concurſum Diuinæ voluntatis gerentis vicem eiuſdem eſſentiæ, & in hoc conſiſtit eleuatio ad illam operationem ſupernaturalem, quam ſine illo elicere non poſſet, vt ſuperius dictum eſt.

Obijcitur tertiò contra ſecundam Concluſionem, quia in qualibet re creata reperitur virtus, qua reſpicit omnes effectus ſecundum aliqua prædicata, ergo poteſt producere omnes effectus ſecundum aliqua prædicata, ac proinde in qualibet creatura ineſt virtus inchoata ad quoslibet effectus, ergo cum compleri poſſit per aliam virtutem, ſequitur dari poſſe potentiam obedientialem actiuam in qualibet creatura ad quoslibet effectus producendos. Antecedens probatur, nam omnis virtus creata, vel eſt actiua ſubſtantiæ, vel accidentis, & quilibet effectus, aut eſt ſubſtantialis, aut accidentalis, ergo ſecundum aliqua prædicata, virtus cuiuslibet creaturæ actiua reſpicit omnes effectus producibiles, & hinc ſequitur; quod per potentiam obedientialem actiuam, omnis creatura poterit producere omnes effectus producibiles ſeorſim à ſuis cauſis.

Reſpondetur interimendo vtranque cõſequentiam, ſiquidem effectus, qui petunt fieri poſſe ſecundum rationes communes, cum nequeant poni in eſſe, niſi etiam ponantur ſecundum proprias, in quibus continentur communes, inde ſequitur, quod ſi iſtæ inuoluant repugnantiam in aliqua creatura ad nonnullos effectus, vt ſuperius, nullam etiam exiſtere debere virtutem, quæ inchoata ſupponitur, ad omnes effectus ſecundum rationes communes; ſiquidem fruſtra cenſetur illa virtus, quæ nequit reduci ad actum. Hinc apparet falſitas antecedentis, nimirum, quod in qualibet creatura inſit virtus inchoata, qua reſpiciat omnes effectus, ſiuè ſubſtantiales, ſiuè accidentales, vt in eſſe ponendos per potentiam obedientialem. Nam ſi aliquid fieri per ſe à Deo inuoluat repugnantiam, & ſimul cum creatura pariter fieri erit ei impoſſibile, ac repugnans, ſiquidem creatura dependet ab ipſo in eſſe, & agere.

Obijcitur quartò, quia aliqua entia corporea eleuantur à Deo ad producendos effectus ſpirituales, vt aqua baptiſmalis ad efficiendam gratiam: ignis Inferni, & Purgatorij ad producendam triſtitiam ſpiritualem, & oculus corporeus ad videndum Deum, qui eſt purus actus, ergo & quælibet creatura poterit eleuari ad producendos quoſcumque effectus aliarum creaturarum. Antecedens de aqua baptiſmali ſatis liquet ex Diuo Auguſtino homil. 80. in Ioan. vbi inquit: *Quæ eſt virtus iſta aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat* ſcilicet animam, ſed anima non abluitur niſi per infuſionẽ gratię, vel gratię cauſam; ergo aqua eleuatur à Deo ad efficientiam gratiæ. De igne Inferni, vel Purgatorij eſt aperta mens Doct. Subtilis in 4. d. 44. q. 2. art. 2. *dicentis* pœnam ſenſus, qua cruciantur damnati, & purgantur electi, conſiſtere in triſtitia, originata ex apprehenſione ignis, vt obiecti diſconuenientis. De oculo corporeo patet de Moyſe, & D. Paulo, qui dùm erant in viuis, eleuati fuerunt ad viſionem Diuinæ Eſſentiæ, ergo verum eſt totum antecedẽs, quod aliqua entia corporea fuerint eleuata à Deo ad productionem multorum effectuum ſpiritualium. Conſequentia patet, quia non eſt maior ratio de iam enumeratis, ac de cęteris, cum omnia ſint in dependentia eſſentiali ad ipſum Deum.

Reſpondetur negando antecedens abſolute. Ad probationes dico ad primam exponendo dictum D. Auguſtini, ſicut facit Doctor Subtilis in 4. d. 1. q. 5. §. *Ad primum autem dico aquam abluere cor, ideſt animam, non quidem cauſando diſpoſitionem mediam inter ipſam, & gratiam abluentem, ſed abluitur tamquam diſpoſitio proxima, & immediata ad gratiam, eo modo, quo dicitur, quod meritum inducit beatitudinem.* Hoc eſt dictu, aqua baptiſmalis cõcurrit ad creationem gratię, qua abluitur anima à ſordibus peccatorum, tanquã cauſa inſtrumentalis moralis, non verò phyſica, eo pacto, quo meritum eſt cauſa inſtru-

men-

mentalis pręmij, ideſt beatitudinis,quod libenter concedimus, non ſolum de aqua in ordine ad gratiam, ſed de multis alijs cauſis concurrentibus moraliter ad producendos illos effectus, qui phyſicè à ſolo Deo fieri poſſunt. Ad ſecundam dico cum eodē Doctore in 4. d.44.q.2.triſtitiam illam,quę cruciat damnatos in Inferno,& purgat animas purgantes, non cauſari effectiuè ab illo igne, ſed à Diuina voluntate detinente animas, & Angelos, quaſi colligatas igni, contra affectionem commodi,& propriam voluntatem, quæ cum ſit libera vellet alio diuerti, etiam Deo nollente; & quoniam triſtitia eſt de his,quæ nobis nollentibus accidunt, propterea triſtantur, & illa triſtitia cruciantur. Ex his habetur, quod triſtitia illa à tribus cauſatur, nempe à Diuina voluntate detinente animas, veluti illigatas igni, à voluntate animæ nollentis ſic detineri actiue à Deo, & ab igne formaliter, tamquam inſtrumento Diuinæ Iuſtitiæ. Vnde ſequitur ignem illum concurrere cū Diuina voluntate, vt inſtrumentum morale ad cruciandos dæmones, & damnatos, non autem phyſicè, cum nullum influxum realem habeat, ſed tantum intentionalem, & moralem. Ad tertiā de oculo corporeo dico, nec Moyſem, & Paulum, nec vllum hominem vidiſſe Deum oculis corporeis, inquit enim D. Io.1. *Deum nemo videt vnquam*,& ipſe Exodi c. 33. reſpōdens Moyſi faciem ſuam videre cupienti,ait: *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo, & viuet.* Sed ſolum oculis mētis, etiam dùm viuebant, quaſi à ſe rapti, & à ſenſibus abſtracti Deum intuiti ſunt, vt inquit Beda in 2.ad Corinth. c. 12. & D.Aug. in epiſt. 112.c.12.& lib.22.de Ciui. c.29.expendens illud Iob c.19. *In carne mea videbo Deum ſaluatorem meū*: inquit, *in carne mea ero cum videbo Deum,vnde non dixit: per carnem meam ſeb in carne mea*. Ratio autem horum omnium eſt, quia cum obiectum potentiæ viſiuæ ſit color materialis, & quantus,vt docet Ariſtotel.2.de Anima, & Deus ſit penitùs expers coloris cuiuſcūque: inquit enim D. Ambr.in cap.1. Lucæ: *Non circūſcribitur viſu, nec tactu tenetur, nec auditur affatu,nec inceſſu ſentitur*,inferendum eſt, non poſſe ab vlla potentia ſenſitiua percipi,& ſic nec à viſiua corporali.

Obijcitur quinto contra tertiam Concluſionem. Virtus creatiua non eſt infinita, ſed finita, ergo poterit communicari à Deo cuilibet creaturæ. Antecedens probatur quia quādo actio caret ſubiecto, & termino à quo,& ſolùm habet effectū, & terminum ad quem, tota ratio virtutis productiuæ, & quantitatis illius, attēdenda eſt ex perfectione effectus producti, ſed effectus productus per huiuſmodi actionem, qualis eſt creatio, eſt virtutis finitæ, ergo exigit virtutē finitam tantū, & non infinitam, ac proinde poterit communicari creaturæ.

Reſpondetur negando conſequentiam; non enim repugnat creatio creaturæ, eo quod careat virtute infinita, ſed ex eo duntaxat, quia nequit agere ex nihilo ideſt ex nullo præſuppoſito ſubiecto; hoc enim neceſſariò requiritur in habente virtutem creatiuam, quodcunque ſit illud, vt patet ex diffinitione creationis, communiter recepta.

Contra, quia agens naturale, virtute propria valet producere aliquam rem de nihilo. ergo valet agere independenter à ſubiecto, & à materia. Antecedens probatur, quia agens naturale ex ſpeciebus conſecratis, producens ſubſtantiam, vt putà vermem, attingit, nedum formam, verum & materiam, ergo producit ex nihilo præſuppoſito. Antecedens probatur, quia nec erat materia, nec forma, ſed ſolum corpus Chriſti, quod nequit corrumpi, ſicut nec ſubiectum illarum ſpecierum ibi erat; at materia nequit produci, niſi per creationem ex nihilo, ergo agens valet producere aliquid ex nihilo.

Reſpondetur negando antecedens. Ad cuius probationē dico,quod in corruptione ſpecierum non deeſt materia, quia vt dicit Doctor Subtilis in 4. d.12. q.6. ſub D, in inſtanti, quo ſpecies corrumpi debent, ſufficitur ſibi, Diuina virtute, materia in qua fit corruptio, & ex qua educitur forma ſubſtantialis vermis, ex quo colligitur, quod agens naturale non producit ex nihilo, ſed ex materia præexiſtenti, à Deo creata.

Obijcitur ſexto contra quartam concluſionem,quia ſacramenta nouę legis ex Cōcilio Tridentino, & ex communi omnium Theologorum ſententia, efficiunt gratiam, quam ſignificant, ad differentiam ſacramentorum veteris legis, quę erant tantum

ſigna

Digitized by Google

ſigna gratiæ, ſed gratia nequit effici aliter, quam per creationem, vt alias probatum eſt, ergo ſaltem inſtrumentaliter poſſunt aſſumi ad creandum phyſice, & non moraliter, alioquin nulla eſſet differentia inter ſacramenta veteris, & nouæ legis, ſiquidem illa efficiebant gratiam moraliter.

Reſpondetur antecedens eſſe verum moraliter, non phyſice, ob rationes adductas in concluſionibus, & præſertim, quia vt inſtrumentum ſit actiuum debet habere formam actiuam per quam agat, vel in eſſe quieto, vel in actuali motione, cum igitur nulla creatura habeat, nec habere poſſit huiuſmodi formam, aut virtutem, ſequitur non poſſe aſſumi, tanquam inſtrumentum phyſicum ad creandum. Nec valet ratio in contrarium adducta, quod nulla eſſet differentia inter ſacramenta veteris, ac nouæ legis, cùm vtraque ſunt inſtrumẽta moralia, ſiquidem, vt inquit Doct. Subtilis in 4. d. 1. q. 5. I. *Non diſtinguuntur per illud, quod neutri illorum poteſt conuenire, ſcilicet actiuè agere ad aliquid ſpirituale in anima, ſed iſta noua legis gratiam cauſant tanquam ſignum efficax, illa autem veteris legis non, loquendo de ſacramentis, ideſt de ceremonijs illius legis.* En quomodo diſtinguuntur adinuicem vtraque ſacramenta, cum qua diſtinctione ſtat, vt neutra concurrant phyſice, ſed tantum moraliter ad creationem gratiæ.

An ad præteritum poſſit dari potentia aliqua, creata, vel diuina?

QVÆSTIO IV.

HÆc difficultas mouetur occaſione textus 138. in quo Ariſtoteles docet, nullam poſſe dari potentiam ad fuiſſe; quod confirmat lib. 6. Ethic. cap. 3. vbi commendans dictum Agathonis, inquit: *Etiam ipſe Deus ſolum carere videtur, infectum, vt faciat, quod factum eſt, atque peractum.* Quamobrem cum talis opinio, ſic abſolutè conſiderata, nonnullis nimis dura, & alijs etiam à veritate aliena appareat, propterea inueſtigandum eſt, quid veri, aut falſi præſeferat, vel probabilis, aut improbabilis cenſeatur.

Gilbertus Porrectanus, in Boetium, Altiſiodorenſis lib. 1. Sum. capit. 6. Gregorius de Arimino in 1. d. 42. q. 1. att. 2. cum nonnullis Recentioribus, ſuſtinent huiuſmodi opinionem, ſic vniuerſaliter ſumptam non poſſe, ſecundum veritatem ſuſtineri, ſiquidem inquiunt, Deum poſſe facere, vt præteritum non ſit præteritum; quare inferunt, quod ad præteritum poſſit dari potentia ſaltem Diuina.

Cæterùm communis ſententia Sanctorum Patrum, Theologorum, ac Philoſophorum aſſeuerant veram eſſe Ariſtotelis opinionem, qua iudicat impoſſibile, & à veritate omninò alienum, aſſerere, quod ad præteritum, vt præteritum poſſit dari aliqua potentia, ſiue ſit naturalis, ſiue ſupernaturalis. Ita D. Hieronym. ad Euſtochium q. 22. D. Auguſtin. de Ciuitate Dei lib. 21. cap. 20. & lib. 26. contra Fauſtum cap. 5. D. Anſelm. Cur Deus homo. Diuus Thoma 1. p. q. 25. art. 4. Aleſ. 1. p. q. 21. memb. 4. Ricardus in 1. ſent. d. 42. q. 5. Scotus ibid. d. 39. q. 1. §. Ad primum, & in 4. d. 43. q. 3. ſub F, & K, quos ſequuti ſunt communiter Thomiſtæ, ac Scotiſtæ, & alij, quorum meminere Conimbricenſes in capit. 12. libr. 1. de Cœlo, & Mundo ad t. 138. §. Nota hoc loco ſententiam Ariſtotelis &c. quibus, & nos ſubſcribimus, cum aliquali tamen cenſura mox adnotanda.

Primò igitur notandum eſt ex Scoto in 4. d. 43. q. 3. ſub F, & K, præteritum dupliciter conſiderari poſſe ſcilicet formaliter, & connotatiuè. Pręteritum primo modo, hoc eſt reduplicatiue ſumptum, importat illam præteritionem, ſiuè fuiſſe, & de hoc intelligitur ſententia Ariſtotelis, nimirum nullam dari potentiam ad fuiſſe, nec Diuinam; quandoquidem ad contradictoria non poteſt eſſe potentia, neque Dei, cum hæc reſpiciat tantum poſſibilia, & impoſſibilia refugiat, modò ſi aliqua potentia poſſet eſſe ad præteritum formaliter, idem eſſet præteritum, & non præteritum; eſſet quidem præteritum, quia iam tranſierit, non eſſet verò præteritum, cum adhuc eſſet ſub futuritione, quod omninò implicat. Præteritum verò ſecundo modo præſefert rem ſub præteritione tranſactam, vel per deſitionem, vel per annihilationem, vel per corruptionem deſtructam, & de hoc fallit huiuſmodi ſententia, ſiquidem vt probat Doctor Subtilis in præcitato loco, &

nos

nos cum illo in 5. Phyſicorum diſp. 2. q. 2. idem, quouis modo deſtructum, poteſt, ſaltem per Diuinam potentiam redire in identitate numerica, ac proindè, quod iam præterijt eſt in potentia ad eſſe futurum, & præſens, alioquin non daretur reſurrectio mortuorum, quod eſt contra articulum fidei, & etiam contra rationem deſumptam ex eodem Ariſtotele 8. Metaph. t. 12. vbi dicit, quod ſi materia, & mouens ſint idem, idem pariter erit, quod reproducitur, & per oppoſitum diuerſum, ſi materia, aut mouens fuerint diuerſa; cum igitur potentia Dei ſit ſemper eadem, vt in finita, materia quoque poſſit eadem conſeruari a Deo, conſequenter idem numero redire poteſt, quod aliquo pacto deſierat, atque ſub præteritione tranſierat.

Secundò Notandum ex eodem Doctore Subtili in 1. d. 39. q. 1. ad primum argumentum princip. ſub P. non eſse ſimilem veritatem in propoſitionibus de futuro, ſicut in illis de præſenti, & de præterito. In præſentibus quidem, & præteritis eſt veritas determinata, itaquod alterum extremum eſt poſitum, & vt intelligitur poſitum, non eſt in poteſtate cauſæ, vt ponatur, vel non ponatur, quia licet in poteſtate cauſæ, vt prior naturaliter eſt effectu, ſit ponere effectum, vel non ponere, non tamen vt effectus intelligitur iam poſitus in eſse: talis autem non eſt determinatio ex parte futuri; quia licet alicui intellectui, ſit vna pars determinatè vera in ſe, quamuis nullus intellectus illam apprehenderet, non tamen ita, quin in poteſtate cauſæ ſit pro illo inſtanti ponere oppoſitum: vnde magis determinata videtur Diuina potentia ad præterita vt talia, quam ad futura, ſaltem in ſenſu diuiſo; nam in ſenſu compoſito, impoſſibile videtur à Deo volitum vt futurum, non eſse futurum, ſicut præteritum, non eſse præteritum; eſtò ſecundum noſtrum modum concipiendi, maior videatur determinatio in præterito, quia eſt determinatio ex parte volentis, & ſimpliciter ex parte rei volitæ, quatenus aliquando fuit in ſuo eſse ſimpliciter, in futuris autem eſt tantum determinatio ſecundum quid ex parte rei volitæ; ſiquidem futurum vt ſic, habet tantum eſse ſecundum quid, nempè eſse volitum. Ex his infertur, quod cum præteritum ſit ſimpliciter determinatum, & nullo pacto ſit in poteſtate cauſæ ponere oppoſitum, ſicut in futuro, non poſse dari potentiam ad præteritum formaliter, bene tamen ad futurum.

Tertiò Notandum eſt ex eodem in 1. d. 43. quæſt. vnica nihil eſse ſimpliciter impoſſibile, niſi cui ſimpliciter repugnat eſse ex ſe primò, & non propter aliquem reſpectum ad quodcumque aliud; ſiquidem repugnantia extremorum eſt ex ratione ſua formali, ſicut album, & nigrum, quæ ex ſuis rationibus formalibus contrariantur. Ex quo infertur, quod impoſſibile ſimpliciter non poteſt fieri poſſibile; cùm igitur præteritum non eſse præteritum, ſed futurum, ſit ſimpliciter impoſſibile ob repugnantiam ſuarum rationum formalium, ſequitur, quod per nullam potentiam, præteritum poſsit fieri futurum; fieret autem ſi ad præteritum daretur aliqua potentia; ſiquidem talis in eo poneret negationem præteriti, & poſsibilitatem ad eſse futuri, ſicque vnum fieret alterum, & ita ſimpliciter impoſsibile, quod repugnat poſsibili ex ſua ratione formali, fieret poſsibile per reſpectum ad potentiam Diuinam, quod implicaret contradictionem, ad quam tamen non ſe extendit Diuina omnipotentia. Dictum tamen notanter, quod ſimpliciter impoſsibile habeat repugnantiam formalem cum poſsibili, itaut vnum nequeat fieri alterum, quia ſi loquamur de impoſsibili ſecundum quid, hoc eſt in ordine ad aliquod agens, aliter dicendum eſt; quandoquidem aliquid poteſt eſse impoſsibile potentiæ inferiori, & poſsibile ſuperiori, ſicut impoſsibile eſt naturaliter cæcum videre, virginem parere, de trunco fieri bouem, & de femina ſtatuam ſalis, quia non repugnant idcircò fiunt poſsibilia Deo; cęterum quia pręteritum non fuiſse, includit formalem repugnantiam, ob id nequit fieri poſsibile nec ipſi Deo.

Quartò Notandum ex Ariſtotele 5. Metaphyſicorum t. 17. & 9. Metaphyſic. t. 2. & 10. potentiam, quatenus dicit principium agendi, vel patiendi, eſse duplicem, nempè actiuam, & paſsiuam. Potentia actiua eſt principium actiuum trāſmutandi aliud inquantum aliud: Potentia verò paſsiua eſt principium paſsiuum ab alio, inquantum ab alio, vt patet in igne calefaciente aquam; ſiquidem ignis calefaciens dici-

ſigna gratiæ, ſed gratia nequit effici aliter, quam per creationem, vt alias probatum eſt, ergo ſaltem inſtrumentaliter poſſunt aſſumi ad creandum phyſice, & non moraliter, alioquin nulla eſſet differentia inter ſacramenta veteris, & nouæ legis, ſiquidem illa efficiebant gratiam moraliter.

Reſpondetur antecedens eſſe verum moraliter, non phyſice, ob rationes adductas in concluſionibus, & præſertim, quia vt inſtrumentum ſit actiuum debet habere formam actiuam per quam agat, vel in eſſe quieto, vel in actuali motione, cum igitur nulla creatura habeat, nec habere poſſit huiuſmodi formam, aut virtutem, ſequitur non poſſe aſſumi, tanquam inſtrumentum phyſicum ad creandum. Nec valet ratio in contrarium adducta, quod nulla eſſet differentia inter ſacramenta veteris, ac nouæ legis, cùm vtraque ſint inſtrumẽta moralia, ſiquidem, vt inquit Doct. Subtilis in 4. d. 1. q. 5. I. *Non diſtinguuntur per illud, quod neutri illorum poteſt conuenire, ſcilicet actiuè agere ad aliquid ſpirituale in anima, ſed iſta noua legis gratiam cauſant tanquam ſignum efficax, illa autem veteris legis non, loquendo de ſacramentis, ideſt de ceremonijs illius legis*. En quomodo diſtinguuntur adinuicem vtraque ſacramenta, cum qua diſtinctione ſtat, vt neutra concurrant phyſice, ſed tantum moraliter ad creationem gratiæ.

An ad præteritum poſſit dari potentia aliqua, creata, vel diuina?

QVÆSTIO IV.

HÆc difficultas mouetur occaſione textus 138. in quo Ariſtoteles docet, nullam poſſe dari potentiam ad fuiſſe; quod confirmat lib. 6. Ethic. cap. 3. vbi commendans dictum Agathonis, inquit: *Etiam ipſe Deus ſolum carere videtur, infectum, vt faciat, quod factum eſt, atque peractum.* Quamobrem cum talis opinio, ſic abſolutè conſiderata, nonnullis nimis dura, & alijs etiam à veritate aliena appareat, propterea inueſtigandum eſt, quid veri, aut falſi præſeferat, vel probabilis, aut improbabilis cenſeatur.

Gilbertus Porrectanus, in Boetium, Altiſiodorenſis lib. 1. Sum. capit. 6. Gregorius de Arimino in 1. d. 42. q. 1. art. 2. cum nonnullis Recentioribus, ſuſtinent huiuſmodi opinionem, ſic vniuerſaliter ſumptam non poſſe, ſecundùm veritatem ſuſtineri, ſiquidem inquiunt, Deum poſſe facere, vt præteritum non ſit præteritum; quare inferunt, quod ad præteritum poſſit dari potentia ſaltem Diuina.

Cæterùm communis ſententia Sanctorum Patrum, Theologorum, ac Philoſophorum aſſeuerant veram eſſe Ariſtotelis opinionem, qua iudicat impoſſibile, & à veritate omninò alienum, aſſerere, quod ad præteritum, vt præteritum poſſit dari aliqua potentia, ſiue ſit naturalis, ſiue ſupernaturalis. Ita D. Hieronym. ad Euſtochium q. 22. D. Auguſtin. de Ciuitate Dei lib. 21. cap. 20. & lib. 26. contra Fauſtum cap. 5. D. Anſelm. Cur Deus homo. Diuus Thoma 1. p. q. 25. art. 4. Aleſ. 1. p. q. 21. memb. 4. Ricardus in 1. ſentent. d. 42. q. 5. Scotus ibid. d. 39. q. 1. §. Ad primum, & in 4. d. 43. q. 3. ſub F, & K, quos ſequuti ſunt communiter Thomiſtæ, ac Scotiſtæ, & alij, quorum meminere Conimbricenſes in capit. 12. libr. 1. de Cœlo, & Mundo ad t. 138. §. Nota hoc loco ſententiam Ariſtotelis &c. quibus, & nos ſubſcribimus, cum aliquali tamen cenſura mox adnotanda.

Primò igitur notandum eſt ex Scoto in 4. d. 43. q. 3. ſub F, & K, præteritum dupliciter conſiderari poſſe ſcilicet formaliter, & connotatiuè. Pręteritum primo modo, hoc eſt reduplicatiue ſumptum, importat illam præteritionem, ſiuè fuiſſe, & de hoc intelligitur ſententia Ariſtotelis, nimirum nullam dari potentiam ad fuiſſe, nec Diuinam; quandoquidem ad contradictoria non poteſt eſſe potentia, neque Dei, cum hæc reſpiciat tantum poſſibilia, & impoſſibilia refugiat, modò ſi aliqua potentia poſſet eſſe ad præteritum formaliter, idem eſſet præteritum, & non præteritum; eſſet quidem præteritum, quia iam tranſierit, non eſſet verò præteritum, cum adhuc eſſet ſub futuritione, quod omninò implicat. Præterirem verò ſecundo modo præſefert rem ſub præteritione tranſactam, vel per deſitionem, vel per annihilationem, vel per corruptionem deſtructam, & de hoc fallit huiuſmodi ſententia, ſiquidem vt probat Doctor Subtilis in præcitato loco, &

nos cum illo in 5. Phyſicorum diſp. 2. q. 2. idem, quouis modo deſtructum, poteſt, ſaltem per Diuinam potentiam redire in identitate numerica, ac proindè, quod iam præterijt eſt in potentia ad eſſe futurum, & præſens, alioquin non daretur reſurrectio mortuorum, quod eſt contra articulum fidei, & etiam contra rationem deſumptam ex eodem Ariſtotele 8. Metaph. t. 12. vbi dicit, quod ſi materia, & mouens ſint idem, idem pariter erit, quod reproducitur, & per oppoſitum diuerſum, ſi materia, aut mouens fuerint diuerſa; cum igitur potentia Dei ſit ſemper eadem, vt in finita, materia quoque poſſit eadem conſeruari a Deo, conſequenter idem numero redire poteſt, quod aliquo pacto deſierat, atque ſub præteritione tranſierat.

Secundò Notandum ex eodem Doctore Subtili in 1. d. 39. q. 1. ad primum argumentum princip. ſub P. non eſse ſimilem veritatem in propoſitionibus de futuro, ſicut in illis de præſenti, & de præterito. In præſentibus quidem, & præteritis eſt veritas determinata, itaquod alterum extremum eſt poſitum, & vt intelligitur poſitum, non eſt in poteſtate cauſæ, vt ponatur, vel non ponatur, quia licet in poteſtate cauſæ, vt prior naturaliter eſt effectu, ſit ponere effectum, vel non ponere, non tamen vt effectus intelligitur iam poſitus in eſse: talis autem non eſt determinatio ex parte futuri; quia licet alicui intellectui, ſit vna pars determinatè vera in ſe, quamuis nullus intellectus illam apprehenderet, non tamen ita, quin in poteſtate cauſæ ſit pro illo inſtanti ponere oppoſitum: vnde magis determinata videtur Diuina potentia ad præterita vt talia, quam ad futura, ſaltem in ſenſu diuiſo; nam in ſenſu compoſito, impoſſibile videtur à Deo volitum vt futurum, non eſse futurum, ſicut præteritum, non eſse præteritum; eſtò ſecundum noſtrum modum concipiendi, maior videatur determinatio in præterito, quia eſt determinatio ex parte volentis, & ſimpliciter ex parte rei volitæ, quatenus aliquando fuit in ſuo eſse ſimpliciter, in futuris autem eſt tantum determinatio ſecundum quid ex parte rei volitæ; ſiquidem futurum vt ſic, habet tantum eſse ſecundum quid, nempè eſse volitum. Ex his infertur, quod cum præteritum ſit ſimpliciter determinatum, & nullo pacto ſit in poteſtate cauſæ ponere oppoſitum, ſicut in futuro, non poſse dari potentiam ad præteritum formaliter, bene tamen ad futurum.

Tertiò Notandum eſt ex eodem in 1. d. 43. quæſt. vnica nihil eſse ſimpliciter impoſſibile, niſi cui ſimpliciter repugnat eſse ex ſe primò, & non propter aliquem reſpectum ad quodcumque aliud; ſiquidem repugnantia extremorum eſt ex ratione ſua formali, ſicut album, & nigrum, quæ ex ſuis rationibus formalibus contrariantur. Ex quo infertur, quod impoſſibile ſimpliciter non poteſt fieri poſſibile; cùm igitur præteritum non eſse præteritum, ſed futurum, ſit ſimpliciter impoſſibile ob repugnantiam ſuarum rationum formalium, ſequitur, quod per nullam potentiam, præteritum poſsit fieri futurum; fieret autem ſi ad præteritum daretur aliqua potentia; ſiquidem talis in eo poneret negationem præteriti, & poſsibilitatem ad eſse futuri, ſicque vnum fieret alterum, & ita ſimpliciter impoſsibile, quod repugnat poſsibili ex ſua ratione formali, fieret poſsibile per reſpectum ad potentiam Diuinam, quod implicaret contradictionem, ad quam tamen non ſe extendit Diuina omnipotentia. Dictum tamen notanter, quod ſimpliciter impoſsibile habeat repugnantiam formalem cum poſsibili, itaut vnum nequeat fieri alterum, quia ſi loquamur de impoſsibili ſecundum quid, hoc eſt in ordine ad aliquod agens, aliter dicendum eſt; quandoquidem aliquid poteſt eſse impoſsibile potentiæ inferiori, & poſsibile ſuperiori, ſicut impoſsibile eſt naturaliter cæcum videre, virginem parere, de trunco fieri bouem, & de femina ſtatuam ſalis, quia non repugnant idcircò fiunt poſsibilia Deo; cęterum quia pręteritum non fuiſse, includit formalem repugnantiam, ob id nequit fieri poſsibile nec ipſi Deo.

Quartò Notandum ex Ariſtotele 5. Metaphyſicorum t. 17. & 9. Metaphyſic. t. 2. & 10. potentiam, quatenus dicit principium agendi, vel patiendi, eſse duplicem, nempè actiuam, & paſsiuam. Potentia actiua eſt principium actiuum tranſmutandi aliud inquantum aliud: Potentia verò paſsiua eſt principium paſsiuum ab alio, inquantum ab alio, vt patet in igne calefaciente aquam; ſiquidem ignis calefaciens dici-

dicitur eſſe in potentia actiua cum tranſmutet aquam de frigiditate ad caliditatem, dùm ipſam calefacit: aqua verò dicitur eſſe in potentia paſſiua, vt tranſmutetur de frigiditate in caliditatem. Ad propoſitum cum quæritur an ad præteritum dari poſſit aliqua potentia, intelligitur quæſtio de vtraque potentia, tàm actiua, quàm paſſiua, vt ſit ſenſus, vtrum detur aliqua potentia actiua, vel in aliquo agente creato, vel increato, qua poſſit tranſmutare præteritum formaliter in futurum: vel potentia paſſiua in ipſo præterito, vt ab aliquo tranſmutari poſſit de præteritione in futuritionem.

Ex his ſit prima concluſio. Ad præteritum, vt tale formaliter ſumptum, nulla datur potentia, ſiuè actiua, ſiuè paſſiua. Eſt Doctoris Subtilis in 4. d.43. q. 3. ſub F, & K, ac aliorum, quos retulimus pro ſecũda ſententia. Probatur primo auctoritate Ariſt.in hoc lib.1.de Cœlo t.138.vbi inquit: *Nulla enim eſt potẽtia ipſius fuiſſe.ſed ipſius eſſe, aut futurum eſſe.* Sed fuiſſe eſt præteritum formaliter oppoſitum ad futurum eſſe, ergo cum ad futurum detur potentia actiua, & paſſiua, vtraque erit deneganda præterito, vt opponitur futuro. Deinde D. Auguſt. lib.26. contra Fauſtum capit.5. arguit probando ad præteritum nullam eſſe potentiam, nec Diuinam: *Quiſquis ita dicit, ſi omnipotens eſt Deus faciat, vt quæ facta ſunt, facta non fuerint, non videt hoc ſe dicere: ſi omnipotens eſt, faciat, vt ea, quæ vera ſunt, eo ipſo, quo vera ſunt, falſa ſint. Quis enim dicat, vt idem, quod iam non eſt, faciat non eſſe? Quicquid enim præteritum eſt, iam non eſt. Quod ſi de ipſo aliquid fieri poteſt, adhuc eſt de quo fiat.* Et D. Anſelmus lib.2. Cur Deus homo cap.12. idem confirmans ſubdit: *Cum Deus aliquid facit, poſtquam factum eſt, iam non poteſt non eſſe factum, ſed ſemper verum eſt factum eſſe.* Ergo ex Philoſopho, & Sanctis Patribus aperte colligitur, ad præteritum, vt tale, non poſſe dari potentiam, ſiuè actiuam, ſiuè paſſiuam, ſiuè creatam, ſiuè increatam. Secundò probatur ratione deſumpta ex Scoto in 1. d. 29. q.1. & d.43.quæſt. vnic. quia ad impoſſibile ſimpliciter nulla poteſt dari potentia, tùm quia impoſſibile ſimpliciter eſt ex ſe tale,& non per reſpectum ad quodcumque aliud; tum etiam, quia alioquin impoſſibile ſimpliciter poſſet eſſe poſſibile, quod inuoluit repugnantiam ex terminis, ſed præteritum non eſſe præteritum, verùm futurum, eſt ſimpliciter impoſſibile, ergo vt præteritum non ſit præteritum nulla poteſt dari potentia. Maior eſt nota. Minor probatur, nam quę repugnant ex ſuis rationibus formalibus arguunt impoſſibilitatem ſimpliciter ad eſſe ſimul in ſe, ac in tertio, vt manifeſte patet in diſparatis, & formaliter contrarijs, vt ſunt album, & nigrum, rationale, & irrationale, ſed pręteritum vt tale, & non pręteritum, ſiuè futurum,repugnant ex ſuis rationibus formalibus; ſiquidem ratio formalis pręteriti eſt eſſe ſic determinatum, vt cum intelligitur ſic poſitum, non ſit amplius in poteſtate cauſæ, vt ponatur, vel non ponatur; ratio verò formalis futuri eſt eſſe ita indeterminatũ,vt in illo inſtanti, in quo à cauſa intelligitur determinatum, ſit in eius poteſtate ponere, & non ponere, & ponere oppoſitum eius, quę omninò formaliter repugnant, ergo pręteritum non eſſe pręteritum, ſed virtute alicuius potentię, futurum, eſt ſimpliciter impoſſibile. Confirmatur, quia Deus nequit facere verum,vt verum eſſe falſum, cùm repugnent formaliter, ſed ſi poſſet facere pręteritum non eſſe pręteritum, poſſet facere verum, vt verum, eſſe falſum, ergo &c. Minor eſt nota, quia pręteritum vt pręteritum eſt determinatè verum, ergo ſi faceret pręteritum non fuiſſe, faceret verum vt verum, non eſſe verum, ſed falſum, quod inuoluit manifeſtam repugnantiam, & contradictionem interminis, ad quam nulla poteſt dari potentia.

Secunda Concluſio. Ad pręteritum tamen pro connotato, poteſt dari potentia, ſaltem Diuina. Eſt Scoti in 4. d.43. q.1. & 3. in pręcitatis locis, & aliorum contra Durandum, & alios, vt adnotauimus in 5. Phyſicorum diſp.2. q.2. vbi oſtendimus, idem poſſe naturaliter reproduci, ſaltem in aliquibus, ſi non omnibus. Probatur primo auctoritate D. Auguſtini libr.22. de Ciuitate Dei cap. 20. *Etſi caro omnibus periſſet modis, nec vlla eius materia in vllis naturæ latebris manſiſſet, tamen ſi vellet, eam repararet omnipotens.* Et idem dicendum de quocumque alio totaliter deſtructo; ſicut enim de nihilo poterat creare

quod-

Digitized by Google

quodlibet, ita quod de præterito ad nihil reductum eſt, poteſt denuò reproduci, cum ſit eadem potentia Dei, & idem nihil poſt deſtructionem, ſicut ante creationem. Secundò probatur ratione, quia quodcumque ens abſolutum, quod præteritum dicitur, continetur in virtute Dei eodē modo nūc, & ante productionem talis, ſiquidem virtus illa eſt infinita, quæ nec augeri poteſt, nec minui, ſed ante potuit produci, ergo & nunc poſt deſtructi præteritionem, poterit reproduci in identitate numerali, qua antea fuit productum. Maior patet. Minor ſimiliter. Conſequentia probatur, quia diuerſitas poſterioris non arguit diuerſitatem prioris, ſed reſpectus ad tempus præteritum, vel præſens, aut futurum eſt poſterior eſſe rei in ſe, ergo ſicut ens idem numero permanet in diuerſis inſtantibus, ita abſolutum, quod præteritum erat, cum omnibus ſuis accidentibus poterit denuò reproduci. Tertiò probatur, quia manente eodem agente, & eadem materia poteſt redire numero compoſitum ex Ariſtotele 8. Metaph. t. 12. ſed rei, tempore præterito deſtructæ, manere poteſt eadem materia, & idem agens, ergo & eadem numero res poteſt, ac proinde ad præteritum pro connotato poteſt dari potentia. Minor patet, quia Deus, vel Angelus colligere poteſt omnes partes materiales rei deſtructæ, ſicut de facto fiet in reſurrectione vniuerſali mortuorum, ergo poterit manere eadem materia, & virtus Dei ſemper eadem perſeuerat, ac proinde eadem res preterita poterit in identitate numerali redire.

Obijcitur primo contra primam Concluſionem ex D. Auguſtino libro 26. contra Fauſtum, vbi inquit, *tam non poſſunt futura non fieri, quam non fuiſſe facta præterita*, ſed certum eſt, quod futura non fore, eſt abſolute poſſibile Deo, ergo, & præterita non fuiſſe. Item D. Anſelmus lib. Cur Deus homo inquit, *omnem neceſſitatem, & impoſſibilitatem ſubiacere Diuinæ voluntati, illius autem voluntas nulli ſubditur neceſſitati, aut impoſſibilitati; nihil enim eſt neceſſarium, aut impoſſibile, niſi quia ita ipſe vult: ipſum vero, aut velle, aut nolle aliquid propter neceſsitatem, aut impoſſibilitatem alienum eſt à veritate*, ergo quamuis præteritum non fuiſſe ſit impoſſibile, cum omne impoſſibile pendeat à Diuina voluntate, ſecundum D. Anſelmum, ſequitur, quod ad præteritum, vt præteritum, poſſit dari aliqua potentia, nempe Diuina voluntas.

Reſpondetur negando conſequentiam. Ad primam probationem dico, Diuum Auguſtinum locutum fuiſſe de præterito, antequam ſit in eſſe poſitum, ſiquidem vt ſic, cùm non ſit in eſſe poſitum, eſt in poteſtate cauſæ, vt ponatur, vel non ponatur, ſicut futurum, & hoc pacto comparari poteſt cum futuro, nondum determinato a Diuina voluntate; nos autem locuti ſumus in concluſione noſtra de præterito, vt præterito, & vt intelligitur in eſſe poſitum, quia ſic ſe habet tanquam diſparatum cum futuro, vnde non ſequitur, quod ſi futurum eſt in poteſtate Dei, vt ponatur, & non ponatur, ſic etiam ſit præteritum, vt præteritum, ob formalem repugnantiam, quæ reperitur inter præteritum, vt tale, ac futurum, vt dictum eſt ſupra. Ad ſecundam depromptam ex D. Anſelmo, dico intelligendam eſſe de impoſſibili ſecundum quid; quandoquidem, cum in ſuo eſſe dependeat à Diuina voluntate, inferendum eſt, ad illud dari potentiam ſaltem Diuinam, non autem de impoſſibili ſimpliciter, quod cùm importet repugnantiam formalem, nequit dicere reſpectum ad voluntatem Diuinam; quare præteritum non eſſe præteritum, & impoſſibile ſimpliciter, aque adeò ad ipſum nequit eſſe vlla potentia.

Obijcitur ſecundò. Potentia Dei manet ſemper eadem, ſed antequam præteritum fuiſſet, poterat Deus facere, non fuiſſe, ergo & poſtquam intelligitur in eſſe poſitum. Maior patet, quia eſt infinita, ac proindè nequit augeri, vel minui, ergo ſi antea poterat Deus, illud non ponere in eſſe, & poſtea facere poterit, quamuis iam poſitum, illud non fuiſſe.

Reſpondetur negando conſequentiam; ſiquidem repugnantia non prouenit ex parte Diuinæ Potentiæ, quæ cum ſit infinita, & ſemper eadem manens, ſic poteſt ſe extendere ad actum poſt poſitionem præteriti, ſicut ante, ſi eſſet ponibile; verum quia iam ſemel poſitum in eſſe, eſt ita determinatum ad præteritionem, vt nō ſit amplius in poteſtate cauſæ, quemadmodum erat antequā intelligeretur poſitū,

hinc

Digitized by Google

hinc eſt, quod Diuina potentia ad illud amplius ſe extendere non poſſit, ſicut in illo priori, in quo erat ſub ratione futuri, quia tunc poterat illud ponere, & non ponere, vt futurum.

Contra, quia Diuina voluntas ab æterno non eſt magis determinata ad præterita, quam ad futura, ſed poteſt facere, vt futura contingentia non ſint: ergo poterit etiam facere, vt præterita non fuerint.

Reſpondetur ex Scoto in 1. d. 39. q. 1. ſub F. negando maiorem, ſiquidem in pręteritis eſt veritas determinata, adeout non ſit amplius in poteſtate Diuinæ voluntatis ponere oppoſitum: cæterùm in futuris non ita ſe habet; poteſt namque in illo inſtanti, in quo illa determinat, non determinare, aut oppoſitum eius, quod decreuerit: Ratio autem diuerſitatis eſt, quoniam iſta ſunt futura, & illa præterita, quæ ex ſuis rationibus formalibus, adinuicem pugnant, vt vnum nequeat eſſe aliud, vt ſuperius dictum fuit.

Obijcitur tertio contra ſecundam Concluſionem ex Ariſtotele 6. Æthicorum cap. 2. *Hoc ſolo priuatur Deus ingenita facere, quæ facta ſunt*, ſed res præterita iam facta eſt, ergo nequit amplius fieri, neque à Deo.

Reſpondetur auctoritatem illam, vt aduertit Scotus in 4. d. 43. q. 3. ſub F. intelligendam eſſe de præteritis pro formali, non autem pro connotato, quia ſic res amiſſa poteſt iterùm, ſaltem per Dei potentiam, reparari, vt patet de virginitate, & quacumque alia forma abſoluta; ſiquidem, vt dicit idem Doctor in 4. d. 1. q. 6. §. contra iſtam Concluſionem ſub C. *Accipiendo quodcumq; abſolutum importatum per virginitatem, ſiuè ſit perfectio in mente, ſiuè diſpoſitio in carne, totum poteſt Deus reparare; at quia virginitas vltra dicit negationem quandam actus præteriti, vt ſcilicet nunquam cecidiſſe mente, vel carne in peccatum carnis, hanc Deus nequit reparare; ex quo enim actus præterijt, non poteſt Deus facere quin præterijt, vnde Philoſophus cõmendat dictum Agathonis rectè dicentis: Hoc ſolo priuatur Deus ingenita facere, quæ facta ſunt: ratio autem eſt, quia nulla factio poteſt eſſe non entis de aliquo non ente; præteritum autem eſt non ens, & non præteriſſe eſt aliud non ens, ergo non poteſt ex præterito fieri, quod non ſit præteritum.* Quia repugnat ex negatione fieri aliam negationem: nam quælibet factio cuiuſcumque potentiæ, vel eſt entis de non ente, ſicut in annihilatione, vel non entis de ente, vt in creatione, vel entis de ente, vt in generatione, nulla autem dari poteſt, quæ ſit non entis de non ente.

Vtrum eſſe genitum, vel productum, in rerum mundialium ſerie, inferat neceſſariò eſſe corruptibile, & mortale?

QVÆSTIO V.

FVit olim Antiquorum opinio, quorum meminit Ariſtoteles in hoc 1. libro de Cœlo à t. 102. Mundum incæpiſſe cum tempore per generationem, nec tamen fore quandoque deſiturum per corruptioné, quinimò æternum duraturum, contra quos inuehens Philoſophus nititur oſtendere illorum falſitatem ex eo, quod ſicut ingenitum, & incorruptibile ſe comitantur in æternitate, ita genitum, & corruptibile ſe conſequuntur in tempore, adeo quod ſi quiſpiam poſuerit incæptionem Mundi tẽporalem per generationem, conabitur fateri eius deſitionem per corruptionem aliquando. Cæterùm quia fides docet Mundum incæpiſſe cum tempore, dicente Moyſe Geneſis cap. 1. *In principio creauit Deus Cœlum, & Terram*; & nos oſtendimus lib 8. Phyſicorum diſp. 1. q. 4. illum non fore amplius diſſoluendum, verùm æternum duraturum, quoad partes ſubſtantiales, inter quas enumerauimus Angelos, & Animas rationales, conamur in præſentiarum diligentiùs inueſtigare, an huiuſmodi principium Ariſtotelis, aliquo pacto, officere poſſit perpetuitati Animarum rationaliũ, quod eſt breuiter quærere; An ſecundum hæc, & alia principia eiuſdem Ariſtotelis, Anima rationalis ſit perpetua, vel corruptibilis, aut mortalis?

Nonnulli ex Platonis ſectatoribus, conſiderantes Ariſtotelem, quamuis eiuſdem diſcipulum, fere ſemper infenſum illi fuiſſe, dixerunt ipſum euulgaſſe Animæ rationalis mortalitatem, licet forſan immortalem putauerit, ne in hoc quidem videretur cum Magiſtro conuenire. Ita Atticus, Plo-

tinus,

Digitized by Google

tinus, ac Porphyrius relati ab Euſebio Cæſarienſi lib. 1. de Præparat. Euang. capit. 9. 10. & 11. Quod autem Ariſtoteles illam corruptibilem, in rei veritate crediderit, tenuerunt Iuſtinus in orat. ad Gentes prope initium, D. Gregorius Nyſſenus libr. 2. Philoſophiæ, Nazianzenus contra Galenum in Hiſt. Philoſophorum, & multi Recentiores ſequuti Alexandrum Aphrodiſæum.

Alij ex oppoſito ſuſtinent, quod ſicut Ariſtoteles agnouerit immortalitatem Animæ rationalis illam etiã ſemper ſuſtinuerit, quamuis interdum oppoſitum viſus ſit aſſerere. Ita Simplicius, Theophraſtus, & Philopponus in Proemio libro de Anima ad t. 12. & 13. ac in 3. libr. ad t. 30. quibus addendi ſunt D. Thom. ibi lect. & 12. Met. lect. 3. & lib. 2. contra Gentes cap. 79. & alij multi, quos refert, ac probabiliter ſequitur Cauellus Magiſter meus in ſupplem. de Anima diſp. 1. ſect. 12. vbi ſoluit argumenta contrariæ ſententiæ.

Alij demum, quaſi media incedentes via, neque inuidiæ illum inſimulant cum Platonicis, neque impietatis carpunt, neque vt pium, aut certum de illius perpetuitate laudant cum alijs, ſed in hac re illum fuiſſe dubium aſſeuerant. Sic Scotus cum ſuis in 4. d. 43. q. 2. §. Poteſt dici ſub I. quem poſteà ſequuti ſunt Sueſſanus de Immortalitate Animæ capit. 1. Conimbric. de Anima ſeparata diſp. 1. art. 2. ac alij Recentiores. Verùm quoniam huiuſmodi quæſtio ſupponit duo nimirum Animam eſſe, & immortalem, vel mortalem exiſtere, propterea inueſtigandum eſt priùs quid ſit, & à quo originem duxerit; deinde immortalitate, vel mortalitate vnde donetur, ac demum ſoluemus propoſitam quæſtionem, nempè quid de illa ſenſerit Ariſtoteles.

Quid ſit, & vndè originem duxerit Anima rationalis?

SECTIO I.

Varia fuerunt, tùm Antiquorum; tùm Hæreticorum deliramenta de Animę rationalis natura, & quiditate; quandoquidem aliqui dixerunt eſſe accidens, vt referunt Plutarchus lib. 4. de Placitis Philoſophorum, cap. 3. & Theodoretus in libr. de Diuinis Decretis: alij cenſuerunt ex oppoſito eſſe ſubſtantiam, ſed corpoream, quorum meminere D. Auguſtinus, & D. Iræneus lib. de Hæreſibus: Cæterùm quia huiuſmodi errores, vt philoſophia indigni, ab omnibus cenſentur potiùs deridendi quam confutandi, idcircò illis omiſſis ad ſecundam partem propoſitæ difficultatis calamum, & intellectum dirigimus.

Circa quam pariter varia ſunt Doctorum placita; nam Stoici, Manichæi, atque Priſcillianiſtæ Hæretici, nimium extollentes Animæ rationalis originem, aſſeruerunt, veluti quandam particulam Diuinitatis ortum duxiſſe immediatè à Deo, cum illam inſpirauit, vt ſpiraculum vitæ, prothoparenti Adamo Sic adnotarunt D. Iræneus lib. 1. aduerſus Hæreſes cap. 24. & D. Auguſtinus ibidem cap. 46. Ab hoc errore non longe abfuit Plato in Timæo, dùm illam appellauerit particulam Diuinæ auræ.

Alij verò, quos ſine nomine retulit Timplerus lib. 3. de Homine capit. 1. Probl. 30. euulgarunt, illam à parentibus propagari ex humano ſemine per generationem, atque ideò vt compoſitam ex materia, & forma corruptibili, ab intrinſeco mortalem fecerunt. Huius erroneæ Doctrinæ communiter recenſentur Apollinaris Alexandrinus, ac Tertullianus libro de Anima, & Carne Chriſti aduerſus quos calamũ ſtrinxit D. Auguſt. in Epiſt. 157. Hanc opinionem, licet antiquatam, videtur renouaſſe Antonius Roccus in ſuo tract. de Animæ rationalis origine ex ſemine, eiuſque immortalitate gratuita in exitu à corpore, cõtra quem ſcripſit Antonius Munarenus noſtræ Religionis, de ſacra Theologia benemeritus, in ſuo tract. de Animæ rationalis creatione, ac originaria immortalitate Aſſert. 1. & 2. ac in ſuo Adamantino Clypeo, quo retundit Aduerſatij reſponſa.

Vera tamen, & Catholica ſententia docet, Animam rationalem à Deo immediatè ex nihilo produci, corporique humano debitè organizato infundi, & non ante vt perperam cenſuit Origenes, neque extra corpus, vt alij ſomniarunt. Ita Sancti Patres, ac Doctores Catholici, cùm Theologi, tùm Philoſophi, quos recenſuit Munarenus citatus, & ante ipſum Cauellus ſect. 14. per totam, inter quos adeſt Doctor Subtilis in 4. d. 43. quæſt. 2. §. De ſecun-

cunda propoſitione principali per totam, ac alibi.

Pro cuius clara notitia, fundamento, & aliarum opinionum confutatione, aduertendum eſt cum Formaliſtis, ens finitum, & limitatum diuidi prima ſui diuiſione in ſubſtantiam, & accidens, ſub quibus continentur decem prædicamenta. Ens verò, quod eſt ſubſtantia, partiri in corporeum, & incorporeum, ſeù in materiale, & immateriale. Sub priori genere continentur omnes ſubſtantiæ corporeæ, & materiales, ſiue ſint entia completa, ſiue incompleta, vt ſunt corpus, viuens, animal, ac earum differentiæ, & etiam materia prima, à qua omnia dicuntur materialia, vel quia componuntur ex ea, cuiuſmodi ſunt compoſita, vel quia educuntur, & recipiuntur in ipſa, vt ſunt formæ materiales, & ſenſibiles. Sub poſteriori genere continentur omnia entia immaterialia, ſeù corporis expertia, ſiue ſint completa, vt ſunt Angeli, ſiue incompleta, cuiuſmodi ſunt Animæ rationales. Differunt autem hæc duo genera inter ſe; quandoquidem entia materialia, cum dependeant à materia in fieri, & conſeruari, acquirunt proprium eſſe per generationem, & illud amittunt per corruptionem; ſiquidem materia, vt docet Ariſtoteles 1. Phyſicorum t. 82. eſt ſubiectum primum vnicuique rei generabili, & corruptibili, ex quo aliquid fit cum inſit forma, nempe compoſitum. Entia verò immaterialia, cum ſint independentia à materia, quoad eſſe, & conſeruari, nequeunt acquirere proprium eſſe per generationem, verùm per aliam productionem ex nihilo præſuppoſito, tanquam ſubiecto ex quo, quæ communiter vocatur à Theologis creatio, nequeuntque illud deperdere per corruptionem, oppoſitam generationi, ſed tantum per annihilationem eidem contrariam, & hoc congruum eſt, quia ſicut ex nihilo fiunt, in nihilum pariter redigantur à producente. Ex his infertur, quod cum Angelus, & Anima rationalis ſpectent ad genus entium immaterialium, non poſſint habere ſuum eſſe per generationem, quæ tantum fit in materia, verum duntaxat per creationem, quæ fit ex nihilo.

Secundò Notandum ex Doctore Subtili in 2. d. 17. q. 1. & 18. quæſt. vnic. & in 4. d. 1. q. 1. aliud eſſe formam creari in materia, & aliud ipſam educi de potentia materiæ. Nam formam creari in materia, eſt illam prius eſſe terminum creationis ex nihilo, & poſtea vniri materiæ, tamquam ſubiecto in quo recipiatur, & ſuſtentetur, & ſic Anima rationalis dicitur creari in corpore humano debitè organizato, quia quamuis Deus in eius productione prærequirat corpus organizatum, vt ſubiectum in quo recipi debeat, non tamen illud exigit, vt ſubiectum ex quo illam producat, & educat. Formam verò educi de materia, & ipſam dependere à materia, vt à ſubiecto ex quo, & in quo; ex quo quidem educatur, & habeat eſſe; in quo verò, recipiatur, & ſuſtentetur, & ſic omnes formæ omnium entium materialium per generationem producuntur. Ex quibus infertur, quod ad eductionem per generationem de potentia, ſeù gremio materiæ tres conditiones requiruntur. Prima, quod in ſui productione prærequirat ſubiectum ex quo, quarè productio materiæ nequit dici generatio, cùm non præſupponantur à tribus perſonis Diuinis aliæ materiæ, alioquin daretur proceſſus in infinitum in materijs, & iam producta non eſſet prima materia. Secunda, quod fiat eadem factione, qua compoſitum, qua de cauſa Anima rationalis, nequit educi de potentia corporis organizati, quia non fit eadem factione, qua totus homo; ſiquidem productio Diuina prius habuit pro termino creationis animam, deindè ipſam per infuſionem vniuit corpori organizato, & demùm inſurgit compoſitum hominis. Tertia eſt, quod agens educens formam, prius attingit paſſum id eſt materiam ex qua, quam introducat formam, & propter hoc, Fides, Spes, Charitas, & cætera dona ſupernaturalia non educuntur de potentia animæ, ſiquidem Deus non prius attingit animam, quã illa inducantur in ipſa anima. Ex his ſequitur animam rationalem non educi de potentia ſeminis, tanquam ex materia ex qua per generationem parentum; tùm quia nõ dependet ab eo in fieri, & conſeruari; quandoquidem dum producitur anima à Deo, non eſt amplius ſemen, ſed eius virtus tranſijt in organizationem corporis, ſiue actiuè, ſiue paſſiuè præſtiterit ſuum concurſum in generatione corporis, in quo debet

recipi

recipi anima: tùm etiam quia anima rationalis, cùm ſit forma immaterialis non petit fieri à ſemine, quod eſt materiale.

Tertiò Notandum eſt ex eodem Doctore in 3. diſt. 11. q. 1. §. Cui iſta opinio non placet Creationem tripliciter accipi poſſe. Vno modo pro productione qualibet noua, ſiue ſit ex nihilo, ſiue ex aliquo præſuppoſito ſubiecto, & ſic non diſtinguitur à generatione. Alio modo ſumitur pro productione ex nihilo, ſiuè mediatè, ſiuè immediatè, & ſic quæcumque res extra Deum dicitur creata, quia producta, vel ex nihilo immediatè, vt ſunt Angeli, & Animæ rationales: vel ex nihilo mediatè, & ſic omnes formæ materiales, & earum compoſita dicuntur creata, cum pendeant à materia, quæ habuit eſſe per creationem rigorosè acceptam ex nihilo, creatio etiam hoc pacto accepta ſtat cum generatione. Tertiò modo ſumitur rigorosè pro illa productione, quæ ſolum fit immediatè ex nihilo præſuppoſito, & ſic Angeli, Animæ rationales, ac dona ſupernaturalia tantū dicūtur creari, vt creatio diſtinguitur à generatione.

Ex his fit prima concluſio. Anima rationalis nequit eſſe particula Diuinitatis, aut Diuinæ auræ, vt dixerunt Auctores relati in prima opinione. Eſt communis omnium Chriſtianorum Catholicorum. Probatur tùm ex ſubſtantia Dei, quæ eſt puriſſimus actus, penitùs impartibilis; tùm quia eſt ens omninò independens ab alio, cùm ſit ex ſe neceſſe eſſe; animæ rationalis verò natura pendet ab alio, vel per generationem, vt dicit ſecunda opinio; vel per creationem immediatè à Deo, vt ſuſtinet tertia opinio, ergo nequit eſſe particula Diuinitatis, vel Diuinæ auræ, vt perperam putarunt Stoici, ac Platonici.

Secunda Concluſio. Anima rationalis non accipit eſſe à parentibus per generationem virtute ſeminis. Eſt communis Catholicorum omnium. Probatur primo auctoritate: nam D. Auguſt. lib. de Eccleſiaſticis Dogmatibus cap. 14. inquit, *Animas hominum nequaquam per coitum cum corporibus ſeminari, ſicut Luciferiani, & aliqui latinorum præſumptores affirmāt, quaſi naturam conſequentiam ſeruātes, ſed dicimus corpus tātum per coniugij copulam ſeminari, ac corpore iam formato, animam creari, & infundi*: & Epiſt. ad Optatum 157. *Animas à Deo creari, & nequaquam ex parentibus traduci credere profitemur*. Et Diuus Hieronymus in Commēt. ſuper cap. vltimū Eccleſ. ſubdit: *Satis ridendi ſunt, qui putant animas ex corporibus ſeri, & nō à Deo, ſed à corporum parentibus generari*. Idem fatetur D. Ambr. lib. de Noe, & Arca cap. 4. dicēs: *Ex nullo homine generantur animæ*. Denique D. Chryſoſt. homil. 1. de Incomprehenſibili Dei natura claudit inquiens: *Animæ inſpirantur, corpora effigiantur*: & Hom. 23. in varia loca Matth. *Anima nec generat, nec generatur, nec vllum agnoſcit patrem, præter eum cuius voluntate creata eſt*. Quid clariùs, ac expreſſiùs dici poterat pro veritate concluſionis noſtræ? Secundò probatur ratione: nam terminus generationis, ſiuè formalis, ſiuè totalis cōtineri debet infra genus agētium materialium, ſed anima rationalis non clauditur ſub genere agentium materialium, verum immaterialium duntaxat, ergo Anima rationalis nequit eſſe terminus formalis generationis agentis materialis. Maior probatur, quia terminus generationis debet eſſe ſimilis generanti, ex Ariſtotele lib. 2. de Anima t. 34. vbi inquit: *Naturaliſſimum enim operum, quæ in viuentibus, quæcumque perfecta, & non mutilata ſunt, aut generationem ſpontaneā habent, eſt facere aliud quale ipſum: animal quidem animal, plantam autem plantam, vt ipſo ſemper, & diuino participent, ſecundum quod poſſunt*. Sed anima rationalis, cum ſit penitus immaterialis, non eſt ſimilis generanti humano, ergo nequit eſſe terminus generationis humanæ. Minor patet ex dictis notabili 1. Confirmatur ex D. Auguſt. 12. ſuper Gen. ad litteram, quia omne agens eſt præſtantius paſſo, ſed corpus generantis hominis non eſt præſtantius anima rationali, quæ eſt ſubſtantia ſpiritualis, ergo corpus hominis generantis nequit agere in animam rationalem, ipſam generando. Tertiò probatur à Scoto in ſecunda d. 18. quæſtione vnica ſub F. quia quod non eſt nequit eſſe principium productiuum ſubſtantiæ, ſed ſemen non eſt in inſtanti generationis, ſiquidem eſt corruptum, & genitus eſt ex illo embrio, ergo tunc non eſt principium inductiuum generationis, nec eius termini. Quartò quia imperfectius non eſt cauſa actiua perfectionis, ſed ſemen eſt imperfectius ani-

Digitized by Google

anima rationali, vt patet, ergo non eſt cauſa actiua generationis eiuſdem animæ, ac proinde anima rationalis nequit gigni a parentibus, per propagationem virtute ſeminis.

Tertia Concluſio. Anima rationalis producitur immediatè à Deo per creationem. Eſt communis apud omnes Doctores Catholicos, tùm Theologos, tùm Philoſophos. Probatur primo auctoritate ſanctorum Patrum, quos retulimus in pręcedenti, ſiquidē omnes, confutando aliorum errores, aſſerūt animam rationalem eſſe productam de nihilo à Deo per creationem: Deinde concluſio videtur definita in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. relato in cap. Firmiter de Summa Trinit. & Fide Cathol. ſub his verbis: *Ab initio temporis Deus vtramque de nihilo condidit naturam corporalem, & ſpiritualem: Angelicam, & Humanam: Deinde humanam, quaſi ex ſpiritu, & corpore conſtitutam*, hoc eſt ex corpore, & anima rationali compoſitam, ergo cum anima rationalis, ex diffinitione Concilij, ſit ſubſtantia ſpiritualis, diſtincta à corporali, & ſit de nihilo condita, ſequitur quod fuerit à Deo creata. Conſequentia tenet, quia creatio eſt de nihilo ineſſe reali productio, vt omnes fatentur. Secundò probatur ratione, quia omnis actio productiua termini ſubſtantialis, vel eſt generatio, vel creatio, ſed actio productiua animæ rationalis non eſt generatio, ergo erit creatio. Maior probatur, quia omnis actio productiua termini poſitiui, vel eſt entis de ente, & ſic eſt generatio; vel entis de non ente, hoc eſt de nihilo, & ſic eſt creatio, vt patet ex diffinitionibus vtriuſque: Generatio enim ex Philoſopho 1. de Generat. t. c. 10 & 24. *Eſt mutatio totius in totum, nullo ſenſibili remanente*, hoc eſt, vt explicat Scotus in 4. d. 11. q. 1. A. mutatio totius categorematici in totum categorematicū: Creatio verò eſt productio alicuius de nihilo in eſſe reale, ac proinde hæc eſt entis de non ente, illa verò entis de ente. Minor eſt nota ex præcedenti concluſione: & etiam, quia non eſt eductio formæ de materia, vt notaui ſecundo.

Quarta Concluſio. Animæ rationales non fuerunt creatæ omnes ante corpora, ſed vnaquæque creatur ſimul ad organizationem perfectam corporum. Eſt communis contra Origenem, & Platonem in Timæo putantes omnes animas rationales eſſe creatas ſimul, intrudique corporibus, cùm illa generantur, quaſi in carcere, vt pœnas luant illius ingratitudinis, quod amore terrenorum, noluerint manere in cœleſtibus, vbi fuerunt creatæ. Probatur primo ex definitione Concilij Braccarenſis primi cap. 6. & Leonis X. Epiſt. 91. ad Torribium, à quibus hic error damnatus fuit. Secundò ex ſanctis Patribus Epiphanio in Epiſt. ad Io. Hieroſolymitanum, Hieronymo in Epiſt. ad Pammachium, Cyrillo Alexandrino lib. 1. in Ioan. cap. 9. Damaſceno 2. de Fide cap. 12. & Auguſtino 12. de Ciuit. cap. vltimo qui omnes oppoſitum docuerunt, damnantes huiuſmodi opinionem, nedum erroris, ſed etiam hæreſis. Tertiò probatur ratione, nam ſicut ſe habent formæ materiales ad informare materiam, ex qua educuntur, ita immateriales ad informare corpus, ad quod naturaliter ordinantur, ſed formæ materiales non accipiunt eſſe per eductionem de materia, niſi hæc fuerit recte diſpoſita ad informari ab eis, ergo nec immateriales debent accipere eſſe per creationem, priuſquam corpora fuerint rectè diſpoſita, vt poſſint informari ab eiſdem. Maior patet quia omnes formæ, cùm ſint actus materiæ primæ, vel ſecùndæ ideo producuntur, vel educuntur, vt poſſint exercere ſuos effectus formales, hoc eſt actuare potentiam, & informare materiam: ſiquidem in hoc vniuocantur materiales, & immateriales. Minor ſimiliter, quia alioquin forent otioſæ, & fruſtraneæ, quod non eſt dicendum, quandoquidē Deus, & natura nihil faciunt fruſtra, vt docet Ariſtoteles in hoc 1. libro de Cœlo t. 32. & lib. 2. t. 50. & 59. & 3. de Anima t. 43. ergo nè ſint otioſæ, ac fruſtraneæ, illæ non debent educi per agens naturale antequam materia ſit rectè diſpoſita ad informari ab eis, neque iſtæ a Deo creari priuſquam corpora ſint rectè diſpoſita per organizationem, vt recipiantur in illis. Confirmatur ex Ariſtotele 9. Metaph. t. 13. quia actus in eodem ex poſterior potentia, ſed anima rationalis eſt actus corporis, phyſici, organici potentia vitam habentis ex eodem 2. de Anima t. 6. & 24. ergo anima rationalis debet eſſe poſterius producta, quàm corpus ſit debite organizatum.

Digitized by Google

Obijcitur primo contra primam Concluſionem ex Ariſtotele 1. de Anima t. 66. Intellectus eſt Diuinum quid,& impaſſibile, & antiquiſſimum,ſed intellectus eſt potentia animæ rationalis, ergo anima rationalis eſt Diuina. Deinde 3. de Anima t. 4. ait intellectum eſſe immiſtum, & ſeparatū, & 2. de Animal. deforis venire, ſed huiuſmodi attributa non poſſent ſibi aduenire, ſi intellectus non eſſet particeps diuinitatis, cuius natura eſt abſtracta, & penitùs à materia ſeparata,ac proinde cum aliquo pacto coniungitur homini, dicitur deforis aduenire, ergo ex his concludendum eſt, animam eſſe particulam Diuinitatis.

Reſpondetur negando vltimam conſequentiam, ſiquidem ſecundum Ariſtotelē, anima, cuius intellectiua eſt pars ſubiectiua,eſt actus corporis phyſici,organici. cùm autem corpus organicum non perpetuò exiſtat, quin potiùs generetur, & corrumpatur,dicendum eſt, animam non eſſe perpetuam, & ſempiternam, vt Deus, ſed aliquando incipere eſſe cum corpore organico,ac proinde nec eſſe Deum, nec de natura Diuinitatis. Neque probationes ex eodē deſumptæ aliquid faciunt in contrarium: Vnde ad primam dico ibi loquutum eſſe in ſententia Empedoclis, qui poſuit intellectū eſſe Deum. Vel dicendum,quod intellectus poſſit vocari Diuinus ſimilitudinariè, in operando videlicet,eoquod intelligat independenter à ſenſibus aliqua, vt probat Scotus in 4. d.43. q. 2. §. De prima propoſitione,ſicut facit ipſe Deus omnia. Ad ſecundā dico vocari immiſtum, & ſeparatum à materia in intelligendo,& operando inorganicè,non tamen ſecundum eſſe, quia recipitur in corpore organico,vt forma, & actus eiuſdem. Vel dicendum, quod per illa attributa,voluerit innuere animæ rationalis immortalitatem, & impaſſibilitatem, ex eoquod non educatur de potentia materiæ,ſicut aliæ formæ materiales, ſed producatur immediatè à Deo ſimul cū corpore organico,ac proindè illā deforis aduenire dicit.

Obijcitur ſecundò nam Anima Adæ vocatur à Moyſe ſpiraculum vitæ Dei. Inquit enim Gen.cap. 2. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ,& factus eſt homo in animam viuentem.* Ergo cùm anima Adæ fuerit ſpiraculum vitæ Dei,omnes animæ rationales, quia ſunt eiuſdem naturæ cum illa, erunt de natura Diuinæ.

Reſpondetur negando antecedens; ad cuius probationem dico, animam rationalem inſpiratam à Deo in faciem Adæ,vocari quidem ſpiraculum vitæ,nō quod ſit formaliter vita, ſed effectiuè dans vitam; ſiquidem vt inquit etiam Ariſtoteles 2.de Anima, t. 24. *Anima autem id eſt, quo viuimus, & ſentimus, & mouemur, & intelligimus primò.* Vt inde innuat tres gradus animatum ſcilicet vegetatiuam, ſenſitiuā, & intellectiuam, in qua duo primi gradus virtualiter, continentur in homine; & ideò ſequitur, *& factus eſt homo in animam viuentem*, hoc eſt, dantem vitam vegetatiuam, ſenſitiuam, loco motiuam. & intellectiuam. Hinc apparet, quonam pacto hallucinati fuerint illi, qui putarint, ex illo textu concludi poſſe, animam rationalem eſſe particulam vel Diuinæ auræ, vel Diuinitatis, ac vitæ Dei.

Vel dicendum eſt, animam rationalem poſſe vocari etiam ſpiraculum vitæ Dei, non formaliter, quaſi ſit formalis halitus Dei viuentis, ſed virtualiter, iuxta illud Io. capit. 1. *Quod factum eſt, in ipſo vita erat.* Quandoquidem anima, priuſquam crearetur, & infunderetur corpori Adæ, erat virtualiter in voluntate Dei creantis, quæ eſt ipſius vita forma formaliter. Neque inde ſequitur fore particulam ipſius vitæ Diuinæ, alioquin omnis creatura, cum habeat eſſe à Diuina voluntate,quę eſt virtus Dei, vocari poſſet pars vitæ, ſeù diuinitatis Dei, quod eſſet maximum inconueniens.

Obijcitur tertio contra ſecundam Concluſionem. Nam creatis primis hominibus, benedixit eis dicens: *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram.* Gen. cap. 1. hoc eſt, virtute benedictionis meæ gignite alios homines, à quibus poſſit repleri terra alijs hominibus: Idem præceptum fecit Noe, & filijs eius. Gen. cap.9. *Creſcite, & multiplicamini,& replete terram*, ideſt per generationem multiplicate homines ad implendā terram per diluuium vacuatam, ſed homo conſtat ex anima, & corpore, ergo ſi totus homo ſit generandus, non tantum corpus, verum & anima erit terminus generationis. Deinde corroboratur argumentum ex Ariſtotele 2. de Anima t.34. vbi dicit,naturaliſſimum eſſe omnibus animalibus,haben-

Digitized by Google

tibus longam, & ſerioſam generationẽ generare alia animalia ipſis ſimilia in eadem ſpecie, ergo cum homo ſit animal perfectũ, debet gignere alium hominem ſibi ſimilem in ſpecie humana; at ſimilitudo in ſpecie non attenditur ratione materiæ, ſed formæ, ergo debet gignere aliud hominem, etiam quoad animam rationalem.

Reſpondetur negando vtranque conſequentiam. Neque motiua in eis adducta multum faceſſunt; ſiquidem terminus totalis, & adæquatus generationis nõ eſt forma, nec vnio formæ cum materia, ſed totũ compoſitum cathegorematicè ſumptum, prout importat tertiam entitatem realiter diſtinctam à partibus componentibus, vt docet Scotus in 1. d. 5. q. 1. ſub G. ex Ariſt. 7. Metaph. t. 26. 27. & 32. & 1. Phyſicorum t. 64. inquit: Manifeſtum eſt autem ex dictis, quod omne quod fit, ſemper compoſitum eſt: & 7. Metaph. t. 22. ſubdit. Quod fit per generationem habet naturam, vt plãta, aut animal, atqui nec forma, nec vnio habet naturam: forma enim eſt natura ex 2. Phyſicorum t. 12. & is vnio verò eſt copulatio naturarum, ideſt formæ cum materia; inde ſequitur, quod cum homo generat hominẽ, non habet generare animam rationalẽ, ſed totum compoſitum ex anima, & corpore, ab eis realiter diſtinctum: omne enim quod generatur habet naturam, ideſt materiã, & formam, verùm anima rationalis, cum ſit forma corporis humani, debite organizati, non habet naturam, alioquin foret compoſita ex materia, & forma, igitur non poteſt generari, quamuis homo verè dicatur genitus in eadem ſpecie ab alio homine ratione animæ rationalis; ſiquidem forma dat eſſe ſpecificum vt quo tantum, non verò vt quod; hoc enim habetur à generante, vt innuit Ariſtotel. in 2. de Anima in citato textu, cum inquit: Naturaliſſimum eſt generanti facere aliud; quale ipſum, vt animal animal, planta autem plantam, & ſic communicat ſe, vt permanere poſſit in infinitũ non ipſum, ſed quale ipſum, numero quidem non vnum, ſpecie autem vnum.

Obijcitur quarto contra tertiam concluſionem. Si anima rationalis nõ propagaretur per generationem, ſed crearetur à Deo ex nihilo ſequerentur multa inconuenientia, quę admitti non debent, ergo dicendum eſt potius illam generari, quã creari. Sequela maioris probatur, & primo ſequeretur homines in generationibus ſuis fore deteriores beſtijs, quippeq; gignunt corpora, & animas, homines verò tantum corpora. Secũdo filium Dei nõ aſſumpſiſſe integrã naturam humanam, ex corpore, & anima cõſtãtem, genitã ex Maria Virgine, ac proinde Chriſtum ſecundum carnẽ nõ poſſe vocari filiũ hominis, factũ ex ſemine Abrahæ, & Dauidis. Tertiò peccatum originale non poſſe à parẽtibus trãsfundi in filios, ſiquidẽ illud eſt accidens animę, ſed impoſſibile eſt accidens transfundi ſine ſubiecto, cui inhæret: atqui huiuſmodi incõueniẽtia nequeũt admitti, cũ intolerabilem redoleant falſitatẽ, ergo dicendũ eſt animã nõ creari à Deo, ſed à parẽtibus per generationẽ propagari.

Reſpondetur negãdo ſequelam maioris. Ad probationẽ primam neganda eſt ſequela maioris, ſiquidem nec animæ beſtiarum generantur, nec corpora illarum, ſed tantũ compoſita ex eis, quare in hoc æquiparantur generationes hominum, & iumentorũ. Ad ſecundam pariter negatur illatum, nam humana natura, conſtans ex anima, & corpore debite organizato, fuit terminus totalis & adæquatus generationis Mariæ, & ſic fuit aſſumpta à Verbo Diuino, ratione cuius, Chriſtus rectè vocatur filius hominis, & Abrahæ, & Dauidis ſecundum carnem aſſumptam, & genitam à B. V. Maria. Ad tertiam negatur ſimiliter ſequela maioris, & quamuis peccatum originale ſit accidẽs animæ, tamen non transfunditur à parentibus in filios per generationem animarum eorundem filiorum, ſed quia filij propagãtur tamquam filij, & hæredes Adæ, cui data fuit iuſtitia originalis pro ſe, ac poſteris; vnde ſicut ex amiſſione iuſtitiæ, originalis in Adamo, fuit pariter amiſſa in poſteris per propagationem natis, ſic peccatum originale ſurrexit in parente, & ab eodem fuit deriuatum in filios per generationem naturalem propagatos.

Obijcitur quinto contra quartam cõcluſionẽ. Quandoquidẽ Gen. c. 2. dicitur Deus quieuiſſe die ſeptimo ab vniuerſo opere, quod patrarat, ſed ſi animæ rationales in dies crearẽtur à Deo, & non omnes ſimul, non poſſet dici, illum quieuiſſe ab vniuerſo opere, igitur nè ſcriptura poſſit falſitatis redargui, neceſſe eſt fateri omnes fuiſſe creatas ſimul extra corpora.

Re-

Reſpondetur negando conſequentiam; ſiquidem non dicit ſacer textus, Deum quieuiſſe ſimpliciter ab vniuerſo opere, & ſingillatim ab omni opere creationis, ſed ſolùm ab omni opere, quod patrarat in illis ſex diebus, quorum ſtat, vt poſſit in dies creare animas rationales, illaſque infundere humanis corporibus debite organizatis.

An Anima Rationalis ſit ab intrinſeco perpetua, & immortalis, vel ſolum ab extrinſeco, & ex ſpeciali gratia Dei?

SECTIO II.

CIrca hanc difficultatem, in qua, etſi ſummus deberet eſſe omnium hominum cõſenſus ad extollendam dignitatem, & excellentiam humanæ naturæ ſupra cætera animantia, non deeſt opinionum diſcrepantia; quandoquidem aliqui, vt Epicuræi, Stoici, & Saducæi, tenuerunt animam rationalem eſſe mortalem, ſimulque cum corpore extingui, ſed in fine ſeculi reproduci; ita refert Euſeb. lib. 6. Hiſtor. cap. 27. & Plutarchus lib. 4. de Placitis capit. 7. Hunc intolerabilem errorem, ad hæc vſque tempora delapſum, poſt Lutherum art. 17. inter damnatos à Leone X. ſequuntur multi, viuentes inter Catholicos, adeo vt illos non pudeat etiamnum publicitus de eodẽ, in cætibus nobilium perſonarum, cum magno Simplicium detrimento, diſſerere.

Alij, tenentes quidem immortalitatem animæ rationalis, dehoneſtare videntur naturam ſubſtantiarum ſpiritualium, intantum vt dicant, animam eſſe immortalem per gratiam, non autem per naturam, ſicut natura Angelorum.

Alij verò paruipendentes huius nobiliſſimæ formæ conditionem, auſi ſunt aſſerere, animam eſſe tãtum immortalem in exitu à corpore, cęterum in ſui origine naſci in eodem ex traduce. Ita Roccus in tract. de originaria Animæ rationalis immortalitate in exitu, relatus à Munareno vbi ſupra, & confutatus ab ipſo in Aſſert. ſecunda.

Alij denique, veram ſectantes opinionẽ, aſſerunt Animam rationalem natura ſua, & intrinſecè eſſe perpetuam, & immortalem, nedum in exitu, ſed etiam ab initio ſuæ conditionis. Ita fuit definitum de fide in Concilio Lateran. ſub Leone X. ſeſſ. 8. & in Clementina vn. de Sum. Trinit. §. porro, & ſic aſtruũt communiter S. Patres, quos refert, ac ſequitur Coccius 2. part. lib. 1. art. 2. Iræneus lib. 5. c. 7. aduerſus Hæreſes, & alij multi, tùm Theologi, tùm Philoſophi quorum meminit Suarez lib. 1. de Anima c. 11.

Pro cuius clariori notitia primo Notandum eſt, immortale poſſe dupliciter ſumi; Vno modo pro eo, cui repugnat deſinere eſſe, & ſic ſolus Deus eſt immortalis, ac perpetuus, vt dicit D. Paulus ſcribens ad Thimotæum c. 6. dùm inquit. *Rex Regum, & Dominus Dominantium, qui ſolus habet immortalitatem.* Alio modo ſumitur pro omni eo, quod ſecundum ſuam naturã, non eſt capax deſitionis, niſi Deus deneget conſeruationem, & ſic Angelus, & Anima rationalis dicuntur immortales; quandoquidem cum careant materia, quæ ſecundum Ariſtotelem, eſt principium non eſſendi, ſunt pariter incapaces deſitionis, ac proinde perpetui, ac ſempiterni enunciantur, & de hac immortalitate tantum eſt ſermo in propoſito.

Secundò Notandum eſt ex Doct. Subtili in 2. d. 19. q. vn. A, & D. Bonauentura ibid. art. 3. q. 1. hoc nomen immortale includere in ſe negationem moriendi, quæ tamen poteſt negare potentiam, & actum ſimul, vel actum tantum. Si priori modo attendatur immortale, idem eſt, ac non potens mori: ſi poſteriori modo ſpectetur, immortale ſignificat potens non mori. Exemplum ſit de Adamo in ſtatu innocentiæ, qui erat immortalis ſecundo modo ſumpta immortalitate, non verò primo: nam cum eſſet compoſitus ex materia, & forma, erat in potentia ad mori, non autem ad actum mortis, quia illa potentia, ſtante conditione illius ſtatus, nunquam fuiſſet ad actum reducta. Ad propoſitum cùm Catholici aſſerant animam rationalem eſſe immortalem, intelligunt de immortalitate, prout negat actum, & potentiam ad mori, Roccus verò cum alijs relatis in tertia opinione habent intelligi de immortalitate, quatenus negat ſolùm actum moriendi, & relinquit potentiam, ſaltem ad mori remotam.

Tertiò Notandum eſt, aliud eſt eſſe æternum, ac ſempiternum, & perpetuum. Nam

illud eſt æternum, quod ita exiſtit à ſe, vt repugnet ſibi non exiſtere, cum negatione deſitionis, ſucceſſionis, & dependentiæ ab alio, & ſic ſolus Deus, & ea quæ ſunt formaliter in ipſo, poſſunt dici æterna; cætera verò quæ ſunt alia à Deo poſſunt quidem dici quodammodò æterna extrinſece, ac dependenter ab ipſo, quandoquidem cum fieri, & produci poſſunt ab æterno, vt probabiliter ſuſtinuimus de Mundo lib. 8. Phyſicorum diſp. 1. q. 2. conſequenter menſurari poſſunt æternitate communicata, & ſibi participata à Deo. Perpetuum, verò ac ſempiternum eſt illud, quod fit in tempore, caretque deſitione temporali ſibi intrinſeca, non autem extrinſeca, & ſic Angeli, ac Animæ rationales dicuntur frui perpetuitate, ac ſempiternitate intrinſecè; ſiquidem ſunt creaturæ ſpirituales, carentes materia, quæ ſecundum Ariſtotelem 9. Metaphyſicorum t. 17. eſt potentia contradictionis, qua res poteſt eſſe, & non eſſe: at extrinſecè huiuſmodi ſubſtantiæ poſſunt deficere per annihilationem, cùm habuerint eſſe per creationem, ſicque non ſunt perpetuæ, ac ſempiternæ.

Ex his ſit prima Concluſio. Anima rationalis nequit eſſe mortalis, aut extingui cum corpore. Eſt de fide definitum in ſacris Scripturis, & Concilijs. Probatur, quia Sapient. cap 3. dicitur: *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis*: Item Matthæi cap. 10. inquit Chriſtus: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere*. Item Concilium Lateranenſe ſub Leone X. innixum huic Scripturæ ait: *Sacro approbante Concilio damnamus, & reprobamus omnes aſſerentes, animam intellectiuam mortalem eſſe, quod manifeſte conſtat ex Euangelio, cùm Dominus ait: Animam autem occidere non poſſunt: Cùm illa ſcilicet anima, non ſolum vere, & per ſe, & eſſentialiter humani corporis forma exiſtat, ſicut in canone Clementis Papæ V. in generali Concilio Viennenſi edito continetur: verùm, & immortalis*. Ergo ſecundum Scripturas, & Concilia Anima rationalis nequit eſſe mortalis, neque extingui ſimul cum corpore. Hæc veritas potiſſimum elucet in varijs apparitionibus animarum poſt extincta corpora, vt patet de animabus Samuelis 1. Regum capit. 28. & Oniæ, ac Ieremiæ 2. Machab. cap. vlt. ac demùm Chriſti Domini, de qua inquit D. Petrus in ſua 1. Epiſt. cap. 3. *Et his, qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicauit*. Deinde ſuadetur ratione, quia eſſe mortale præſupponit in deficiente materiam, quæ eſt principium paſſiuum corruptionis, vt probat Ariſtoteles 1. Phyſicorum t. 81. & 82. ergo cum anima intellectiua careat materia, conſequenter carere debet corruptione, & morte, imò & corruptibilitate, & mortalitate.

Secunda: Anima intellectiua, ſiue rationalis eſt immortalis, & perpetua, non ſolùm ab extrinſeco, & in exitu, Deo nimirum illam conſeruante, ſed etiam ab intrinſeco, ac ex propria natura. Eſt de fide definita in Concilio Lateranenſi ſub Leone Papa X. ſeſſ. 8. vbi damnantur omnes aſſerentes oppoſitum. Deinde oſtenditur huiuſmodi veritas ex ſanctis Patribus; nam D. Auguſtinus lib. de Animæ immortalitate cap. 4. inquit: *Manifeſtum eſt immortalem eſſe animam humanam*. D. Gregorius Neocæſarienſis lib. de Anima ait: *Cùm anima corpore careat, ſimplex eſt: conſequens autem mihi videtur, vt quod ſimplex eſt, ſit immortale*. Et D. Chryſoſt. orat. 4. de Prouidentia appellat inſanos, qui animam negāt eſſe immortalem; *perinde enim faciunt, ac ſe in die diem eſſe negent*. Secundò probatur à Scoto In 4. d. 43. q. 2. & ab alijs Doctoribus multipliciter, quorum rationes hic conſultò omittuntur; tùm quia videri poſſunt apud illos, in ſuis quibuſcunque locis; tùm quia in materia tam obuia, ac omnibus Catholicis manifeſta, nos pudet ſuaſiones concinare, cum ſufficere debuerit definitio Concilij, tot Sanctorum Patrum, ac Scripturarum teſtimonijs roborata, ac vallata præſidijs. Et quia dicere poſſet quiſpiam, hæc omnia procedere de Animæ immortalitate ab extrinſeco, & ex Dei gratia, & non ex natura eiuſdem animę, ideò rationibus oſtenditur eius immortalitas naturalis intrinſeca: quandoquidem Animæ rationalis natura eſt ſpiritualis, vt ſpiritus contradiſtinguitur à corpore, vt patet ex diuiſione ſubſtantiæ in corpoream, ſub qua continentur entia ſubſtantialia, materialia, & incorporea, ſub qua conſtituuntur ſubſtantiæ immateriales, & ſpirituales, cuiuſmodi ſunt Angeli,

geli,

geli, ac Animæ rationales, extatque diffinitum in Concilio Lateran. ſub Innocentio III. atqui ſubſtantiæ ſpiritualis natura eſt incapax mortalitatis, ergo anima rationalis ab intrinſeco erit capax immortalitatis oppoſitæ. Minor probatur, quia ſubſtantiæ ſpirituales carent materia, quæ ſola, ſecundum Ariſtotelem 1. Phyſicorum t.81. & 82. 1. de Cœlo t. 20. & t. 136. & 7. Metaph. t.22. 8. Metaph. t.4. & 9. Metaph. t.17. eſt principiũ corruptibilitatis, ac mortalitatis, ergo ſi ſubſtantia ſpiritualis caret materia, ſequitur, quod ſit incapax deſitionis, ac mortalitatis. Antecedens, patet ex ſupradictis in præcedentibus Notabilibus, vbi vidimus, materiam ſpectare ad genus ſubſtantiæ corporeæ, quæ eſt omninò diſparata ab incorporea, ſub qua collocantur ſubſtantiæ ſpirituales, ergo ſubſtantiæ incorporeæ, & ſpirituales carent materia, ac proinde mortalitate. Deinde ſuadetur ex conſenſu Antiquorum Philoſophorum, Ethnicorum, nempè Pithagoræ, Platonis, Ciceronis, & aliorum, quorum meminit Plutarchus de Placitis Philoſophorum, quandoquidem iſti cum tenuerint immortalitatem Animæ intellectiuæ, inferendum eſt, illos fuiſſe motos ad huiuſmodi aſſertionem ſuſtinendam à ratione naturali, ſiquidem caruerunt lumine fidei noſtræ: vnde concludit Plutarchus de Sera Numinis Vindicta, Prouidentiam Dei, & Animæ immortalitatem adeò cohærere, vt alterum ex altero neceſſariò conſequatur. Inquit enim: *Cur creatur Mundus, niſi adſit qui eum contempletur? Et cur in Mundo Creatorem contemplemur, niſi vt colamus? Et ſui bono colamus, niſi ſperemus? Et cur tot, tantiſque nos dotibus ornarit, quæ vt plurimum in hac vita torquent nos, & cruciant, ſi non ſecus, ac ſtirpibus, & beſtijs, quæ Deum non ſentiunt, nobis eſt pereundum?* Prouidentia Dei igitur hoc factum eſſe conſpicimus, vt qui tot muneribus exornarit homines in hac vita, noluerit eos perire, ſicut beſtiæ, verùm illos ad immortalitatem vitæ melioris deſtinare, per animæ perpetuitatem, & immortalitatem, ſibi intrinſecam. His non obſtantibus noſtri Aduerſarij in ſuis erroribus manere pertinaciter volentes objiciunt multa contra concluſiones, quamuis Catholicas, & Orthodoxas.

Objicitur primo contra primam Concluſionem, illud Eccleſiaſtæ capit. 3. *Vnus eſt interritus hominum, & iumentorum, & æqua vtriuſque conditio, ſicut moritur homo, & illa moriuntur*. Et capit. 9. v. 10. ſubdit. *Nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quò tu properas*. Sed hæc dici non poſſent, niſi anima eſſet mortalis, & extingueretur vnà cum corpore, ſicut animæ iumentorum, ſiquidem remaneret poſt hanc vitam in homine, & ratio, & ſapientia, ac ſcientia, quæ reſident in anima intellectiua, ſeù rationali.

Reſpondetur cum D. Doctore Subtili in 4. d.43. q.1. ad primum argumentum ſub G, & D. Thoma 1. p. q. 75. art. 6. ad primum illa verba fuiſſe prolata à Salomone concionando pro ſtultis, & impijs, quod ex eo liquet, quia in cap. vltimo loquendo in perſona Sapientum ſubdit: *Ibit homo in domum æternitatis ſuæ: & finem loquendi omnes pariter audiamus, Deum time & mandata eius obſerua, hoc eſt omnis homo*. Vel dicendum, veram eſſe auctoritatem loquendo de homine cathegorematice ſumpto, vt dicit tertiam entitatem diſtinctam à partibus realiter, quia ſicut in interitu iumentorum illa deperditur, & corrumpitur, ſic in ſeparatione animæ à corpore humano, deſinit eſſe homo, falſam tamen ſi ſit ſermo de homine ſincategorematice accepto, quia ſic diuerſa eſt conditio eius in morte, ab interritu iumentorum, quia in his extinguitur ſimul cum corpore etiam anima, cum ſit materialis, in homine verò ſeparata manet, cum ſit ſpiritualis, & carens materia.

Ad ſecundam auctoritatem, eodem modo dicendum ibi Salomonem fuiſſe locutum in perſona impiorum, & ſtultorum: Vel addendum, poſt mortem, homines in inferno non habere ſapientiam, nec ſcientiam, nec cognitionem eorum, quæ fiunt in hoc Mundo, niſi ſpecialiter fuerit à Deo ſibi reuelatum, vt dicit Scotus in 4. d. 45. q.4. ſub H. loquendo de Abrahamo exiſtente in Limbo Patrum, quod neſciebat filios ſuos Iudæos habitantes in terra Iſrael, nec notitia intuitiua ob nimiam diſtantiam, nec notitia reuelationis, quia pro illo tempore non erat beatus.

Objicitur ſecundo contra ſecundã Concluſionem. Sententia Sophronij relata in

Digitized by Google

Generali Synodo 6. approbata à Cornelio Papa, & à Concilio, in qua dicitur, quod intellectualia, & ſpiritualia, vt ſunt Angeli, ac Animæ rationales, non ſunt per naturam, ſed per gratiam Dei immortales, ergo anima rationalis eſt tantum immortalis ab extrinſeco, & non ab intrinſeco.

Reſpondetur negando conſequentiam; nam Concilium, & Sophronius intelligendi ſunt de gratia large ſumpta, vt ſe extendit ad gratiam creationis, & conſeruationis; ſiquidem hoc pacto vocari poſſunt Angeli, & Animæ ex gratia immortales, quippe qui cum ſint entia finita, & limitata, & poſſent deſinere per annihilationem per negationem concurſus, facit eis gratiam dum illos cōſeruat in perpetuum, cum hoc tamen ſtat, vt natura immortales creati ſint, vt potè carentes materia, quæ eſt principium corruptibilitatis, ac mortalitatis.

Obijcitur tertiò. Si anima rationalis poſſet eſſe intrinſece immortalis, poſſet manere ſeparata, & exercere operationes, quas poterat iuncta corpori, ſed hoc non eſt dicendum, ergo nec dici poteſt, quod ſit immortalis ab intrinſeco. Sequela maioris patet, quia non deberet manere otioſa. Minor probatur, nam ſi anima quicquam agere poſſet ſeparata, maximè intelligere, & velle, ſed hoc non poſſet, quia intelligendo, & volendo dependet à phantaſmatibus, & ſenſibus, quibus careret, ſeparata, ergo vt ſic non poſſet exercere huiuſmodi operationes.

Reſpondetur negando Minorem. Ad probationem dico cum Scotò in 4. d. 43. quæſt. 2. Propoſ. 1. animam intellectiuam, etiam coniunctam corpori, poſſe habere intelligere, & velle inorganice, & habere multas operationes independenter à phantaſmatibus, & ſenſibus: ſiquidem poteſt intelligere actu vniuerſalia, quæ abſtrahunt à rebus ſenſibilibus, relationes reales fundatas ſuper eis, relationes rationis, vt ſunt ſecundæ intentiones, & entia rationis ficta: inſuper poteſt actu reflexo intelligere actus ſuos, & velle ſe velle, quæ omnia ſunt ſuper cognitiones ſenſitiuas omnium organorum ſenſuum, igitur hæc pariter poſſet exercere ſeparata, vt probat idem Doctor Subtilis in eodem lib. 4. d. 45. quæſt. 1. & 2. per totas, ac proinde non maneret otioſa.

Obijcitur quartò. Si anima rationalis eſſet immortalis ab intrinſeco, hoc maximè foret, quia eſt natura ſpiritualis, & immaterialis, ſed huiuſmodi ratio non iuuat, ergo &c. Sequela maioris patet, cum ſit fundamentum immortalitatis, & noſtræ concluſionis. Minor probatur, quia materia prima ſpectans ad genus entium materialium eſt immortalis ab intrinſeco, cum ſit ingenerabilis, & incorruptibilis formaliter ex Ariſtotele primo Phyſicorum t. 82. ſimiliter habitus infuſi ſunt ſpirituales, & tamen corrumpuntur, ergo ratio ſpiritualitatis non poteſt adæquate inferre immortalitatem in quocunque, nec conſequenter in anima rationali.

Reſpondetur ex Doctore Subtili pluribus in locis ſuæ Doctrinæ, negando minorem, ad cuius probationem primam de materia, dico illam eſſe ſpiritualem formaliter, cum habeat eſſe per creationem, & ob id dici immortalem; quia ſolùm deſinere poteſt per annihilationem, ſicut Angeli, & Animæ rationales, nec iuuat, quod ponatur in genere, ſeù ſerie entium materialium, quia hoc eſt ſolum peraccidens, quatenus nimirum eſt ſubiectum generabilium, & corruptibilium, & eſt ſolum principium paſſiuum mortalitatis, & corruptionis; modò quod eſt alicui peraccidens non poteſt officere ei, quod ſibi per ſe. Ad aliam probationem de habitibus infuſis dico cum eodem Scoto, illos non deſinere per corruptionem, ſicut accidentia materialia, quæ ſaltem per accidens corrumpitur ad corruptionem ſubiectorum, ſed per annihilationem duntaxat, vt alias dictum fuit, atque adeò dicuntur immortales, quia ſpirituales, quatenus immortalitas opponitur annihilationi, non autem corruptioni. Concludendum eſt igitur Animam rationalem eſſe immortalem ab intrinſeco, quia eſt forma ſimplex phyſicè, immaterialis, & ſpiritualis.

An

An Anima Rationalis ſit natura ſua immortalis, etiam de mente Ariſtotelis?

SECTIO III.

Varia iudicia de mente Ariſtotelis, circa animæ rationalis immortalitatem, retulimus initio huius quæſtionis quintæ, quid autem ſit dicendum ſecundum probabiliorem ſententiam in præſenti ſectione examinare intendimus, in qua pariter reſpondebimus titulo propoſitæ difficultatis; an nimirum eſſe genitum, vel productum in creatis inferat de neceſſitate eſſe corruptibile, ac mortale, vel an poſſit dari de mente Ariſtotelis aliquod incorruptibile & immortale, quod tamen fuerit genitum, vel productum.

Pro cuius declaratione, ac reſponſione notandum eſt primo ex Doctore Subtili in 1 d. 5. quæſt. 2. E, generationem in creaturis duo importare adinuicem ſeparabilia, nempè productionem, & mutationem. Generatio productio formaliter habet pro termino compoſitum ex Ariſtotele 7. Metaphyſicorum t. 26. & accidit ſibi, quod fiat mutatione alicuius partis compoſiti. Generatio verò mutatio habet quidem pro termino formam, & compoſitum, ſed præſupponit tranſitum de priuatione ad formam per actum mutabilis, ideſt materiæ, quæ tranſmutatur ab agente generante de vna forma ad aliam. Differt autem hæc ab illa ob imperfectionem producentis, quia enim potentia productiua nequit dare totale eſſe termino productionis immediatè, ideo generans cogitur, prius diſponere materiam ad formam intentam recipiendam, & poſteà illam tranſmutat de forma, quam habet ad formam, quam non habet, & ſic producit compoſitum: verùm ſi generans creatum eſſet perfectum, & nõ exigeret materiam de qua educeret, aut in quam induceret formam, ſed poſſet producere effectum de ſe, & ex ſe, tunc eſſet productio ſine mutatione; ex quo patet in propoſito noſtro, quod ſi de mente Ariſtotelis, anima rationalis acciperet eſſe poſt non eſſe per ſolam generationem productionem, abſque mutatione concomitante, qua tranſmutaretur per corruptionem alterius formæ præcedentis, paſſiuum, & corrumperetur compoſitum ex illa genitum, non eſſet inconueniens aſſerere, etiam ſecundum ipſum, poſſe manere ſaparatam, & non deſinere eſſe; ſiquidem tota ratio deſitionis formæ eſt acquiſitio eiuſdem in cõpoſito per generationem mutationem, quę ſimul inuoluit cum illius inceptione acquiſitionem formæ, & non extra ipſum.

Secundò Notandum ex eodem Doctore Subtili in 4. d. 43 q. 2. ſub M. latam eſſe differentiam inter formas, quæ producuntur ab agente naturali, & immediatè à Deo; quandoquidem forma, quę accipit eſſe ab agente naturali, cum fiat dependẽter à materia, per mutationem eiuſdem, non poteſt non eſſe corruptibilis ad corruptionẽ cõpoſiti à quo habet eſſe, & conſeruari: cæterũ forma, quæ accipit eſſe immediate à Deo, illam producẽte ex ſe, abſque mutatione illamet comitante, non neceſſariò deſinit eſſe, ſed veluti corruptionis expers, poteſt manere, etiam poſt deſtructionem compoſiti: Ex his infertur, quod cùm anima intellectualis, ſecundum Ariſtotelem 12. Metaph. t. 17. ſit incorruptibilis, illam fuiſſe immediatè productam à Deo, & conſequenter poſt mortẽ hominis, poſſe manere immortalem, neque aliter poſſe deſinere eſſe, quam per non conſeruationem ipſius Dei, à quo ſolo accepit eſſe per generationem productionem, abſque vlla mutatione in materia.

Tertiò Notandum eſt pro reſponſione ad argumenta contraria, quæ deſumi poſſunt ex diuerſis Ariſtotelis locis, generabile, & corruptibile ſe comitari, ſicut incipere, & deſinere eſſe, vel ab æterno, vel in tempore, poſſe dupliciter intelligi, vno modo abſolutè, loquendo de quauis generatione, & corruptione, ſiue de qualibet incæptione, ac deſitione; alio modo attendendo generationem, & corruptionem per motum, & mutationem, & ſic incæptionem, ac deſitionem virtute agentis naturalis, & in tempore. Si poſteriori modo attendantur vera ſunt axiomata Ariſtotelis; tùm quia generatio vnius eſt corruptio alterius, & econuersò; tum etiam quia incæptio per generationem, & corruptio, ſeu deſitio per corruptionem, fiunt dependenter à materia, quæ eſt principium, qua res poteſt eſſe, & non eſſe ex eodem primo Phyſicorum t. 81. & 82. & ſeptimo

Me-

Metaphyſicorum t. 22. & 9. Metaphyſicorum t.17. Verùm ſi ptiori ſpectentur modo non ſunt ſemper vera, vt patet de anima intellectiua, quæ ſecundum ipſum libr. 12. Metaphyſicorum t.16. & 17. incipit eſſe cum compoſito, & poſt ipſum permanet: inquit enim. *Cauſa itaque mouentes, tanquam antea orta, exiſtant; quæ verò vt ratio, ſimul ſunt: cùm enim ſanus ſit homo, tunc etiam ſanitas eſt, & forma ænea ſphæra ſimul atque ænea ſphæra. Si autem aliquid poſterius permanet conſiderandum eſt: in quibuſdam enim nihil prohibet: veluti ſi ánima tale ſic, non omnis, ſed intellectus; omnem namque fortaſſis eſt impoſſibile.* Et ſecundo de Anima t.21. expreſſius manifeſtat ſuam intentionem, dum ait: *De intellectu autem, & ſpeculatiua potentia nihil adhuc manifeſtum eſt: ſed videtur genus aliud animæ eſſe, & hoc ſolùm poſſe ſeparari ſicut perpetuum à corruptibili. Reliquæ autem partes animæ,* hoc eſt vegetatiua, & ſenſitiua, *manifeſtum ex his, quod ſeparabiles non ſunt, ſicut quidam dicunt, ratione autem, quod alia, manifeſtum eſt.* En quomodo ponit differentiam inter animam intellectiuam ex vna, & ſenſitiuam, ac vegetatiuam ex alia, quod illa ſit ſeparabilis à compoſito, iſtæ verò nequaquam. Ex quibus infertur poſſe animam intellectiuam incipere eſſe cum corpore organico, & non deſinere, ſed permanere incorruptam, poſt deſitionem illius.

Ex his igitur ſit prima Concluſio. Ariſtoteles agnouit, & tenuit animæ intellectiuæ immortalitatem. Eſt probabilis etiam Doctori Subtili, poſt D. Thomam, & alios citatos pro ſecunda ſententia in 4. d. 43. q. 2. §. de ſecunda propoſitione &c. Suadetur ex ipſo Ariſtotele; tùm quia 1. de Anima t.65. & 66. loquens de anima intellectiua, inquit. *Intellectus autem videtur innaſci ſubſtantia quædam exiſtens, & non corrumpi:* quod probat quia ſe corrumperetur, *maximè ab ea, quæ eſt in ſenio, debilitate, quemadmodum in ſenſorijs accidit;* ſed hoc eſt falſum, *ſi enim acciperet ſenex oculum iuuenis, vtique videret ſicut iuuenis, quapropter ſenium non eſt, quia ſuſtinuit aliquid anima, ſed id in quo.* Hoc eſt ſenſorium debilitatur, non verò anima: Deinde ſubdit: *Intellectus fortaſſis autem diuinum quid, & impaſſibile eſt.* Ergo ſi anima intellectiua, ex ipſo, eſt quid diuinum impaſſibile, & incorruptibile, erit pariter quid immortale, ac perpetuum. Secundò ſuadetur, quia 2. de Anima t. 11. & 22. ponens differentiam inter animam intellectiuam, & ſenſitiuam, ac vegetatiuam, dicit has eſſe inſeparabiles à partibus corporis, illam verò ſeparabilem; inquit enim t.11. *Quod igitur non ſit anima ſeparabilis à corpore, aut partes quædam ipſius, ſi partibilis nata eſt, non immanifeſtum eſt.* At verò quaſdam, ſupple intellectiuam, & volitiuam, *nihil prohibet,* ſupple ſeparari; *propterea quod nullius corporis ſunt actus,* hoc eſt organici. Et in t. 21. ſubdit: *De intellectu autem, & ſpeculatiua potentia; nihil adhuc manifeſtum eſt, ſed videtur aliud genus animæ eſſe,* vt dicit in tertio de Anima, *& hoc ſolùm poſſe ſeparari, ſicut perpetuum à corruptibili.* Ergo ſi anima intellectiua eſt ſeparabilis à corpore, ſicut perpetuum à corruptibili, ſequitur ſecundum Ariſtotelem; illam eſſe immortalem. Tertiò ſuadetur ex 12. Metaphycorum t.16. & 17. vbi ponens diſcrimen inter formas ſeparabiles à corpore poſt deſtructionem totius compoſiti, inquit: *Cauſa itaque mouentes, tanquam antea orta, exiſtunt: quæ verò vt ratio, ſimul ſunt; cùm enim ſanus ſit homo, tunc etiam ſanitas eſt, & forma ænea ſphæra ſimul atque ænea ſphæra. Si autem aliquid poſterius permanet, conſiderandum eſt: in quibuſdam enim nihil prohibet, veluti ſi anima tale ſit, non omnis, ſed intellectus: omnem nanque fortaſsis impoſsibile eſt.* Ergo cum anima intellectiua permaneat ſeparata à corpore, non verò aliæ animæ, vel formæ, ſequitur ex eodem, hanc eſſe incorruptibilem, & immortalem, non illas. Quartò ſuadetur, nam ex Ariſtotele libr. 1. de Partibus Animal. cap. 1. & lib. 2. de Gener. Animal. cap. 3. dicitur: *Reſtat igitur, vt mens ſola extrinſecus accedat; eaque ſola Diuina ſit; nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis,* ſed nomine mentis intelligit animam intellectiuam, ſiue intellectum, vt ſe declarat lib. 1. de Partib. Animalium cap. 1. ergo cum non accipiat eſſe per generationem, ſed à cauſa extrinſeca, ſequitur non poſſe accipere non eſſe per corruptionem, ac proinde eſſe perpetuam, & immortalem. Quintò ſuadetur, nam apud ipſum

adeſt

adeſt hoc principium, quod naturale deſiderium non eſt fruſtra, atqui in anima intellectiua eſt naturale deſiderium ad ſemper eſſe ex eodem ſecundo de Generat. & Corrupt. t. 59. & ſecundo de Anima t. 33. ergo cùm tale deſiderium non ſit fruſtra, ſequitur illam fore perpetuam, & immortalem. Sextò ſuadetur, in quo non eſt potentia non eſſendi, tale debet eſſe perpetuum, & immortale, ſed in anima non eſt potentia non eſſendi ergo anima debet eſſe perpetua, & immortalis. Maior patet. Minor probatur, quia materia eſt qua res poteſt eſſe, & non eſſe ex Ariſtotele 7. Metaphyſicorum t.22. ſed in anima non eſt materia ſecundum eum,ergo in ea non eſt potentia non eſſendi, & ſic eſt ſimplex, perpetua, & immortalis ſecundum mentem Ariſtotelis, quicquid dicant Platonici, & alij Doctores relati in prima ſententia.

Secunda Concluſio. Probabile etiam eſt, Ariſtotelem non agnouiſſe diſtinctè animæ rationalis immortalitatem, vt cenſuerunt Doctores relati in ſecunda ſententia, ſed fuiſſe dubium de alterutra parte contraditionis, allegando modò pro illa,& interdùm pro oppoſita mortalitate, prout opportunitas, de qua tractabat materia, exigebat. Eſt Doctoris Subtilis in 4. d.43. q.2. § Poteſt dici ſub I, & aliorum, quos citauimus ſupra pro tertia ſententia. Probatur ſic, nam ille Doctor videtur dubius in aſſertione alicuius concluſionis, qui tradit doctrinam, & principia, ex quibus poteſt deduci oppoſitum contradictorium illius, ſed ſic ſe geſſit Ariſtoteles in aſſerenda Animæ rationalis immortalitate, ergo in tali aſſertione fuit dubius. Maior patet, quia niſi fuiſſet dubius de illius veritate, aut non tradidiſſet oppoſitum, aut ſi illud dediſset non reliquiſſet ſub dubio, & inſolutum. Minor probatur multipliciter,tùm quia arguens contra Platonem aſſerentem Mundum incæpiſſe cum tempore, & nihilominus fore ſempiternum, poſuit hoc primum principium, omne quod incæpit, quandoque deſinere cogitur, ſed anima rationalis ſecundum eundem Philoſophum habuit initium ſimul cum corpore humano, ergo quandoque deſinere debet, ac proindè non erit perpetua, & immortalis: tum ſecundo quia actus, & potentiæ circa idem ſibi mutuò ſuccedunt, potiſſimum ſi potentiæ ſint ad eſse, & non eſse, ſed anima rationalis antequam eſset producta exiſtebat ſub non eſse, & in potentia ad eſſe, ergo cum ſit producta, ceſſetque potentia ad eſſe, ſurgit potentia ad non eſſe, & ſic ad poſſe deſinere, & corrumpi: tùm tertio quia anima rationalis, aut ſua natura eſt ens neceſſarium, aut contingens, ſi ens neceſſarium, igitur ex vtraque parte æternum, ſiquidem Ariſtoteles habet hoc principium; quod omne neceſſarium exigens tempus æternum,illud exigat ex vtraque parte, quod eſt falſum, quia tunc anima rationalis eſſet æterna à parte ante, & improducta in tempore: ſi contingens, ergo quandoq; poterit non permanere iuxtà aliud principium: omne contingens habet maximum tempus ſuæ permanentiæ, & ſic aliquando ceſſabit permanere: tum quarto ex alio principio ſic arguitur:aut anima rationalis eſt ſemper ens, aut ſemper non ens; aut quandoque ens, & quandoque non ens: non poteſt dici ſemper ens, nec ſemper non ens, quia pro omni differentia temporis deberet eſse talis, & ſic æterna, aut in eſſe, aut in non eſſe, quod vtrumque ſibi repugnat; ergo ſequitur altera conditionalis, quod vel quandoque ens, aut quandoque non ens exiſtat, & ſic non perpetua: tum quinto quia omne poſſibile ab intrinſeco, & ab extrinſeco eſt corruptibile, & eſt corruptibile ſecundum ipſum, ſed anima rationalis eſt poſſibilis vtroque modo, quia receptibilis in corpore organico humano, ergo eſt corruptibilis, & ſic non perpetua: tum ſexto quia omnis natura,aut eſt neceſſaria, aut contingens, aut impoſſibilis, ſed anima rationalis eſt natura, & non eſt neceſſaria, neque impoſſibilis, vt probatum eſt in duabus præcedentibus rationibus, ergo contingens, & ſic non perpetua. Multæ aliæ rationes, ex principijs Philoſophi, poſſent adduci ad probandam illam minorem, ſed iam allatæ ſufficiant. Concludendum eſt igitur Ariſtotelem non agnouiſſe diſtinctè mortalitatem, aut immortalitatem animæ rationalis, ſed alterutram ſub dubio reliquiſſe.

Tertia Concluſio. Vtrumque problema ſuſtineri poteſt in doctrina Ariſtotelis. Colligitur ex Doctore Subtili loco citato, vbi ſoluendo argumenta, quæ videntur oſtendere animæ intellectiuæ immortalitatem, tri-

Digitized by Google

tribuit motiua ſoluendi pariter rationes, quæ auferre videntur illius perpetuitatem ex principijs Ariſtotelis. Concluſio probari nequit euidentius, quam ſoluere argumenta pro vtraque parte. Quare ſuſtinendo animę rationalis perpetuitatem de mente eiuſdem Ariſtotelis, oſtendendum eſt, rationes allatas pro ſecunda concluſione, non potuiſſe eneruare fundamenta, quibus innitur prima concluſio.

Ad primam igitur dico, ex doctrina eiuſdem allata in 3. Not. maiorem eſſe veram de inceptione per generationem mutationem, factam ab agente naturali, falſam de incæptione per generationem productionem, pendentem immediatè à Deo: ſiquidem per priorem accipiunt eſſe tantùm compoſita ex materia, & forma, ac proindè ſubiecta defitioni per corruptionem: per poſteriorem verò capiunt eſſe duntaxat ſimplicia, vt materia prima, & anima rationalis, quæ non educuntur de materia ex qua, verùm duntaxat præſupponunt materiam in qua recipiantur, & hanc generationem appropriatam ſimplicibus nouit etiam Ariſtoteles, qua de cauſa interdùm vocat illam *acceſſum*, vt in lib. 2. de Gener. Animal. cap. 1. cum inquit mentem ab extrinſeco accedere, ſupple ad materiam in qua: interdùm illam nominat *iuſſum Dei*, cum ait in lib. de Propriet. Elementorum, ſpiritum vitæ venire iuſſu Dei, & interdùm illam, *dependentiam* vocat, ſicut facit libr. 12. Metaphyſicorum t. 38. dùm ait, Deum eſſe animal ſempiternum, à quo principio, tùm Cœlum, tùm natura dependet ideſt materia, & anima, quæ ab eodem dicuntur naturæ. Modò cùm anima rationalis ſit natura ſimplex, quamuis incipiat per generationem productionem imediatè à Deo, in cuius virtute ſolùm continetur, non ſequitur, illam deſinere debere, cum careat materia, quæ eſt cauſa, & principium deſitionis per corruptionem.

Ad ſecundam dico fieri ęquiuocationem de potentia obiectiua, & ſubiectiua materiæ; vnde cum dicitur in maiori, actus, & potentia ſibi mutuò ſuccedunt, vera eſt illa propoſitio, de potentia obiectiua, & actu entitatiuo ſibi oppoſito, ſiquidem potentiæ ſuccedit actus, & non econuersò: Quando verò ſubdit, potiſſimum ſi potentiæ ſint ad eſſe, & non eſſe, facit tranſitum ad potentiam ſubiectiuam materiæ, qua res poteſt eſſe, & non eſſe, vt dicit 7. Metaphyſicorum t. 22. & ſic minor eſt falſa, quia anima rationalis, antequam eſſet producta à Deo, erat quidem in potentia obiectiua ad eſſe ens actu, non verò ſubiectiua materiæ ex qua eſſet producenda; quandoquidem ſic erat tantum in potentia actiua agentis producentis: vndè poſt eius productionem ceſſat bene potentia obiectiua, cum actu ſit ens; at non ſurgit potentia ad non eſſe, quia caret materia, quæ ſola eſt potentia ad non eſſe, poſt eſſe acquiſitum per eam, & ſic non ſequitur, quod poſſit deſinere, & corrumpi.

Ad tertiam pariter dico æquiuocari de neceſſario ſimpliciter, cui repugnat non eſſe, & de neceſſario ſecundum quid, cui quidem non repugnat non eſſe, tamen habet ab intrinſeco, vt poſſit non eſſe; ſi attendatur neceſſarium priori modo anima rationalis non eſt neceſſaria, ſed contingens, quia poteſt ab extrinſeco deſinere per annihilationem, & ſic non eſt æterna: ſi verò ſpectetur neceſſarium poſteriori modo anima rationalis eſt neceſſaria, & non contingens, ſiquidem caret materia, qua res poteſt non eſse; vndè infertur, quod illud principium: omne neceſſarium eſt æternum ex vtraque parte, verificari duntaxat de neceſsario ſimpliciter, vt eſt Deus, non autem de neceſsario ſecundum quid, quia hoc poteſt eſse ęternam tantum à parte poſt.

Ad quartam dico cum Auerroe, principium illud: omne quod eſt, aut eſse ſemper ens, aut ſemper non ens, aut quandoque ens, & quandoque non ens, verificari tantùm in compoſitis, non autem in ſimplicibus; ſiquidem in his, inter ſemper ens, & ſemper non ens, poſsunt mediare quandoque ens, & quandoque non ens, æternum à parte ante, & corruptibile à parte poſt, ens genitum à parte ante, & æternum à parte poſt: quare concedo, animam rationalem non fuiſse ſemper ens, ſed quãdoque non ens, quando erat in potentia obiectiua ad produci, nec ſemper non ens, quia poſt eſse acquiſitum erit ſempiterna.

Ad quintam dico, maiorem eſse veram de poſſibili potentia ex qua, non autem potentia in qua; ſiquidem prior potentia eſt ma-

materia prima, quæ eſt principium corruptibilitatis, poſterior verò poteſt eſſe etiam aliquod immateriale, ideò non infert non eſſe: Modò anima rationalis eſt poſſibilis tantum potentia in qua, & potentia agentis, ac proinde non ſequitur, quod debeat eſſe corruptibilis.

Ad ſextam dico, animam rationalem eſſe quidem naturam neceſſariam, neceſſitate ſecundum quid, non verò ſimpliciter; atque ideò ſolùm infertur contingentia, ſe tenente ex parte agentis, quia poteſt annihilari à Deo, non tamen ex parte eius, & ab intrinſeco, quia ſic cum careat materia, nequit deſinere eſſe.

Si quis autem voluerit ſuſtinere ſecundam concluſionem, poterit reſpondere ad argumenta, quibus fuit probata prima de immortalitate animæ rationalis, ex principijs eiuſdem deſumpta, vt facit Doctor Subtilis vt ſupra citatus §. Poteſt dici &c. ſub I, ac ſequentibus.

Ad primum ergo dicit Scotus ſub K, ibi loquutum fuiſſe Ariſtotelem de corruptione in operando, ad modum, quo corrumpitur organum ſenſus, quod euidenter patet, quia ſubdit, ſi ſenex acciperet oculũ iuuenis, videret vtique ſicut iuuenis, ergo ipſa potentia viſiua non eſt debilitata, vel corrupta quantum ad operationem, ſed quantum ad organum tantum, non autem affatus eſt de incorruptione in eſſendo, quia ſic illum iudicat corruptibilem, quandoquidẽ ſequitur: *Intellectus corrumpitur in nobis quodã interius corrupto*, hoc eſt, corpore, vel compoſito. Ad aliud, quo vocat intellectum Diuinum quid, dico cum ipſo Ariſtotele, Diuinum ibi accipi comparatiuè in relatione ad illas potentias hominis, quæ ſunt immiſtæ organis in operando, ſiquidem illas excellit in operando inorganicè, vnde Diuinum ibi ſonat, idem ac præſtantius, quo ſenſu lib. 2. de Cœlo t. 17. Cœlum corpus Diuinum appellatur, quia præcellit ſubcœleſtibus, & in 2. de Gener. Animal. capit. 3. corpus animabile diuinius Elementis vocatur ab eo, & 1. Phyſicorum t.81. Forma Diuinũ appellatur reſpectu materiæ, & in 1. Magnorum Moral. cap. 2. inquit: *Honore dignum huiuſmodi dico, quod Diuinum, quod melius, vt anima, menſque eſt*, igitur intellectus, vel anima intellectiua Diuina nuncupatur ab Ariſtotele, quia excellit ſenſitiuæ, & vegetatiuæ, non quod ex eo ſit incorruptibilis, & immortalis.

Ad ſecundum reſpondet eodem modo Doctor Subtilis ibidem, Philoſophum ibi loquutum fuiſſe de ſeparatione in operando, non verò ineſſendo, ad differentiam potentiæ ſenſitiuæ & vegetatiuæ, quæ in operando egent potentia organica, non ſic intellectus, qui intelligit inorganicè; & dicitur ſeparari ab illis, ſicut perpetuum à corruptibili; quandoquidem intellectus non corrumpitur intelligendo, ſicut facit ſenſorium ſenſus, de quo inquit Ariſtoteles 3. de Anima t.7. quod excellens ſenſibile corrumpit ſenſum, non autem excellens intelligibile intellectum.

Ad tertium dicitur ab eodem Doctore, quod Ariſtoteles ſit loquutus dubitatiuè, ex eo, quod dicit forſan: omnem nanque animam poſteriùs manere fortaſſis impoſſibile eſt. Et ſi dixerit quiſpiam, loquutum fuiſſe abſque dubio de intellectu, quod maneat poſteriùs, ſubdit, quod neque iſtud iuuat, quia non demonſtrauit per rationem naturalem, ſed hoc protulit ex aliorum ſuaſionibus.

Ad quartum reſpondet eſſe valde dubiũ, quid ſenſerit Ariſtoteles de animæ rationalis origine; à quo nimirum agente ſeparato poſſit produci, itaut valeat accedere ad corpus humanum, ab agente naturali productum per generationem? Nam ſi dicatur ab Intelligentia aliqua, hoc nequit eſſe, tùm quia Intelligentia non poteſt creare, vt ipſe oſtendit in 4. d. 1. quæſt. 1. tùm etiam quia non poteſt aliquid nouum producere, cum ſit immutabilis, & ſempiterna, vt probat libr. 12. Metaphyſicorum Sum. 2. Nec poteſt dicere, animam intellectiuam eſſe terminum agentis naturalis, quia vt videtur in 12. Metaphyſicorum t. 17. ponit eam incorruptibilem, & nulla forma, quæ eſt terminus agentis naturalis, ſecundum ipſum, & ſimpliciter incorruptibilis. Si autem dicatur, quod accipiat immediatè eſſe, & eſſe nouum à Deo, hoc eſſet valde dubium in ſua doctrina; tùm quia facit illum agens à neceſſitate, & ſic nil noui poſſet producere, quod repugnat eſſe animæ rationalis, cum non ponat illam præceſſiſſe ante corporis productionem, ſed ſimul cum ipſo; tùm etiam, quia poneret illam creari,

quod

quod eſt inconueniens, ſiquidem ignorauit creationem; ergo cum ſit valde dubium quid ſenſerit de illius origine, conſequenter eſt valde dubium, an poſuerit illam mortalem, aut immortalem, quamuis dixerit illam deforis accedere ad corpus organicum.

Ad quintum dicitur ab eodem ſub Aa, illud non concludere immortalitatem animæ rationalis, ſed potius oppoſitum; ſiquidem faceret etiam animam ſenſitiuam bruti immortalem; etenim quodlibet brutum naturaliter fugit mortem, & appetit ſemper eſſe, & tamen talis appetitus in brutis, ficut etiam in hominibus non poteſt non fruſtrari in indiuiduis ſed ſolùm in ſpecie, qua de cauſa ſecundo de Gener. poſuit continuam ſeriem generationum in indiuiduis vt ſpecies ſemper ſit vſque in infinitum.

Ad ſextum reſpondet Scotus gloſando deſcriptionem illam materiæ de 7. Metaphyſicorum t. 22. Quandoquidem intelligi poteſt, vel de re cuius ipſa eſt pars, idest de compoſito, vel de re, quæ recipitur in ipſa, hoc eſt de forma, alioquin forma ignis non poſſet non eſſe, cùm materia non ſit pars eius, quod tamen eſt falſum & euidens ad ſenſum: vnde nequit inferri ex carentia materiæ, quæ ſit pars animæ rationalis, eius immortalitas, cum ſufficiat ad eius non eſſe, ſecundum Ariſtotelem, vt recipiatur in materia, vt dictum eſt in ſimili de forma ignis. Concludendum eſt igitur, quod ſicut ex principijs Ariſtotelis nequit inferri diſtinctè deſitio animę rationalis, ita nec perpetuitas eiuſdem ex illius doctrina euidenter concludi poterit, quare meliùs dicendum cum Doctore Subtili, illum fuiſſe dubium potiùs, quam problematicum in hac materia.

Quarta Concluſio reſponſiua directè ad titulum quæſtionis, quod eſſe genitum, vel productum in creatis nequeat inferre neceſſariò corruptibilitatem, vel mortalitatem in omnibus, ſed tantum in compoſitis, dependentibus ab agentibus naturalibus per generationem mutationem, & in formis, quę educuntur de materię potentia ex qua, non autem de ſimplicibus, quæ habent eſſe immediatè à Deo, vel per creationem, vel per generationem productiuam, vt ſuperabundè probatum eſt per totam quæſtionem. Et hæc dicta ſint ſatis de Diſputationibus, ac Quæſtionibus ſuper hoc 1. lib. de Cœlo, & Mundo Ariſtotelis.

ARISTOTELIS DE COELO, ET MVNDO.

LIBER II.

VIſa, in præcedenti primo libro, natura Vniuerſi cum ſuis partibus in generali; nunc in præſenti incipit pertractare de eodem in particulari, & præſertim de Cœlo, cùm ſit præcipua Mundi pars. Diuiditur autem hic ſecundus liber in quatuor Summas, quarum prima complectitur Epilogum primi libri, & Proœmium ſecundi. Secunda peragit de differentijs poſitionis, de animatione, ac figura Cœli. Tertia de Stellarum natura, motu, ac figura conſiderat. Quarta tandem Terræ naturam, ac proprietates ſpeculatur.

Prima autem Summa partitur in tria capitula, in quorum primo oſtendit Cœlum, neque generabile, aut corruptibile exiſtere, ex Antiquorum teſtimonio. In ſecundo probat corpora cœleſtia non fatigari in ſuo motu, ac proinde nullo indigere ſuſtentaculo. In tertio expendit vnde oriatur perpetuitas motus corporum cœleſtium.

Quoad primum caput in T.I. ſtatuit hâc concluſionem primam: Cœlum eſt ingenerabile, & incorruptibile vnum, & ſempiternum, carens principio, & fine, in to-

Digitized by Google

ta æternitate, ac contentiuum in ſe infiniti temporis, quam oſtendit dupliciter. Primò ex dictis, ac probatis in præcedenti libro per multas rationes à t. 20. vſque ad t. 33. & à t. 101. vſque ad finem, ſiquidem rationes confectæ pro Mundi æternitate contra Platonem, & alios Antiquos concludunt pariter æternitatem Cœli; ſiquidem Cœlum eſt præcipua pars Vniuerſi. T. II. roborat ſuam concluſionem per auctoritatem Antiquorum, qui pariter dixerunt Cęlum eſſe immortale, & Diuinum quid, eiuſque motum fine non ſolùm carere, ſicut alij motus habent, ſed aliorum finem eſſe ſtatuerunt. Quod euidenter ſuadere potuerunt; tùm quia omne continens habet rationem finis reſpectu contenti, cũ ad ipſum terminetur; tùm etiam, quia omne imperfectum continetur à perfecto, atqui motus circularis eſt perfectus, recti verò imperfecti, vt vidimus in 1. libro de Cęlo à t. 5. vſque ad t. 12. ſimiliter recti continentur in circulari, quo cietur Cęlum, ergo recte dixerunt hunc eſſe illorum finem. Ex hoc infert duo corrollaria, alterum, quod motus circularis, cùm non habeat principium, & finem, ſit inceſſabilis, & æternus; alij verò ſint temporales, finiti, & ſuſceptiui quietis: alterum verò, quod Cęlum ſit Deorum locus, cùm ipſum duntaxat ſit immortale, immortalibuſque appropiandum, vt ſit conuenientia inter locum, & locata.

Quoad ſecundum caput in T. III. ponit ſecundam Concluſionem nimirum, quod Corpora Cęleſtia non fatigantur, ac proinde non egent ſubſtentaculo, vt ſurſum detineantur. Probat priorem partem tribus rationibus: tùm quia Cęlum eſt ingenerabile, & incorruptibile, & per conſequens expers omnis actionis contrariæ, per quam poſſit pati laborem in reſiſtendo: tùm etiam quia caret omni morbo, aut alteratione corruptiua: tum denique, quia nulla indiget violenta neceſſitate, quæ prohibens detineat ipſum, nè circulariter moueatur, ſecundum quod ipſum natum eſt cieri, vt dictum eſt in primo libro, quandoquidem illud, quod ſubiacet violentæ neceſſitati eſt caducum, imbecille, & laborat in motu, igitur cum Cęlum nulli ſubiaceat violentæ neceſſitati, inferendum eſt, illud neque caducum, neque imbecille, neque laborioſum eſſe, ac proinde neque in ſuo motu fatigari.

In T. IV. probat partem poſteriorem concluſionis contra Antiquos Poetas, qui finxerunt Cęlum indigere aliquo Atlante, qui ſurſum illud ſuſtentet, nè deorſum cadat, ſiquidem Cęlum non mouetur motu recto, cùm non ſit graue, aut leue, vt probauit in 1. libr. ſum. 5. ſed corpus circulare, quod tantùm circulariter cietur, ergo cùm deorſum cadere non poſſit, conſequenter dicẽdum eſt nullo indigere Atlante, vel alio ſubiecto, à quo detineatur ne deorſum ruat.

Quoad tertium caput, in quo expendit cauſam continuitatis motus cęleſtis in T. V. ponit tertiam concluſionem dicens, continuitatem motus cęleſtium corporum non habere pro cauſa velocitatem illius, nec eſſe animam, quæ perpetuò ipſum manere cogat, vt dicebant nonnulli ex Antiquis, ſiquidem Empedocles ſuſtinendo motum Cęli eſſe violentum, & cum labore, dicebat motum illius non poſſe continuari ab alia cauſa, quam ab eius velocitate: Plato, cum poſuerit Cęlum animatum, anima conſiſtente in medio Vniuerſi, dixit per illam perpetuari motum corporum cęleſtium. Ariſtoteles refellendo vtramque opinionem, probat ſuam concluſionem, quoad vtramque partem, & primo arguit contra Empedoclem, quia velocitas, ſeù celeritas illa motus non poſſet prouenire niſi ab agente extrinſeco, mouente violenter corpora cęleſtia, ſed nullum violentum eſt perpetuum, ergo talis motus non potuiſſet durare tempore perpetuo, quin aliquando diſcontinuaretur, & ceſſaret. Secundò arguit contra Platonem, T. VI. quia ſi perpetuitas illius motus dependeret ab anima Mundi, ſequeretur illam non poſſe eſſe beatam abſque triſtitia; ſiquidem mens illa foret ſemper applicata, & contra eius inclinationem, tali mobili, adeò vt non poſſet vacare contemplationi, in qua conſiſtit vita beata, igitur, vel non foret beata, vel ſaltem non eſſet talis abſque triſtitia. Probat conſequentiam exemplo Ixionis vniti rotæ per ſententiam Iouis, in vindictam attentati concubitus cum Iunone, vt fabulantur Poetæ; nam ſicut ille contra eius voluntatem nequit abſque triſtitia illam rotam, perpetuo motu, circunducere,

Digitized by Google

re, ſic eſſet de illa anima in motu Cęli perpetuo, & ſic aut non eſſet beata, aut non foret talis abſque triſtitia, quæ tamen fælicitati repugnat. Quare (infert) eſſet melius ſentiendum, ſicut ipſe ſenſit, tam de æternitate Cœli, quam de illius motus perpetuitate, abſque recurſu ad agentia extrinſeca: Sic enim melius ſequerentur ſermones, ſiue vaticinationes enunciatæ de Dijs, nempe quod ſint abſque labore, perpetui, beati, & à qualibet mole ſeiuncti. Et hæc de prima Summa, & Epilogo eorum, quæ retulit, ac probauit de Cœlo, & Mundo in primo libro.

De Circulari Corpore.

SVMMA II.

HÆc eſt Summa ſecunda, in qua, expedito Procœmio huius ſecundi libri, Philoſophus aggreditur Tractatum eiuſdē, diuiditurque in quinque capita, iuxta quinque quæſita, quæ de Corpore Circulari explanare intendit. In primò quærit. An Cœlum habeat quaslibet poſitionis differentias. In ſecundò. An motus circulares ſint plures, & qua de cauſa. In tertiò. An Forma Cœli ſit rotunda. In quartò. An Motus Cœli ſit magis ad vnam partem, quam ad aliam, & quare. In quintò. An Motus Corporum Cœleſtium ſint æquales.

Quoad primum Caput in T. VII. proponit primum quæſitum, an nimirum in Cęlo reperiantur omnes ſex poſitionis differentiæ ſcilicet ante, retro, ſurſum, & deorſum, dextrum, & ſiniſtrum, quemadmodum reperiuntur in animalibus perfectis, vel ſolùm dextrum, & ſiniſtrum, vt opinantur Pythagorici. Vnde pro ſtabilienda ſua ſententia, primum repræhendit Pythagoricos dicens, quod ſi poſuerunt dextrum, & ſiniſtrum in Cœlo, tenebantur ponere in eodem etiam ſurſum, & deorſum, ante, & retro: quandoquidem huiuſmodi poſitiones ſic ordinantur adinuicem, vt ſurſum, & deorſum præcedant ante, & retro, & omnes dextrum, & ſiniſtrum, in quocumque viuente ponantur; ſiquidem ſurſum, & deorſum reperiuntur tantùm in plantis, cum cōſtituant primum genus viuentium: ſurſum, & deorſum, ante, & retro in animalibus imperfectis, cuiuſmodi ſunt vermes, oſtreæ, conchæ, & alia: omnibus his adiunguntur etiam dextrum, & ſiniſtrum in animalibus perfectis, vt ſunt homines, leones, & cætera animalia bipedia, & quadrupedia, nam ſi poſuerunt in Cęlo poſtremas, cogebantur ponere etiam ante, & retro, ſurſum, & deorſum, ne viderentur peruertere ordinem poſitionum, potiſſimum, quia ponebant Cęlum eſſe viuens perfectiſſimum.

In T. VIII. proſequitur contra Pythagoricos oſtendere, quod Cęlum non poteſt contineri in illis duabus poſitionibus, nempe dextro, & ſiniſtro, ſed neceſſarium eſt illi accomodare, & cæteras, eo modo, & ordine, quo dictum eſt reperiri in animalibus perfectis, quandoquidem huiuſmodi differentiæ ſunt principia motus in animalibus: Eſt autem ſurſum quidem longitudinis principium, dextrum verò latitudinis & ante profunditatis: nam per primum ſumitur principium motus augmentationis, per ſecundum motus localis, qui ſemper fit à dextris, & per tertium fit motus ſenſuum, qui ex parte ante recipiunt ſpecies ſenſibiles, & verſus imaginatiuam, quę in profundum tendit, terminantur. Cum igitur omnes iſti motus reperiantur in corporibus circularibus, quæ ſunt corpora perfecta, concludendum eſt in eis debere conſtitui etiam eorundem motuum principia, quæ ſunt omnes poſitionum differentiæ, & non tantùm duæ ſcilicet dextrum, & ſiniſtrum, vt dicebant Pythagorici.

In T. IX. declarat in quibus corporibus poſſint reperiri huiuſmodi poſitiones, & in quibus non, inquitque reperiri tantum in corporibus animatis, non autem in inanimatis, ſiquidem in illis tantum conſpiciuntur motus ſurſum, & deorſum, ante, & poſt, dextrorſum, & ſiniſtrorſum; & licet in quibuſdam inanimatis videatur eſſe motus ſurſum, vt patet de igne, & ad medium, ſeù deorſum, vt liquet manifeſtè in terra, tamen non originantur huiuſmodi motus à talibus principijs, ſed à proprijs formis, vt aliàs dictum eſt de eius mente.

In T. X. occurrens cuidam tacitæ obiectioni, dicit quod etiam in rebus inanimatis, per quandam ſimilitudinem, & per reſpectum ad noſtras poſitiones, concedi quodammodo poſſunt huiuſmodi poſitiones,

Digitized by Google

nes, modo tamen contrario ad noſtras, vt patet in figuris, in quibus quod in nobis eſt dextrum, in illis eſt ſiniſtrum, & quod in eis eſt poſt, in nobis eſt ante: ſed hæc omnia abuſiuè dicuntur, & non propriè, cùm in eis deſint eſſe principia motus, vel ſurſum, aut deorſum: vel ante, & poſt, vel dextrum, aut ſiniſtrum, vt explicabimus in propria quæſtione.

In T.XI. ex dictis infert contra Pythagoricos, quod malè poſuerint tantum duas ſolas poſitiones, nempe dextrum, & ſiniſtrum in Cœlo, quandoquidem habet motus ſurſum, & deorſum, ante, & retro, dextrumque, ac ſiniſtrum, vt mox probabit in ſequentibus textibus.

In T.XII. proſequitur oſtendere errorẽ Pythagoricorum, omittendo quatuor priores differẽtias poſitionis in Cęlo, & admittendo tantum duas poſtremas, nempè dextrum, & ſiniſtrum, nam ſurſum, & deorſum conueniũt omnibus rebus animatis, vt animalibus, & plantis, dextrum autem, & ſiniſtrum non ineſt plantis, ergo & Cœlo conuenire debent, cum ſit animatum: Deindè cui conueniunt poſteriora, & priora cõuenire debent, ſed dextrum, & ſiniſtrum ſunt, in ordine differentiarum poſitionis, poſteriora, ſurſum autem, & deorſum, ante, & poſt, priora, ergo ſi illa attribuuntur Cęlo, & iſta attribuenda ſunt ei. Minorem probat, quia ſurſum eſt principium lõgitudinis, & dextrum latitudinis, ergo ſicut lõgitudo eſt latitudine prior, ita ſurſum eſt prius dextro. Similiter ſurſum eſt principium motus augmentationis, dextrum autem à quo incipit motus localis, & ante ad quod terminatur motus ſenſibilium, igitur ſicut motus augmentationis præcedit localem, & motum ſenſuum, ita ſurſum, quod eſt principium primi motus debet pręcedere deorſũ, quod eſt principium ſecundi motus. Iure merito ergo increpandi erant Pythagorici, qui ponentes in Cœlo poſtremas poſitionum differentias, omiſerunt priores.

In T. XIII. exploſis aliorum opinionibus, ponit propriam ſententiam, quod Cęlo nimirum conueniant ſex poſitionis differentiæ, videlicet ſurſum, & deorſum, ante, & poſt, ac dextrum, & ſiniſtrum, & probat, tùm quia Cœlum eſt animatum, & habet in ſe principia motus ſurſum, & deorſum, ante, & retro, deorſum, & ſiniſtrorſũ: tùm etiam quia, ſiquid obſtaret, quominus in Cœlo ponerentur huiuſmodi differentię, maxime eſſet figura Cęli rotunda, cui videtur repugnare ſaltem dextrum, & ſiniſtrum, ſed hoc non officit, ergo &c. Minor probatur quia potentia ad motum localem ſtat cum vniformitate figuræ in homine, ſiquidem manus vtraque in homine eſt eiuſdem figuræ, & tamen validior eſt potentia in dextra, quam in ſiniſtra, ergo potentia ad motum localem conſiſtere valet cum vniformitate figuræ, ac proindè etiam Cęlum poterit habere dextrum, hoc eſt potentiam ad initium motus localis, quamuis non appareat in figura Cœleſti pars dextra, vel ſiniſtra, vel incæptio motus localis; ſufficit enim habere potentiam ad incæptionem, ſi tale mobile inciperet moueri. Etſi nunquam incæpit, principium tamen habeat neceſſarium eſt, vnde incæpiſſet, ſi inciperet moueri, quod mouetur, atque ſi ponatur quod quieuerit, mouebitur vtique iterum ex eadem parte. Concludendum eſt igitur reperiri in Cœlo ſex differentias poſitionis, ſicut in quolibet animali perfecto.

In T. XIV. nititur oſtendere, quonam pacto reperiantur huiuſmodi poſitiones in Cœlo, quamuis ſit ſphæricæ figuræ, quandoquidem poli indicant ſurſum, & deorſum, cùm ab Antarctico ad Articum demonſtretur longitudo illius; ſurſum quidem in polo Antarctico deſignatur, deorſum verò in Arctico. T. XV. Oriens autem, à quo incipit motus localis, indicat dextrum, & occidens, ad quem videtur terminari motus diurnus in hoc noſtro Hemiſphærio, innuit ſiniſtrum Cęli latus. Circumlationis autem Cœli principium eſt, vnde Aſtrorum ortus ſunt: quare hoc vtique erit dextrum: vbi autem occaſus, ſiniſtrum. Si igitur & à dextris incipit, & ad dextra circumfertur, neceſſe eſt ſurſum eſſe eum polum, qui non apparet, nempe Antarcticum; ſi enim is erit, qui manifeſtus eſt, ad ſiniſtra erit motus, quod non conuenit dextro, vt eſt principium motus localis Cœli.

In T.XVI. ponit differentiam inter propriam & Pythagoricorum opinionẽ, quoad harum poſitionum diſpoſitionem in Cœlo: Illi enim ponebant ſurſum, & nos in polo Arctico, deorſum verò, & qui ibi

inhabitant, in Antarctico, ſimiliter dextrum, à quo incipit motus localis, faciebant in parte ſupera huius noſtri hemiſphęrij, ſiniſtrum autem in infera, & in hemiſphærio nobis immanifeſto, verùm totum oppoſitum dicebat Ariſtoteles, vt viſum eſt in præcedentibus duobus textibus; Ratio autem diſparitatis eſt, quia cùm dextrum ſit principium motus localis, & Aſtra fixa incipiunt moueri, vbi trahunt ortum, nempe ab oriente in occaſum, conſequenter dicendum eſt, dextrum eſſe ab Antarctico, & ſiniſtrum ab Arctico, & hoc loquendo de ſtellis fixis: Cæterùm ſi fuerit ſermo de Planetis res ſe habet in contrarium, ſiquidem illorum motus cum incipiat ab occaſu, & terminetur ad orientem, dicendum eſt dextrum fore nobiſcum, & ſiniſtrum Antipodis.

Quoad ſecundum Caput, in quo Ariſtoteles proponit ſecundum quæſitum de pluralitate Motuum Circularium inquit in T. XVII. cum motus circularis non ſit alteri circulari contrarius, vt oſtendit in primo libro de Cœlo, nititur inueſtigare, quonam pacto poſſint multiplicari motus circulares, & non potius omnia Corpora Cęleſtia cogātur moueri vnico motu ad vnū, & eundem terminum, nempe ad orientē, vel occidentem, vel meridiem, aut ſeptentrionem verſus. Nam ſi motus circulares forent contrarij, non eſſet difficile plures aſſignare motus, ſiquidem hæc eſt natura contrariorum quod ſi vnum in natura fuerit poſitum, & alterum poni neceſſe eſt, & maximè ſi contraria fuerint ſimplicia corpora, quæ potiſſimum ad eſſentiam Vniuerſi ſpectant. Verùm cùm ſit oſtenſum in primo libro motui circulari nullum motum aduerſari, proinde, cum ceſſet hæc ratio, aliam eſſe quærendam ait: Et licet ſit difficile rerum cœleſtium haberi cognitionem, cùm debeamus illam nanciſci à ſenſibilibus, & hæc nimio diſtent à ſenſibus noſtris, tamen pro viribus huiuſmodi prouinciam, quamuis arduam, aggredi non veretur.

Vnde ad hoc inueſtigandum, facit vnam ſuppoſitionem, quam probat in eodem textu, Cęlum nimirum moueri motu circulari, & ſempiterno, & probat, quia Cęlum eſt corpus diuinum, & immortale, ergo neceſſariò moueri debet moueri motu circulari ſempiterno. Antecedens ſupponitur clarum, & euidens, cum ab eodem vocetur ſub nomine Dei, iuxtà ſententiam Platonis, qui omnia corpora cęleſtia Deos vocat; Conſequentiam probat, quia corpori Diuino, & immortali neceſſariò correſpondet operatio diuina, & immortalis, ſiquidem operatio eſt gratia eius, & finis operantis, ac proindè eius vita ſempiterna, ſed motus Cœli eſt operatio eius, ac vita ſempiterna, & nullus motus eſt ſempiternus, præter circularem, vt aliàs probatū ab eodem Ariſtotele, ergo Cęlum debet neceſſariò moueri motu circulari ſempiterno.

In eodem textu, probata ſuppoſitione de motu circulari ipſius corporis Diuini, nempe Cęli, mouet dubium: Cur eodem motu nequeat, moueri vniuerſum Cęlum, hoc eſt, tota ſphæra cęleſtis, vt in ſe continet quatuor elementa, tanquam eius partes? Et reſpondet, quia oportet dari aliquod quieſcens, & immobile circa quod voluatur mobile circulariter, quod appellatur medium, ſeù centrum Vniuerſi. In eodem nec totum Cęlum, nec aliqua pars illius quieſcere poterit, alioquin eſſet medium eiuſdem naturæ cum cęleſti, quod repugnare oſtendit dupliciter in T. XVIII. ſequenti.

Primò quia tunc ſequeretur motum Cęli non eſſe ſempiternum, ſiquidem eſſet naturaliter ad medium, in quo quieſceret; nam omne mobile tendens naturaliter ad aliquem locum, naturaliter quieſcit in illo, & ſic non mouetur circulariter motu ſempiterno. Secundò probat eandem conſequentiam, quia ſequeretur Cęlum poſſe moueri duplici motu naturali; altero circulari, altero recto ad medium, ſed eiuſdem corporis ſimplicis nō poſſunt eſſe duo motus naturales, vt probatum eſt ſupra in primo libro t. 8. igitur alterum, neceſſe eſt, fore præter naturam, & non niſi circularem, quare non eſſet ſempiternus, & perpetuus, ſiquidem nullum violentum perpetuum, quod tamen eſſet falſum, & contra ſuppoſitum, ergo melius dicendum eſt, nec totum Cęlum, nec aliquam ſui partem quieſcere poſſe circa medium, quinimò ſemper in orbem circa ipſum cieri.

Ex hoc infert, quod ſi centrum eſt immobile, cùm ſit in medio terræ, hanc quoque perpetuò ſtare, & quieſcere. Cæterùm

rùm ſi terra ponitur in rerum natura, & ignem poni neceſſe eſt: ſunt enim contraria, quorum conditiones ſe comitantur, quod ſi vnum exiſtit, & reliquum exiſtere neceſſe erit.

Deinde infert ex his aliud conſectarium in T.XIX. quod exiſtentibus igne, & terra, neceſſe eſt etiam exiſtere alia duo elementa inter media, nempe aerem, & aquã per eandem rationem contrarietatis, ſaltem per affectiones; nam quemadmodum terra, & ignis contrariantur, quia ignis eſt calidus, & terra frigida, ſic aqua contrariatur aeri, quia hic eſt calidus, & illa frigida; quinimò omnia elementa habent contrarietatem adinuicem: nam aer contrariatur aquæ, quia ille eſt calidus, hæc autem frigida; terræ aduerſatur aer ratione humiditatis, quia hic eſt natura humidus, illa ſicca, & per eandem rationem igni pariter repugnat aer, ſiquidem ignis eſt ſiccus, aer humidus natura, & ita diſcurrendo per ſingula, vt aliàs ſe meliùs oſtenſurum promittit, ergo ſi ratione contrarietatis terra, & ignis ſe mutuò iuuent quod ad exiſtere in rerum natura, & reliqua elementa pariter ad ſeinuicem iuuare debebunt, vt omnia exiſtere poſſint.

Ex his omnibus T.XX. infert aliud conſectarium, quod exiſtentibus his elementis habent ſequi neceſſariò generationes, & corruptiones; tum quia contraria ad ſeinuicem pugnant, vt alterutrum deſtruantur: tùm etiam quia nullum corpus ſempiternum eſſe poterit, cuius motus ſempiternus eſſe nequit, vt ſunt motus elementorum in ſeinuicem, & ad propria loca tendentes, cùm tandem quiete finiantur, igitur euidenter patet, quod ſi dentur elementa in rerum natura, & generationes, ac corruptiones neceſſariò dari debent.

In T.XXI. tandem quaſi epilogando infert cauſam, cur dari debeant plures motus circulares in rerum natura, ſic enim arguere videtur: Cęlum perpetuò mouetur, ergo aliquid in medio mũdi perpetuò quieſcit: hoc admiſſo, ſequitur terram eſſe: ſi terra eſt, igitur ignis eſt: ſi ignis, & terra ſunt, ergo aer, & aqua ſunt: ſi omnia elementa ſunt, ergo generationes, & corruptiones ſunt: ſi generationes ſunt ergo plures motus cęleſtes ſunt, alioquin non eſſet varietas generationum in his ſublunaribus, ſiquidem hæc oritur acceſſu, & receſſu Planetarum, & præſertim ſolis, vt patebit ſecundo de Generatione ergo de primo ad vltimum, ſi Cęlum mouetur circulariter perpetuò, neceſſe erit ipſum pluribus motibus moueri.

Quoad tertium Caput, in quo agere intendit de figura Cęli, ponit hanc concluſionem: T. XXII. Figura Cęli eſt neceſſario ſphærica, & circularis, & probat illam multipliciter; tùm primo quia nobiliſſimæ, ac primæ ſubſtantiæ, debetur nobiliſſima, ac prima figura, ſed figura circularis, & ſphærica inter omnes figuras, eſt huiuſmodi, & Cęlum eſt nobiliſſima ſubſtantia, ac prima, ergo &c. Minoris ſecunda pars eſt iam probata in primo libro huius operis. Prima pars eiuſdem minoris ſic ſuadetur de circulari, quia omnis figura plana, vel eſt rectilinea, vel circumlatilinea, ſed hæc eſt nobilior qualibet rectilinea, ergo &c. Maior patet, nam omnis figura plana, aut conſtat ex pluribus lineis rectis, vt triãgulus, & quadratum, aut vna tantum, vt circularis, ſed hæc dicitur circumlatilinea, & illæ dicuntur rectilineæ, ergo omnis figura plana, vel eſt rectilinea, vel circumlatilinea. Minor probatur, quia vnum eſt prius, & antecedit multa, ſed figura circumlatilinea, ſeù circularis eſt vna tantùm, quia vna ſolùm clauditur linea circulari, & quæuis rectilinea eſt multa, ſiquidem coaleſcit ex pluribus lineis rectis, ergo figura circularis eſt prior, & nobilior quacunque figura recta plana. Probat eandem minorem de figura ſphærica, quia ſimplex figura eſt nobilior compoſita, ſicut quodcunque ſimplex eſt perfectiùs compoſito, Angelus enim eſt perfectior homine, & anima corpore, ſed figura ſphærica eſt ſimplex, cum contineatur in vna tantum ſuperficie, quadrata verò eſt compoſita ex pluribus ſuperficiebus, ergo figura ſphærica eſt nobilior alijs figuris ſolidis, ac proinde hæc ſola debetur Cęlo, quod eſt prima, & nobiliſſima ſubſtantia.

In T.XXIII. probat ſecundo eandem Concluſionem, quia corpori perfecto debetur perfecta figura, ſed Cęlum, inter omnia corpora Vniuerſi, eſt perfectum,

vt probatum eſt ſupra, & figura circularis in planis,& ſphærica in ſolidis, eſt perfecta, ergo talis debetur Cęlo. Maior patet. Minor probatur, quia perfectum eſt id, extra quod, nihil eorum, quæ ipſius ſunt, poſſibile eſt accipere: vel eſt id, cui nihil deficit, vt viſum eſt in 3. Phyſicorum t. 64. & primo de Cęlo t. 3. & 4. ſed ſola figura circularis in planis, & ſphærica in ſolidis, eſt huiuſmodi, ergo hæc ſola eſt perfecta. Minor probatur, tùm quia figuræ rectæ in planis ſemper poteſt fieri additio, vt patet in lineis rectis,ex quibus conſtat:tùm etiam de figura ſphærica in ſolidis,ſiquidem ſola hæc cōtinetur vna ſuperficie, aliæ verò pluribus, ergo ſolæ figuræ ſphæricę nequit fieri additio, ac proindè hæc ſola eſt perfecta, & vt talis debita Cęlo, tanquā corpori perfecto.

In T.XXIV. tertio probat eandem concluſionem, quia figura circularis in planis, & ſphærica in ſolidis nequit diuidi in plures circulares, aut ſphæricas ſpecie diuerſas, ſicut accidit in alijs à circularibus, & ſphæricis, quandoquidem triangulus in tribus lineis, & pyramis in quatuor angulis reſoluitur, à quibus componuntur, ergo ſola circularis, & ſphærica erit perfecta. Conſequentia tenet, nam diuiſio dicit imperfectionem.

In T.XXV. probat quarto intentū,quia figuræ æquiparantur numeris ſecūdum talem ordinem, vt dicebant Antiqui, ſed figura circularis comparatur vnitati,ergo ſicut vnitas in numeris eſt prior natura, generatione, & perfectione, ita dicendum eſt de figura circulari in comparatione ad alias figuras. Minor ſuadetur, nam ſi triangularis figura compararetur vnitati, tunc ipſa eſſet prima figura, & ſic circulus non eſſet figura, quod eſſet contra ſuppoſitum. Conſequentia tenet, quia triangulus diceret vnitatem, & ante vnitatem, cum nihil ſit, ante triangulum nulla eſſet figura, & ſic circulus non eſſet figura.

In T.XXVI. probat quinto ſuum intentum,quia corporis rotundi, ac ſphærici debet eſſe figura rotunda, & ſphærica, ſed totum Cęlum eſt corpus rotundum, ac ſphæricum,ergo eius figura debet eſſe rotunda, ac ſphærica.Minor probatur,quia vltimum Cęlum, nempe primum mobile, mouetur circulariter, vt ſupra oſtenſum eſt, ergo & ipſum primum mobile debet eſſe circulare, & ſphæricum;ſiquidē motus, cum ſit actus mobilis, adaptatur mobili, ſi motus igitur eſt circularis, & mobile pariter debet eſſe tale. Si primum mobile ergo eſt circulare, & ſphæricum,ſequitur omnia mobilia inferiora, infra ipſum contenta, debere eſſe talia: ſiquidem omnia ſunt contigua, & ſe tangunt ſecundum proprias ſuperficies, concauam videlicet, & connexam, incipiendo ab elementis, & aſcendendo vſq; ad primum mobile, & vltimam ſphæram.

In T.XXVII. ſexto probat, confirmatq; concluſionem nam Cęlum mouetur circulariter, & extra ſuperficiem vltimæ ſphæræ non datur locus,aut vacuum, vt probatum eſt in 1. lib. huius operis, ergo debet eſſe ſphæricum,& figuræ ſphæricę.Conſequentia probatur,quia ſi eſſet alterius figuræ, vt puta triangularis, vel oualis, aut lenticularis, vt nonnulli dixerunt, & moueretur circulariter,tunc daretur locus, & vacuum extra Cęlum, ſiquidem non ſemper occuparet eandem regionem, ſed vbi prius non erat corpus, nunc eſſet, & econuersò ob angulorum permutationem;ſimiliter de quauis alia figura, accideret ſecundum alias, & alias lineas inæquales inæqualem occupare locum, & ſic dari vacuum naturaliter,quod eſſet maximum incōueniens.

In T. XXVIII. ſeptimo confirmat idem ex motu ipſius Cęli, motus namque primi Cęli eſt circularis,& velociſſimus,ergo debet fieri ſuper minima linea, quæ eſt circularis. Antecedens probatur,quia motus primi mobilis eſt menſura aliorum motuum, cum ſit ſolus cōtinuus, regularis, & ſempiternus,vt probatum eſt in lib.8. Phyſic. ſed mēſura in vtroquoque eſt minimum, ergo motus primi mobilis eſt menſura aliorū inquantum eſt minimus,vt eſt velociſſimus. Cōſequētia probatur, quia linea circularis, cum ſit ſimplex erit minima inter alias lineas,quę ſunt compoſitę ex pluribus lineis.

In T.XXIX. probat, lineam circularem eſſe minimam, ſiquidem eorum motuum, & linearum, quæ ſunt ab vno termino ad eundem terminum,minima eſt linea circularis, cum ſine interpoſitione fiat reditio in idem, & occupet minus ſpatium, quā linea recta,quæ poteſt protendi in infinitū.Concludit ergo,quod ſi Cęlum circulariter fertur, & velociſſimè mouetur, quod debeat eſſe circulare, ac ſphæricum.

In

In T. XXX. probat Cęlum eſſe corpus ſphæricum, ratione deſumpta ab Elementis; quandoquidem aqua eſt contigua terræ, & locat ipſam, aer contiguus aquæ, ipſumque continet, ignis eſt contiguus aeri, & ipſum locat, & ſic dicendum de corporibus celeſtibus, quod ſuperius contiguatur inferiori, ipſumque locat, ſed aqua ſphæricę continet terrãm, & aer aquam, & ignis aerem, & ſic aſcendendo vſque ad vltimũ cęlum, ergo totum cęlũ eſt figuræ ſphæricæ.

In T. XXXI. probat minorem, nempè quod aquæ ſuperficies ſit ſphærica; tùm quia quod eſt contiguum ſphærico, ſphæricum eſt, ſiquidem ſe tangunt ſecundum ſuperficies æqualiter, ſed aqua eſt contigua terræ, quæ eſt figuræ ſphæricæ, ergo &c. tùm etiam quia aqua, ſecũdum ſuam naturam, nata eſt confluere ad locum decliuiorem, qui eſt propinquior centro, ac proindè concauum, ergo cum aquæ ſuperficies ſit rotunda, & ab ipſa ſumant rotunditatem cætera corpora ſupera vſque ad vltimum Cęlum, ſequitur totum Cęlum eſſe ſphæricum, & figuræ ſphæricæ.

In T. XXXII. Infert vnum corrolarium, quod nimirum ſit rotundiſſimum, & ſummè ſphæricum, adeò quod nihil eorum, quę ſpectant ad integritatem Mundi, vt ſunt Elementa, & miſta, ita regularitatem, & diligentiam, aut pulchritudinem habere poteſt, vt natura primi corporis, quod circa nos, & eſt, ac mouetur circulariter, vocatum Cęlum. Manifeſtum eſt enim ex hucuſque dictis, quod proportionaliter ſe habet ad ea, quæ infra ipſum continentur, quoad rotunditatem, ſicut aqua ad terram, & cætera elementa ad ſeinuicem, vt ſupradictum eſt.

Quoad quartum capitulum, in quo quæritur, cur Cęlum magis moueatur ad vnam partem, quam ad aliam, in T. XXXIII. expendit cauſam dubitandi, dicens, cùm Cęlũ moueri poſſit diuerſis motibus, iiſque non contrarijs, (ſiquidem in motibus circularibus contrarietas dari nõ poteſt, vt aliàs probatum eſt) quæritur, cur Cęlum, perpetuo motu circulari, moueatur potiùs ab ortu, & à dextera ad occaſum, & ſiniſtram, quam econtra? Nam ſi in rebus æternis nihil fit à caſu, & fortuna, ſed omnia cum conſilio, & prouidẽtia eueniunt, huiuſmodi motus aliquam ſubeſſe cauſam per ſe, inferendũ eſt.

In T. XXXIV. ſoluit quæſitum dicens; Naturam, optimam rerum omnium naturalium progenitricem, non tantum neceſſaria ſpectare in actionibus ſuis, ſed etiam quod melius, & optimum eſt proſpicere, ſed meliùs, ac præſtantiùs eſt, quod Cęlum moueatur ab ortu, & à dextera, quam ab occaſu, & ſiniſtra; Quandoquidem dextrum, & ortus dignitatem portẽdit, secùs occaſus, & ſiniſtrum, ergo cum natura in Cœlorum opificio profuderit totum, quod perfectionis, nobilitatis, ac dignitatis in ſe habebat, propterea non eſt mirandum, ſi Cęlum, in ſuo motu ſempiterno circulari, ad dexterã, & non ad læuam deſtinarit, tanquam ad id, quod dignius, & honorabilius eſt.

Quoad quintum Capitulum, in quo agere intendit de Cœleſtium Corporum motuum regularitate, & ęqualitate, vel irregularitate, ac inæqualitate, in T. XXXV. ſtatuit hanc primam concluſionem, quod motus Cœli ſit regularis, & non irregularis, æquabilis, & non inęquabilis, quam multis rationibus probat, & confirmat. Prius facit tamen vnam ſuppoſitionem dicens, ſe loqui de primo Mobili, ſeù vltima ſphæra, ac de motu diurno, quo omnes Orbes ſpatio viginti quatuor horarum cientur ab Ortu verſus occaſum, non autem de motibus Planetarum; ſiquidem in talibus apparet irregularitas, & inæquabilitas; quandoquidem diuerſo cientur motu, & aliquando etiam videntur ſtare, vnde ſtationarij ab Aſtrologis nuncupantur. Hoc ſuppoſito probat primo concluſionem ab oppoſito, nam in motu irregulari deprehenditur velocitatis augmentum, decrementum, & ſtatus, ſed horum nullum poteſt reperiri in motu primi Cœli, ergo non eſt irregularis, verùm regularis. Maior probatur, quia ſtatus, hoc eſt ſumma perfectio motus, aut eſt in principio, cum lapis ſurſum proijcitur magno impulſu, aut in fine, cum naturali impetu deſcendit idem lapis ad centrum, ſiquidem motus naturalis eſt velocior in fine, quam in principio, ad oppoſitum violenti, qui eſt velocior in principio, quam in fine: aut in medio, vt patet in motu progreſſiuo animalium, cum ſe ſiſtunt. Minor probatur, nam motus circularis Cęli, cum ſit æternus, caret principio, medio, & fine, & conſequenter irregularitate, ergo regularis eſt, ac continuus.

Digitized by Google

In T. XXXVI. probat ſecundo eandem Concluſionem nam cum omne, quod mouetur ab alio moueatur, vt probatur ſeptimo Phyſicorum t. 1. irregularitas in motu accidere poteſt, aut ex parte mouentis, cùm non ſemper eadem virtute moueat: aut ex parte mobilis, ſi non fuerit ſemper æque diſpoſitum ad excipiendam virtutem mouentis, aut ex parte vtriuſque, cum vtrunque mutari poſſit, ſed nihil horum motui primi Cœli euenire poteſt, ſiquidem motor eſt ſemper eiuſdem virtutis, cum ſit immutabilis; ſimiliter mobile, vt putà Cęlum, eſt inalterabile, cum ſit ingenitum, & incorruptibile, vt viſum eſt ſupra, initio huius libri, & in præcedenti à t. 20. vſque ad finem, ergo motus Cœli nequit eſſe irregularis.

In T. XXXVII. confirmat tertio Concluſionem. Si motus circularis Cęli eſſet irregularis, aut huiuſmodi irregularitas proueniret ex varietate totius Cœli, aut partium eiuſdem; non enim poteſt aſſignari medium inter totum, & partes; atqui ex neutra talis varietas procedere nequit, ergo &c. Minor probatur, & primo quod non ex parte Stellarum, quæ ſunt partes Cęli Stellati; ſiquidem illæ ſemper ſeruant diſtantiam æqualem inter ſe, vt apparet intuentibus per teleſcopia, & aſtrolabia. Neque ſecundo ex parte totius Cęli ſphæræ, quia interdum ſubiret remiſſionem viriũ, vt accidit in motu progreſſiuo animalium, ex defectu ſpirituum, à quibus incipit motus in eis, aut aliquando experiretur impotentiam, ob defectum virium naturalium, vt euenit in ſenibus ob pugnantiam elementorum in mixto, ſed neutrum horum defectuum patitur Cęlum, cum ſit inalterabile, & incorruptibile, ſecundum ſe totum, & partes, vt oſtendit in primo libro loco citato, ergo motus eius nequit eſſe irregularis.

In T. XXXVIII. ſuadet idem quarto ex motu, qui fieret infinito tempore: nam ſi motus Cęli eſſet irregularis, cùm menſuretur tempore infinito, ſequeretur poſſe augeri, & diminui tempore infinito, ſed hoc nequit admitti, ergo neque, quod ſit irregularis. Minor probatur, quia huiuſmodi augmentum eſſet effectus virtutis, & potentiæ mouentis, & per oppoſitum diminutio, impotentiæ, ac debilitatis eiuſdem, atqui imbecillitas, & impotentia nequit accidere in tempore infinito, ſiquidem eſſet præter naturam, ſed quæ ſunt præter naturam non ſemper ſunt, ergo imbecillitas, ſiuè impotentia mouentis non poſſet eſſe infinito tempore, ac proinde neque diminutio velocitatis poſſet cauſare irregularitatem motus cęleſtis in æternitate.

In T. XXXIX. probat idem quinto ex parte motus cęleſtis: quandoquidem Cęlum mouetur determinato tempore, adeò quod nequeat eius motus ſemper creſcere in infinitum, ergo neque eidem poſſet fieri remiſſio, ac diminutio, & per conſequens neque irregularitas. Antecedens patet à ſimili in quouis motu, qui habet determinatum tempus, vt in maiori fieri, neque in minori poſſet: non enim poteſt fieri in inſtanti, igitur determinat ſibi minimum tempus ad ſuum fieri: tùm quia motus primi Mobilis ab ortu in occaſum præſcribit ſibi tempus viginti quatuor horarum, (neque enim augeri poteſt eius velocitas in minori tempore) ergo neque remitti in maiori tempore. Conſequentia tenet, quemadmodum enim intenſio exigit minimum tempus determinatum, ita remiſſio determinatum tempus quoad maximum.

In T. XL. quaſi epilogando iam dicta, concludit motum Cęli non poſſe eſſe irregularem: tùm quia dato oppoſito, eſſet aſſignabilis viciſſitudo in Mouente, & Mobili æterno, quod repugnat rationi æternitatis: tùm etiam impoſſibile eſſet nos latere huiuſmodi velocitatis intenſionem, ac remiſſionem, cùm ſint oppoſita; hæc namque fiunt ſenſibiliora iuxtà ſe poſita: *oppoſita enim iuxtà ſe poſita magis eluceſcunt. Quod igitur vnum, & ſolum eſt Cælum, & hoc ingenerabile, & ſempiternum, & inſuper motum regulariter hactenus nobis dictum ſit.*

De Natura Cœli, eiuſque Affectionibus in particulari.

DISPVTATIO I.

MVlta de Cęlo, eiuſque affectionibus ſic generatim ſumptis, hactenus diſſeruimus, cùm in libris Phyſicorum, & Me-

Meteorologicorum iam impreſſis, tùm in præcedenti primo libro huius Operis, & adeò luculenter, vt vix poſſe fieri additionem, ſaltem neceſſariam, non nemo iudicare poterit: Nihilominus, quoniam ex quadam prælibatione textus Ariſtotelis, hactenùs habita, nonnullæ videntur emergere difficultates, nec ſatis conſentaneæ doctrinæ Scoticæ, in ſuperioribus libris, à nobis traditæ, operę pretium duximus, illas diſputationi ſubijcere, nè videamur, aut negligere Magiſtrum, aut pugnantia ſecum in hoc noſtro Curſu inſerere, quod vtrumque pro maximo inconuenienti, prudens iudicabit Lector, & ab incæpto, ac hucuſque proſequuto fine, prorsùs alienum. Hæc igitur, quæ nobis difficultatem ingerunt, ſunt quæ ſequuntur, in propatulo ponenda, iuxta ordinem textuum, & primò.

Vtrum in Cælo Stellato ſint ponendæ ex natura rei, ſex poſitionum differentiæ, ſicut in animalibus perfectis communiter adſtruuntur?

QVÆSTIO I.

HAnc quæſtionem deberent aliæ non paucæ præire, ſequendo ſeriem textuum Ariſtotelis, nempè an Cęlum ſtellatum ſit ſimplex, vel compoſitum ex materia, & forma, aut mixtum ex Elementis: Secundò an ſit genitum, vel creatum à Deo; corruptibile, vel incorruptibile. Tertiò an ſit naturæ ſolidæ, vel fluidæ. Quartò an ſit animatum, aut expers animæ, informantis, vel aſſiſtentis, ac aliæ, quæ moueri poſſent occaſione textus: verùm quia has omnes examinauimus in ſuperioribus libris, & præſertim in lib. 1. huius operis, diſput. 2. idcircò nè ab ordine iam incæpto deflectere videamur, præſentem, quæ originem traxit à t. 13. diſcutiendam proponimus.

Circa quam verſantur tres diſparatę ſententiæ, quarum prima abſolutè negat dari ex natura rei in Cęlo ſtellato ſex differentias poſitionum, quæ reuera videntur in animalibus perfectis, vt docet Ariſtoteles libro de Animalium Inceſſu capit. 4. ſed ſolùm ſuſtinet, poſſe illi attribui per quandam denominationem extrinſecam, deriuantem ab eis, quæ ab intrinſeco reperiuntur in animalibus ſaltem perfectis. Ita ſentiunt Ioan. Piccus Mirandulanus libr. 6. de Vanit. cap. 9. Scaliger contra Cardanum Exercit. 67.

Secunda opinio huic omninò oppoſita docet reperiri in Cęlo omnes poſitionum differentias, ex natura rei, ſicut in animalibus, ſiquidem putant Cęlum eſſe animatum, ſaltem anima aſſiſtente, nimirum ab Intelligentia motrice, à qua accipit vitam ſufficientem, ad motum, & ad ſuſcipiendas omnes poſitionum differentias. Sic Villalpandus in 2. lib. de Cęlo capit. 2. q. 3. Niphus ibidem q. 1. ſuper t. 13. & nonnulli alij ex Recentioribus, & Antiquis Expoſitoribus Ariſtotelis, dicentes non ſolum eſſe animatum, ſed eſſe maximum animalium, ac proindè ſibi conuenire ex propria natura, omnes differentias poſitionis, quæ realiter competunt cæteris animalibus perfectis.

Tertia tandem ſententia eſt illorum, qui nec abſolute negant huiuſmodi poſitionis differentias à Cęlo, cùm prima opinione, neque illas admittunt in eodem cęlo ex natura rei, & reali in exiſtentia, cum ſecunda ſententia, ſed illas reperiri dicunt in Cęlo, per quandam analogiam, quam ipſum habet cum animalibus, quibus ex natura rei conueniunt dextrum, & ſiniſtrum, ante, & retro, ac ſurſum, & deorſum. Ita Conimbricenſes in capit. 2. libr. 2. de Cęlo q. 1. art. 2. Ruuius ibidem quæſt. vnic. §. Tertia opinio &c. Serbellonus diſp. vnica, q. 3. §. 44.

Quid autem ſit dicendum nobis, ſecundum veram Scoti ſententiam, quibuſdam de more notatis, erit manifeſtum in concluſionibus infra ponendis, & probandis.

Primò igitur notandum eſt, ex Doctore Subtili in 4. d. 10. quæſt. 1. §. Dico ergo aliter &c. ſub M. Poſitionem eſſe duplicem, aliam, quæ eſt differentia quantitatis permanentis, & aliam quæ conſtituit prædicamentum ſitus, ſeù poſitionis. Prima, ſi formaliter attendatur, dicit ordinem partium in toto quanto, vt in corpore humano, quod caput ſit ſuper humeris, brachia coniuncta humeris, & ſic de cæteris. Secunda verò, quæ ſupponit primam poſitionem, ſuperaddit ei ordinem partium totius ad partes loci, vt quod caput reſpondeat

ſuperficiei aeris ambientis ipſum, & non illis, quæ ambiunt manus, vel pedes, aut crura, & econuerſo; & de hac eſt ſermo in propoſito, & non de prima, ſiquidem hæc fundat ſex differentias, ſecundum ſex ſpecies loci, nempe ſurſum, & deorſum; ante, & retro: & dextrum, ac ſiniſtrum, in quibus poteſt ſituari corpus quantum iuxtà diuiſionem ſuarum partium, ordinabiles ad partes loci. Ad rem noſtram, cùm Cœlum ſtellatum ſit corpus diuiſibile in partes quantitatiuas, quæritur an ex natura ſua habeat partes, ponibiles in partibus loci, nempe ſurſum, & deorſum, ante, & retro, dextra, vel ſiniſtra.

Secundò Notandum ex Ariſtotele lib. de Inceſſu Animalium cap. 4. & in hoc 2. libr. de Cęlo ſum. 2. cap. 1. quod huiuſmodi ſex poſitiones nequeunt reperiri in omnibus corporibus quantis, ſed tantum in vita præditis, & animatis, neque vniuerſaliter in his omnibus etiam, verùm duntaxat in animalibus perfectis, vt ſunt homines, quadrupedia, & bipedia bruta, vt in talibus locis clariſſime oſtendit: Ex quibus neceſſariò inferendum eſt, quod licet Cœlum ſit, ſecundum ipſum, animatum anima aſſiſtente, & non informante, cùm tamen ob id non ſit vita prædictum, neque animal perfectum, non poſſit, ex natura ſua, habere aliquam ex prædictis poſitionibus, ſecundum Ariſtotelem, vnde ſi aliquo pacto videantur ſibi ab eodem attributæ, hoc erit tantum extrinſecè, & per quandam ſimilitudinem, vt probauimus cum Doctore Subtili in præcedenti libr. 1. diſp. 2. qu. 2. Concluſione 2. & reſpondendo ad ſecundam obiectionem.

Tertiò Notandum ex eodem Ariſtotele in hoc 2. libr. capit. 2. t. 8. quod huiuſmodi poſitionum differentiæ, vt aliquo pacto poſſint accomodari Cęlo, dupliciter attendi poſſunt, vel vt ſunt principia magnitudinis, vel vt principia motuum diuerſorum. Si priori modo attendantur ſurſum eſt longitudinis principium, deorſum verò oppoſiti termini: dextrum eſt principium latitudinis, & ſiniſtrum oppoſiti: ante verò eſt principium profunditatis, & retro oppoſiti, ſiuè illius terminatio. Si autem poſteriori modo ſpectētur ſurſum eſt principium augmenti, deorſum decrementi: dextrum eſt motus localis principium, & ſiniſtrum oppoſitæ quietis: ante verò eſt ſenſationis principium, retrò autem oppoſiti. Ex his infertur, quod ſi tales differentiæ vtroque modo conſiderentur, nequeūt adaptari Cęlo, ſaltem ex natura rei, alioquin nulla eſſet differentia inter corpora animata, & inanimata, ſiquidem quodlibet corpus, cùm longum, latum & profundum exiſtat, haberet in ſe huiuſmodi principia, ſaltem ab extrinſeco, ſicut Cęlum ab Intelligentia, & per conſequens quęcunque corpora haberent ab intrinſeco, vel ab extrinſeco, ſex poſitionum differentias, quod tamen repugnat his, quę ſubdit in t. 9. dicens: *Quapropter, & non in omni corpore, ſurſum, & deorſum, & dextrum, & ſiniſtrum, & ante, & poſt, quærendum eſt, ſed in ijs, quæ cum animata ſint, motus principium in ſeipſis habent, in nullo enim inanimatorum videmus vnde eſt principium motus.* Concludendum eſt igitur, ſecundum mentem Ariſtotelis, quod ſi aliquo pacto adaptentur huiuſmodi poſitionum differentiæ, ex eo, quod ſit animatum per aſſiſtentiam, hoc erit tantùm extrinſecè, & per quandam ſimilitudinem, non verò intrinſecè, & ex natura rei: quandoquidem Intelligentia motrix non tribuit Cęlo aliquem gradum vitæ, nec vegetatiuum, nec ſenſitiuum, nec motiuum, nec intellectiuū, in quibus fundari poſſint huiuſmodi poſitiones, ſed tantum extrinſecè mouet cęlum circulariter, adeò vt quicumque punctus cęleſtis, ſecundum talem motum, poſſit ſucceſſiuè dici oriens, & occidens, dexter, & ſiniſter anterior, & poſterior, vt probat Scotus in 2. d. 2. q. 5. ſub A, ſicque intelligendus eſt Ariſtoteles, cum in t. 13. aſſerit dari in Cęlo ſtellato omnes poſitionum differentias, aliter ſibi contradiceret, cum alibi aſſeueranter oppoſitum docuerit, vt viſum, & probatum eſt ſupra.

Quartò Notandum eſt, vt aduertit etiam Scotus in 2. d. 2. q. 5. ſub A, quod qui tenēt, dari omnes poſitionum differētias per analogiam ad corpora animata, ſic explicant ſuam ſententiam: Fingunt enim quendam hominem extenſum ſuper axem Mundi, cuius facies ſit verſus meridiem, caput in polo Antarctico, & pedes in Arctico; tunc ſurſum, quod ſumitur à capite, erit in Antarctico, deorſum, quod accipitur à pedibus, erit in Arctico: dextrum erit in oriente, & ſini-

ſiniſtrum in occidente: ante in meridie, & retro in ſeptentrione. Et quoniam longitudo conſpicitur inter ſurſum, & deorſum, longitudo Cœli erit ab vno ad alterum polum, latitudo, ab oriente ad occidentem, & profunditas, ſeu altitudo illius à puncto meridiei ad punctum mediæ noctis, & hoc quoad magnitudinem. Quoad motum verò, quoniam à dextera hominis incipit motus localis, ſic in Cœlo, motus eius incipiet à puncto orientis, quod eſt eius dextera, & quia motus eius fit ab oriente per meridiē, ad occidentem, in meridie erit ante, in occidente ſiniſtrum, & in angulo mediæ noctis, oppoſito meridiei puncto, erit retro. Cæterùm hæc omnia, cùm nullum habeant fundamentum in Cęlo, ſunt mera figmenta, & imaginationes Poëtarum, & Geographorum, deridenda potiùs à Philoſopho, quam ſuſtinenda, ac tuenda methodo ſcientifico: Quandoquidem Cęlum, cùm ſit figuræ rotundæ, & perfectè ſphæricū, non habet fundamentum, vndè poſſit concipi longitudo diuerſa à latitudine, & profunditate: ſimiliter quia eius motus eſt circularis, cōtinuus, & perpetuus, ac regularis non habet, vnde magis poſſit influere virtutem parti dexteræ, quam ſiniſtræ; neque quod vnus pūctus ſit magis oriens, à quo poſſit concipi principium motus, quam alius, ſiquidem omnes puncti ſucceſſiue fiunt orientes, & occidētes, dextri, ac ſiniſtri, cū in omnibus, ac ſingulis ſit æqualis virtus, vt poſſint fundare prædictas poſitiones, quod non eſt dicendum de animalibus, igitur nequeunt concipi diſtinctæ in Cœlo, per analogiam ad homines, & cætera animalia perfecta, vt non benè philoſophati ſunt Doctores tertię ſententiæ. Melius ergo dicendum eſt cum prima opinione, non dari huiuſmodi poſitiones in Cœlo, neque ex natura rei, neque per analogiam ad animalia, ſed tantum per denominationem extrinſecam ad animalia, vt mox probabimus.

Ex his ſit prima Concluſio. Cęlum ſtellatum, ſiue primum Mobile, neque ex natura rei, neque per analogiam intrinſecam deſumptam ab Animalibus perfectis, habet ſurſum, & deorſum, dextrum & ſiniſtrum, ante, & retro. Eſt Doct. Subtilis in 2. d. 2. q. 5. ſub A, & colligitur ex eodem lib. d. 14. q. 1. §. Secundum Theologos &c. contra ſecundam, & tertiam ſententiam. Probatur prima pars, quia huiuſmodi poſitiones, ſecundum Ariſtotelem in hoc 2. lib. t. 9. & lib. de Inceſſu Animalium capit. 4. conueniunt ex natura rei ſolùm corporibus animatis, anima informante, vt ſunt animalia perfecta, ſed Cœlum ſtellatum, ſeù primum Mobile, non eſt ſic animatum, quia nec anima vegetatiua, nec ſenſitiua, nec motiua, nec intellectiua, vt probauimus in 1. libr. huius operis diſp. 2. q. 2. ergo ſecundum Ariſtotelem Cœlo nequeunt conuenire ex natura rei omnes poſitionum differentiæ. Secundo probatur, quia huiuſmodi poſitiones poſſunt attendi, in quibus ex natura rei reperiri valent, vel quoad principia magnitudinis, ideſt ſecundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem: vel quoad principia motuum diuerſorum, vt patet in animalibus perfectis, vt docet Ariſtoteles in hoc 2. lib. ſum. 2. cap. 2. t. 8. ſed neutro modo poſſunt reperiri in Cęlo ſtellato, vt ſatis extat probatum ſupra in duobus poſtremis Notabilibus, ergo Cœlum ſtellatum nequit ex natura ſua, habere ſurſum, & deorſum, ante, & retro, dextrum, & ſiniſtrum. Secunda pars probatur, quia Cęlum habere omnes poſitionum differentias per analogiam ad animalia perfecta, eſt ipſum habere virtutem fundamentalem, vt quis poſſit concipere tales denominationes, nempè ſurſum, & deorſum, dextrum, & ſiniſtrum, ante, & retro, vt apparent in animalibus, ſed in Cęlo non reperitur huiuſmodi virtus fundamentalis ergo nec tales denominationes in eo reperiri valent. Maior conceditur ab Auctoribus tertiæ ſētentiæ, cùm ſit illorum fundamentum. Minor probatur, tùm quia ſi ſpectentur huiuſmodi poſitiones quoad magnitudinem, cū Cœlum ſit perfectè ſphæricum, ac rotundæ figuræ, nequit habere fundamentum, vt concipi poſſit in ipſo longitudo maioris magnitudinis, quam ſit latitudo, & profunditas, vt apparet in quouis animato perfecto, ergo neque denominationes ſecundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem concipi poſſunt; Antecedens patet, quia in corpore perfectè ſphærico, ſi à centro ad quamlibet partem circumferentiæ protrahantur lineæ, omnes erunt æqualis magnitudinis, vt conſtat ex demonſtratione mathematica. Conſequentia tenet, ſiquidem denominationes habent cōcipi

cipi

Digitized by Google

cipi ſecundum virtutem fundamentalem alioquin forent figmenta, igitur cum talis deficiat in Cœlo perfectè ſphærico, & illas deficere neceſſe erit: tùm ſecundo quia ſi ſpectentur vt ſunt principia motus augmẽtationis ſecundum longitudinem, localis penes latitudinem, & ſenſationis ſecundum profunditatem, nec etiam valent habere fundamentalem virtutem in Cœlo: quandoquidem Cœlum mouetur circulariter, & motu continuo, atque adeò non poſſunt concipi puncta determinatè, vt vnum denominetur magis oriens, quàm occidens, vel magis meridionalis, quàm ſeptentrionalis, ſiquidē ſucceſſiuè omnia ſunt oriens, occidens, meridionalis, & ſeptentrionalis reſpectu circumlationis continuæ, ſecundum quam voluitur ſphæra Cœli ſtellati, ergo in nullo puncto concipi poterit determinatè denominatio ſurſum, & deorſum, dextrum, & ſiniſtrum, antè, & retro, vt ſunt principia motuum: tùm tertio quoniam in animalibus pars dextera eſt validior ſiniſtra, & proinde ab ea incipit motus localis, hoc autem prouenit, quia cor validiùs eidem communicat ſpiritus vitales, vt communiter tenetur cum Ariſtotele in libro de Inceſſu Animal. cap.4. ac alibi, ſed Cœlum non habet maiorem virtutem influendi validiùs in vnam partem, quàm in aliam, vt ab ipſa concipi poſſit potiùs ratio dextri, quàm ſiniſtri, cùm eius motus ſit ſemper regularis, & vniformis, ergo neque ex hac parte ſumi poterit analogia poſitionum in Cœlo per ordinem ad animalium poſitiones.

Secunda Concluſio. Poſitionum differentiæ attribui poſſunt duntaxat Cęlo ſtellato per quandam denominationem extrinſecã ad animalia, quomodo loquitur Ariſtoteles hic t.10. de corporibus inanimatis. Eſt conformis primæ opinioni, & colligitur ex Scoto in locis ſupracitatis, quem ſequuntur eius Diſcipuli, quamuis Maſtrius diſp. 2. q.6. num.178. & 179. videatur declinare in opinionem eorum, qui ſuſtinent, dari in Cœlo has poſitionum differentias, per quandam ſimilitudinem, & analogiam, deſumptam ab intrinſeco Cœli, per ordinem tamen ad poſitiones Animalium. Probatur concluſio ex Ariſtotele hic t.10. & de Inceſſu Animal. cap.4. vbi ponens differentiam inter corpora animata, & inanimata, inquit, quod illis conueniunt poſitionum differentiæ ab intrinſeco, his verò ab extrinſeco, & per ſolam referentiam ad nos, aut per ſimilitudinem ad noſtras, vt apparet in ſtatuis, ſed Cœlum ſtellatum eſt corpus inanimatum, ſaltem per informationem, vt probatum eſt in præcedenti libro diſp.2. q.2. concluſione 2. etiam ſecundum Ariſtotelem, ergo ſecundum ipſum ſibi duntaxat conuenire poſſunt poſitionum differentiæ ab extrinſeco, & per referentiam ad nos, aut per ſimilitudinem extrinſecam. Confirmatur, quia huiuſmodi poſitionum differentiæ nequeunt attribui Cœlo ex natura rei, neque per analogiam intrinſecam ad animalia, vt probatum eſt in præcedenti concluſione, ergo ſi aliquo pacto ei attribui poſſunt, hoc erit tantùm per denominationes extrinſecas à nobis deſũptas. Nec valet dicere, quod Ariſtoteles in t.13. apertiſſimè docuerit, Cœlum eſſe animatum, & ob id ſibi conuenire omnes poſitionum differentias, ſicut cæteris corporibus animatis: tùm quia locutus eſt de Anima aſſiſtente, & non informante, quæ eſt tantum principium motus extrinſecum, ac proinde de poſitionibus per denominationem ab ea extrinſecè deriuantibus, non autem ex natura intrinſeca ipſius Cęli: tùm etiam, quia non eſt locutus aſſertiuè, verum duntaxat arguitiuè, refellendo opinionem Pythagoricorum, ponentium in Cęlo tantum duas, & non omnes, poſitiones in Cęlo, nempè dextrum, & ſiniſtrum, cùm tamen ex admiſſione illarum, cogebantur ponere etiam reliquas, quæ ſecundum ordinem naturæ, apparent præcedere etiam inanimalibus, vt clariſſimè oſtendit in t.11. & 12. quod non obſcurè deprehenditur, cùm in t.12. poſt illorum impugnationem concludat: *Itaque, & quia omiſerunt maxime propria principia, iuſtum eſt ipſos increpare, & quia hæc in omnibus ſimiliter putabant in eſſe.* Cæterùm quoniam Pythagorici ſe tueri poterant ab huiuſmodi impugnatione, dicentes Cęlum carere principio ponendi alias poſitiones, quia non erat animatum, propterea, vt ſua ſubſiſtat impugnatio contra illos, ſubdit, Cęlum eſſe animatum, ac proinde ſibi iure conuenire omnes poſitionum differentias: En quomodo locutus fuerit de his poſitionibus arguendo, non aſſerendo: Neque

iuuat,

iuuat, quod illas deſignauerit in Cęlo, ponendo longitudinem à Polo ad Polum; latitudinem ab oriente ad occidẽtem, & profunditatem à meridie ad ſeptentrionem; quandoquidem vt aduertit Scotus in 2. d. 2. q.5. ſub A, hæc ſunt imaginaria, ac ſine fundamento prolata, vt probatum eſt à nobis etiam in præcedenti concluſione contrà tertiam opinionem, & ſolùm ad ſuſtinendam impugnationem, quam fecerat contra Pythagoricos; ſiquidem de mente propria oppoſitum debuit aſſerere, vt oſtendimus in primo libr. diſp. 2. quæſt. 2. ſupereſt igitur, vt dicamus, non dari in Cęlo poſitiones ab intrinſeco, ſed ſolum per extrinſecam denominationem, ac referentiam ad noſtras poſitiones.

Obijcitur tamen primo contra prędictas Concluſiones oppoſitum probando: Nam conſtat cęleſtia corpora habere virtutes influendi in hæc inferiora; conſtat etiam non poſſe exercere huiuſmodi influxus in generationes, & corruptiones, niſi moueantur ab oriente in occidentem; ergo ex propria natura poſtulant ſic moueri, atque ideò vt in oriente ſit dextra, à qua incipit motus localis, & ſic de cæteris principijs motuum augmentationis, & ſenſationis.

Reſpondetur negando conſequentiam quoad vtranque partem; quandoquidem quod ſic moueantur corpora cęleſtia non habent ex propria natura, cùm nullus detur punctus in circumferentia Cęli, qui ſit determinatè oriens, vel occidens, ſed omnes ſucceſſiuè poſſunt eſſe tales, verùm ſic moueri habent corpora cęleſtia à motu primi Mobilis, & huiuſmodi motum primum Mobile habet ab Intelligentia motrice totius Orbis; ac proinde malè infertur dari dexteram, à qua incipiat motus localis, & hanc eſſe ſitam in oriente, ſiquidem huiuſmodi denominationem habet Cęlum ſolum extrinſecè ab Intelligentia, & per referentiam ad nos.

Contra, quia ſicut pars animalis dicitur dextera, in qua viget motiua virtus totius corporis præ cæteris alijs eiuſdem partibus ob meliorem partis temperiem, naturamque firmiorem ad exercitium talis potentiæ; eadem ſimilitudine pars illa Cęli, in cuius ſitu imaginario reſidet Intelligentia, & cui primò applicat ſuam virtutem motiuam, dicitur dextera, quia habet virtutem inchoandi motum, & ei oppoſita ſiniſtra; & illa, quæ recipit virtutem, vt ſuper eam fiat motus, vocatur ſurſum, ac huius oppoſita deorſum, & tandem anterior dicitur ea, quæ recipit virtutem impulſiuam continuandi motum, eiuſque oppoſita poſterior, ergo ſaltem per ſimilitudinem, & analogiam ad corpora animata, erunt in Cęlo huiuſmodi poſitiones, & non ſolùm per denominationem extrinſecam.

Reſpondetur cum Doctore Subtili in 2. d.2. q.5. ſub A, negando conſequentiam, ſiquidem Ruuius, cuius eſt diſcurſus, ſupponit vnum falſum, nempe quod Intelligentia, in mouendo Cęlum, ſit in vna determinata parte, cui primum applicet ſuam virtutem, & per ipſam moueat ſucceſſiuè cæteras partes, & per partes totum Cęlum. In nulla enim parte poni poteſt Intelligentia primò ex eo, quod primò illam partem moueat; tùm quia nulla determinata pars eſt magis capax virtutis Intelligentię, quam vnaquæque alia, ſicut pars dextra in animali eſt magis capax virtutis animæ, quam ſiniſtra: tùm etiam, quia cum motus Cęli ſit continuus, & perpetuus, in nulla poſſet quieſcere Intelligentia, quin moueretur, ſaltem per accidens ad motum totius Orbis, quod non eſt dicendum de mouente totum Cęlum; vel ſi per ſe quieſceret in aliquo puncto, vt poſſet mouere primò illam partem, quæ quaſi fluens ſibi occurreret, non eſt aſſignabilis punctus, in quo quieſceret, nec aliqua determinata pars, vt ab ea poſſet inchoari motus, vt eſſet magis dextra, quam quæuis alia ſibi occurrens in fluxu circulari ipſius Cęli; igitur dicendum eſt, nullam poſſe aſſignari partem mobilem ab Intelligentia, quæ ad inſtar partis dextræ in animali, poſſit recipere immediatam virtutem mouendi cæteras, adeo vt poſſit ſubire denominationem dextræ, & oppoſita ſiniſtræ, & ſic de cæteris poſitionibus.

Obijcitur ſecundò. Poſitionum differentiæ exigunt in quibus ſunt partes hæterogeneas, & diſſimiles, ſed Cęlum eſt quoddam homogeneum, & figuræ rotundæ, ergo nullo pacto attribui poſſunt illi poſitionum differentiæ.

Reſpondetur maiorem eſſe de poſitionum differentijs ex natura rei conſideratis, & per denominationem intrinſecam: modò

Digitized by Google

dò nos attribuimus Cœlo poſitionum differentias tantum per referentiam ad noſtras, ac per denominationes extrinſecas, quia ſic poſſunt conuenire cuicumque corpori inanimato, cuiuſmodi eſt etiam Cœlum.

Contra, quia Cœlum, quamuis ſit expers animæ informantis, eſt tamen compos animæ aſſiſtentis, & mouentis, cum qua inſurgit quoddam compoſitum animatum, ergo ſi aliquo pacto ei attribui poſſunt poſitionum differentiæ, hoc non erit tantum per denominationem extrinſecam, & per referentiam ad noſtras, verùm ſibi conuenient cum aliquo fundamento in re, nempe ratione Intelligentiæ.

Reſpondetur negando conſequentiam, quandoquidem Intelligentia, præter motum circularem, nihil tribuit Cęlo, vndè deſumi poſſint poſitionum differentiæ ab intrinſeco, vt apparet in corporibus animatis per informationem, quapropter de illo, vt de cæteris inanimatis philoſophandum eſt.

Obijcitur tertiò. Quia ſurſum eſt principium augmenti, & ante ſenſationis initium, vt docet Ariſtoteles hic t.8. ergo cum Cęlum ſit penitùs expers augmenti, & ſenſationis vt idem aſſeruit in primo libro de Cęlo à t.20. & ſequentibus, inferendum eſt, quod neque per referentiam ad nos, ſibi conuenire poterunt huiuſmodi poſitionum differentiæ.

Reſpondetur negando conſequentiam, quandoquidem ex eo, quod Cęlum ſit penitùs expers augmenti, ac ſenſationis, infertur duntaxat, quod ſurſum, & ante non ſint in eodem ex natura rei, non autem quod ibi nequeant eſſe per referentiam ad nos, hoc eſt ad ſitum humani corporis: Nam quemadmodum pars Cęli, quæ eſt ad dexteram noſtram, dextera, & quæ ad læuam, ſiniſtra Cęli appellari poteſt, ſic ea, quæ ſupra nos, ſurſum, & quæ ante nos, ante, vocari debent in Cęlo, licet ſecundum veritatem, nulla poſſit dici, dextera, vel ſiniſtra, ſuperior, vel inferior, anterior, vel poſterior, vt ſatis explicatum fuit.

Vtrum Cœlum ſtellatum, prout complectitur orbes inferiores, influat in potentias Animæ rationalis.

QVÆSTIO II.

HAnc quæſtionem, quæ poſſet exagitari de influxibus Celorum in hæc inferiora generaliter, reſtringi volumus ad potentias rationales duntaxat, ſiquidem extendendo, influxum ſtellarum ad cætera ſublunaria, & quonam pacto deriuetur in eis per motum, aut lumen, vel per alia occulta media, ſatis abundè, ac luculenter, oſtendimus, & concluſimus in Meteoris lib.1. diſp.1. q.8. & loquendo generatim de influxibus Celorum ſatis egimus ibidem à q.2. vſque ad 7. incluſiuè, & lib.2. diſp.1. q.2. ac 3, alibique ſparſim, adeò vt non ſit opus de illis denuò diſputare abſque periculo repetendi, quæ iam dictam fuerunt; quamobrem iure merito debuimus difficultatem præſentem arctare ad potentias ſpirituales Animæ rationalis, cum de illis, in ſuperioribus libris hactenus impreſſis, nihil à nobis actum, geſtumque fuerit. Vnde circa hanc quæſtionem ſic limitatam nonnullæ verſantur opiniones, quarum prima fuit Empedoclis, Democriti, ac Homeri, vt refert, ac meminit Ariſtoteles lib.2. de Anima t.150. qui aſſeruerunt, intellectum, & voluntatem eſſe potentias corporeas, ac proinde ſubditas influxibus, & actionibus Corporum Celeſtium, vt ſunt aliæ potentiæ ſenſitiuæ, & vegetatiuæ.

Secunda opinio eſt quorundam Aſtrologorum, qui licet fateantur cum Ariſtotele, intellectum, & voluntatem eſſe potentias rationales, à ſenſitiuis eſſentialiter diſtinctas, ita nihilominus credunt, & docent habere eſſentialem dependentiam à virtutibus Corporum Celeſtium, vt non vereantur prædicere de illarum futuris euentibus, etiam liberis, ac ſi forent naturales, & effectus ſenſitiui. Hos percuſſit anathemate Siſtus V. in ſua Conſtitut. incipiente: *Cœli, & Terra Creator Deus* ſub dat. Romæ Anno 1585. nonis Ianuarij, & publicata Anno ſequenti die 9. eiuſdem Menſis, quam poſtea confirmauit Vrbanus VIII. per aliam ſuam Conſtit. incip. *In-*

Digitized by Google

Inſcrutabilis Iudiciorum Dei altitudo &c. De anno 1631. Kal. Aprilis, publicatam Romæ ſub die 10. eiuſdem Menſis, & Anni.

Tertia autem vera, & catholica opinio ſuſtinet, quod licet corpora cœleſtia poſſint agere per motum, & lumen, in hæc inferiora corporea, actione directa, & immutatiua, nequeunt tamen attingere directè intellectum, & voluntatem Animæ rationalis, aut alia entia ſpiritualia, eadem actione immutatiua, & directa, vt prætendunt Aſtrologi Geneliaci, & Iudiciarij. Ita communiter Theologi, ac Philoſophi Catholici, quos referunt Recentiores, & præſertim Doct. Subtilis in 2. d. 14. q. 3. §. Quarto dico &c. & in 4. d. 43. q. 3. ſub C, & D, quem ſecuti ſunt eius Diſcipuli, & ex alienis Conimbricenſes in 2. de Cęlo cap. 3. q. 8. & 9. Roccus q. 6. Ruuius ibid. q. 5. Compronus de Cœlo diſp. 2. ſect. 4. Serbellonus diſput. vnica q. 5. art. 3. quibus & nos libenter ſubſcribimus, & ob veritatem, & propter opinionem Magiſtri, quam ſequi tenemur.

Pro cuius declaratione, & fundamento, præter ea, quæ de influxibus Cęlorum obſeruauimus in lib. 1. Meteorolog. diſp. 1. & lib. 2. diſp. 1. q. 2. adnotandum eſt primò ex Doct. Subtil. in 2. d. 14. q. 3. ſub H. Cœlos agere in hæc inferiora poſſe contingere dupliciter, vno modo directè, & actione immutatiua, alio modo indirectè, & actione diſpoſitiua. Si priori modo attendatur actio corporum cęleſtium, Cęli dicuntur agere in illa ſublunaria, quæ immediatè poſſunt generare, & corrumpere, ſeù alterare ad qualitates conuenientes, vel diſconuenientes, cuiuſmodi ſunt omnia corpora, tam ſimplicia, quam mixta, cùm animata, tùm inanimata. Si verò poſteriori attendatur modo, agunt in illa, quæ immediatè non generant, neque corrumpunt, aut alterant, ſed quæ ad generationem, & corruptionem, vel alterationem aliorum ordinantur, vel deordinantur, inclinantur, vel alliciuntur, vt ſunt intellectus, & voluntas in nobis, quæ cum ſint ſpirituales potentiæ nequeunt à Cęlis, aut eorum influxibus aliquid recipi, vel pati immediatè; tamen quia pro ſtatu iſto nihil eſt in intellectu, vel voluntate, quin prius fuerit in ſenſu, ſiue cognitiuo, ſiuè appetitiuo, ſequitur quod ad ordinationem, vel deordinationem, aut alterationem ſenſuum, etiam ordinatur, vel deordinatur intellectus, vt patet in phreneticis, ac lunaticis, & voluntas inclinatur ad malum, vt videre eſt in luxurioſis, ac deditis ad furandam rem alienam, & ad ludendum aleis, vt vix, aut nunquam abſtineri queant, quamuis agnoſcant ſe fore ponendos, ac etiam poſitos in manifeſto diſcrimine vitæ, tam ſpiritualis, quam corporalis.

Secundò Notandum ex eodem ibidem, voluntatem humanam moueri à Cęlis diſpoſitiuè, poſſe dupliciter intelligi, vno modo efficaciter, itaut nequeat eorum actioni, ac motioni reſiſtere, aut reſilire; alio modo inefficaciter, alliciriuè, & quaſi ſuaſiuè medijs ſenſibus, quibus inexa, & alligata tenetur. Priori modo Cęli non poſſunt agere in voluntatem humanam, quia eſt domina ſuorum actuum, ac ſui conſenſus independenter à qualibet re creata: At poſteriori modo vtique agere valent in eandem; ſiquidem agunt in ſenſus, illos alterando, qui poſteà trahunt illam, atque alliciunt ad conſentiendum appetitui ſenſitiuo, iuxtà illud Poetæ: *trahit ſua vnumquęque voluptas*, & propter hanc pronitatem ad ſequendum appetitum ſenſitiuum, motum ab influxibus Cęlorum, accidit, vt nonnunquam Aſtrologi valeant pronoſticare de moribus hominum, non tamen neceſſariò, ſed contingenter, cùm voluntas, contra inclinationem, & allicitionem appetitus ſenſitiui, poſſit velle oppoſitum, ſequendo legem rationis potiùs, quam ſenſus, vt quotidiè experientia teſtatur, ſiue bonum, ſiue malum amplectendo, vel fugiendo.

Ex his fit prima Concluſio. Cęlum ſtellatum, ſiuè vt præſcindit, ſiuè vt complectitur cęleſtia corpora inferiora, nequit influere immediatè in potentias intellectuales Animæ rationalis. Eſt Scoti in 2. d. 14. quæſt. 3. H, & in 4. d. 43. quæſt. 3. C, & d. 44. quæſt. 1. Videturque definita de fide in pluribus Concilijs, ac Decretis Summorũ Pontificum, præſertim in Conſtit. Syſti V. ſuperius citata, vbi damnans Aſtrologorum Iudicialium temeritatem, inquit: *Sane, & mendacium magiſtrorum temeritas, & infelicium diſcipulorũ credulitas magnoperè deplorãda eſt, qui vel diuinis litteris admoniti, non intelligunt hominis præſtantiã, cui Cæli, & Stellæ, & clariſſima Cœli ſydera,* Sol,

Sol, & Luna, Deo ita diſponente, non imperant, ſed inſeruiunt, ſic enim Moyſes populum Dei, vt hunc errorem caueret, præmonebat: nè fortè eleuatis oculis ad Cęlum, videas Solem, & Lunam, & omnia Aſtra Cœli, & errore deceptus adores, & colas, quæ creauit Dominus Deus tuus in miniſterium cunctis gentibus, quæ ſub Cœlo ſunt. Deinde probatur ratione deſumpta ab eodem Doctore Subtili locis præcitatis, quia nullum agens corporale poteſt immediate agere in ſubiectum ſpirituale, ſiquidem inquit D. Auguſtinus 12. ſuper Gen. capit. 29. omne agens eſt præſtantius paſſo, & corpus non eſt præſtantius ſpiritu, ſed ecõuersò, atqui Cœlum eſt agens corporale, ſed intellectus, & voluntas ſunt ſubiecta ſpiritualia, ergo Cœlum ſtellatum, quouis pacto ſumatur nequit agere immediatè in potentias animæ rationalis, nempe in intellectum & voluntatem. Confirmatur, quia agens corporeum nequit operari, niſi in id, quod continet in eius potentia naturali, ſiquidem inter agens, & paſſum debet eſſe communicatio in materia, hoc eſt in genere, & diſſimilitudo in ſpecie; atqui Cœlum, cum ſit ſubſtantia corporea, & anima rationalis, ac eius potentiæ intellectuales, quæ ſunt ſubſtantiæ ſpirituales, non communicant in genere, ergo Cęlum nequit agere in animam, & eius potentias intellectuales. Maior eſt Ariſtotelis in primo de Generat. & Corrupt. t. 50. dum inquit: *Neceſſe eſt, & patiens, & faciens genere quidem ſimile eſſe, & idem, ſpecie autem diſſimile, & contrarium: natum enim eſt corpus quidem à corpore pati, ſapor à ſapore, à colore color, omninò autem quod eiuſdem generis ab eo, quod eiuſdem generis:* & reddit rationem in t. 51. dic ait: *Huius autem cauſa eſt, quod contraria in eodem genere ſunt omnia: faciunt autem, & patiuntur contraria abinuicem*: ergo agens corporeum nequit agere niſi in patiẽs corporeum eiuſdem generis. Minor eſt eiuſdem in primo de Cœlo à t. 1. ac ſequentibus vſque ad t. 7. ac in tertio de Anima t. 6. & t. 19. ac 20. & alibi pluribus in locis, ac proinde nequit Cœlum ſtellatum agere immediatè in potentias intellectuales animæ rationalis.

Secunda Concluſio. Cęlum ſtellatum, ſiue vt præſcindit, ſiue vt complectitur Orbes inferiores, nequit efficaciter, & directè agere in voluntatem humanam. Eſt communis cum Scoto in locis ſupracitatis. Probatur tùm quia Cœli directè ſolùm agunt in corpora corruptibilia cuiuſmodi non ſunt animæ rationalis appetitiua, & cognitiua potentiæ, vt patet in primo Nor. tùm ſecundo, quia Cęli cauſarent actus voluntatis, ſiquidem illam mouerent: tùm tertio, quia tolleretur libertas voluntatis: nam cauſa mouens mota, eo modo mouet quo modo eſt mota vt probat Scotus in 1. d. 39. §. Contra iſta argutum eſt &c. ergo ſi voluntas mouetur à Cęlis, qui mouent neceſſariò, & non libere, cum ſint agentia naturalia, ſequitur voluntatem mouere, & agere neceſſariò, & ſic tolleretur libertas: tùm quarto, quia tunc meritum, & demeritum attribueretur Cęlis, ſiquidem effectus tribuitur primo Motori, qui in tali caſu, eſſet Cęlum, quod eſt abſurdum, ergo dicendum eſt, quod nec Cęlum ſtellatum, nec Orbes inferiores agant directè in voluntatem humanam.

Tertia Concluſio. Cęli tamen mouent eandem voluntatem humanam indirectè, & diſpoſitiuè, non efficaciter, ſed allicitiuè. Eſt eiuſdem Doctoris Subtilis ibidem. Probatur prima pars, tùm quia id mouetur indirectè, quod aliquo pacto mouetur ad motionem alterius, quod mouetur directè, ſed voluntas humana ſic ſe habet reſpectu Cęlorum, ergo ab eis mouetur indirectè. Maior patet ex 1. Notab. Minor probatur, ſiquidem Cęli mouent directè ſenſus, ad quorum motionem inclinatur, & allicitur voluntas ad malum, vel ad bonum: tùm etiam quia Aſtrologi per aduenientes influxus Cęlorum multa prænunciant de moribus, & actibus voluntatis humanæ, vt exemplificatum eſt in Notabilibus, ergo ſignum eſt, quod Cęli ſuis influxibus aliquo pacto agant in voluntates hominum, alioquin non magis cognoſcerent vnum hominem, quam alium, ac proindè non magis pronunciarent hunc eſſe inclinatum ad luxuriam, illum ad continentiam, vel alium ad furtum, aut ludum, vt tamen faciunt, licet non ſemper cum æquali certitudine. Secunda pars patet, quia alioquin tolleretur libertas, neque voluntas reſiſtere poſſet appetitui ſenſitiuo illam inclinanti magis ad vnam partem, quam ad a-

liam,

liam, quorum tamen experimur oppoſitum in hominibus iuſtis, & ſectantibus dictamen rationis. Tertia pars ſimiliter eſt manifeſta, quandoquidem voluntas humana ob naturalem ſympatiam, aut colligantiam cum ſenſibus appetitiuis allicitur ad operationes eiſdem ſenſibus conformes, diſſonaſque dictaminibus rationis, ſed ſenſus patiuntur ab influxibus Cęlorum, ergo voluntas humana, ſaltem remotè mouetur, & agitatur à Cęlis.

Obijcitur primo contra primam Concluſionem, quia obiectum mouet directè intellectum, & voluntatem, ſed Cęlum, nedum proponi poteſt vt obiectum huiuſmodi potentijs, ſed etiam proponere obiectum ipſi voluntati, ergo Cęlum poteſt directè mouere, & agere in huiuſmodi potentias rationales. Maior patet, quia obiectum concurrens cum potentia cauſat actū indiuiſibiliter cum illa. Minor ſimiliter, quia Cęlum de facto mouet hæc inferiora, quæ poſſunt eſſe ab intellectu cognita, & volita à voluntate, ergo nedum erit obiectum illarum, ſed etiam propoſitiuum obiecti vtriuſque potentiæ.

Reſpondetur hic non agi de motione Cęli per modum obiecti, quia ſic certum eſt Cęlum directè, & immediatè poſſe mouere intellectum, & voluntatem, ſiquidem poteſt eſſe cognitum, & volitum, ſed de motione per modum cauſæ extrinſecæ influentis, & ſic nequit agere directè in huiuſmodi potentias, vt probatum eſt.

Vel dicendum, quod ſi ſermo ſit etiam per modum obiecti mouentis in ordine ad voluntatem, non poſſe illam neceſſitare ad volendum, vel nollendum obiectum; tùm quia vel agit per modum cauſæ minus principalis, vel forſitan per modum conditionis ſine qua non, vt innuit Doct. Subtilis in 2. d. 25. quæſt. vnic. tùm etiam quia Cęlum proponit obiectum voluntati tantum indirectè, & mediante alio, ac propterea nequit mouere volūtatem ad actum eliciendum efficaciter, ſiquidem poteſt ſuſpendere actum ſuum, vel per alium actum, vel liberè omittendo obiectum, vt oſtendimus in Tractatu de Libero Arbitrio quæſt. 25. ac alibi.

Obijcitur ſecundo, quia Dęmonum voluntates ſunt potentiæ liberæ, ac ſpirituales, vt hominum, ſed illæ patiuntur ab influxibus Cęlorum immediatè, directeque, ergo & iſtæ. Minor ſuadetur, quia obſeſſi à Dęmonibus magis patiuntur ab eis in plenilunijs, quam in alijs quartis lunæ: tùm quia Arioli magis torquent Dęmones in certis horis, ac motibus ſyderum, quam in alijs: tùm etiam quia Dęmones torquentes energumenos fugiunt à ſuffimentis factis cum certis hærbis, collectis ſub quibuſdam conſtellationibus Aſtrorum, & non alijs temporibus, ergo inferendum eſt, horum voluntates moueri poſſe ab influxibus Cęlorum.

Reſpondetur negando Minorem. Ad probationem primam conceditur, quod obſeſſi magis patiantur à Dęmonibus in plenilunijs, quam in cæteris lunæ quartis, non quia voluntates eorum patiantur ab huius Aſtri influxibus, & ob id, quaſi vocentur, & excitentur ad maiorem hominum vexationem, ſed quia cum Dęmones nequeant imprimere aliquam qualitatem alteratiuam corporum, niſi applicando actiua paſſiuis, obſeruant motionem lunæ in quarta creſcente, in qua magis patiuntur hominum cerebra, vt inde occaſionem abripiant alterandi operationes animales à cerebro proficiſcentes. Ad ſecundam, & tertiam ſimul dico Dęmones, nec torqueri poſſe, aut cogi eorum voluntates ab Ariolis certis, ac ſtatis horis, aut quibuſdam influxibus mediantibus, quaſi hiſce moueantur eorum voluntates ad agendum, vel non agendum ſecundum Ariolorum, ſeù Magorum nutus: neque fugere, aut euocari ad præſentiam quorundam lapidum, vel ſuffimentorum, quaſi ab eis pati, vel cogi valeant, tamquam ab agentibus naturalibus, verùm duntaxat ex pacto, aut inito fędere cum Maleficis, cui ſe obligarunt, vt præſtò ſint cum vocantur, aut abſcedant cum minantur, aut hominum corpora vexent, ſi ab eis præcipiantur, vt docet Diuus Auguſtinus lib. 2. de Ciuitate Dei cap. 6.

Vel dicendum hæc, & ſimilia fieri à Dęmonibus in exitium hominum, quos perpetuo proſequuntur odio, non verò ſemper, ſed ſtatis temporibus, aut ſub Aſtrorum conſtellationibus determinatis, vt ſub cauſarum naturalium actionibus, propriã tegentes rabiem, ipſi videantur immunes

cum

cum mala, quæ patiuntur obſeſſi, ab influxibus Cęlorum deriuari videantur, & non ab ipſorum nequitia, quod adnotarunt nonnulli ex Sanctis Patribus, & præſertim ex D. Thoma 1. p. q. 115. art. 5.

Obijcitur tertio contra ſecundam Concluſionem. Si Cęli diſpoſitiuè, & indirectè agunt in voluntates hominum, hoc potiſſimum euenire poteſt mediante ſenſu, ſed conſequens videtur abſurdum, quia inferior nequit agere in ſuperiorem cauſam, vt ſe habent appetitus ſenſitiuus, & intellectiuus, ergo nequeunt mediante ſenſu agere in voluntatem indirectè, aut diſpoſitiuè.

Reſpondetur negando minorem. Ad cuius probationem dico, verum eſſe directè, & efficaciter, ac ratione ſui, falſum indirectè, inefficaciter, & allicitiuè, ac per quandam ſympatiam, quia voluntas videtur velle conſeruationem totius, & conſequenter dilectionem ſenſuum, qui ſunt partes, & organa totius, ac proindè ſinit ſe trahi à ſenſibus, vt operetur ſecundum motionem Cęlorum factam in illis.

Obijcitur quartò illud D. Iacobi capit. 3. Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua, abſtractus, & illectus, ſed ille, qui nedum allicitur, ſed & abſtrahitur, videtur moueri directè, ergo voluntas mouetur directè à ſenſu, & hic à Cęlis, ergo voluntas mouetur ſaltem indirectè efficaciter à Cęlis.

Reſpondetur, maiorem eſſe veram ratione vehementis repræſentationis, non tamen ratione efficacis, & directæ motionis; nam dum ſenſus vehementer delectatur in aliquo obiecto, etiam vehementer repræſentat intellectui, & hic voluntati, adeò vt illecta conſentiat, ſequaturque appetitum ſenſitiuum, non autem directè moueatur ab eo, aliquid recipiendo.

Contra, quia multoties, ex vehementi ſenſus delectatione, deperditur vſus rationis, & conſequenter libertas, vt patet in coitu, ergo ſignum eſt, quod ſenſus agat directè in voluntatem, alioquin non haberet tantam vim, ſi illam ſolùm diſpoſitiuè moueret.

Reſpondetur negando conſequentiam, ſiquidem hoc non euenit ob directam motionem ſenſus in voluntatem, ſed propter ordinem potentiarum nam cùm ſenſus deordinatur, intellectus quoque deordinatur, & voluntas, quod ſæpiùs accidit in vehementi dolore, aut delectatione, vt aduertit, & probat optimè Doctor Subtilis in 2. d. 14. q. 3. ſub K.

Vtrum Aſtrologi, ex proſpectu Cœlorum, ac obſeruatione Aſtrorum, poſſint aliquid certò prædicere, & quid?

QVÆSTIO III.

Qvamuis ex dictis, & probatis in præcedenti quæſtione poſſet eſſe facilis, & adæquata reſponſio præſenti difficultati, & eò magis quia iam excluſimus influxus directos, & immediatos corporum cęleſtium in potentias rationales, à quibus deriuari poſſent prædictiones, circa futuros hominum euentus, à ſolo libero arbitrio pendentes, nihilominus, vt clariùs appareat Aſtrologorum Iudicialium, & Genethliacorum vanitas, ac falſitas in prædicendis ijs, quæ à Deo, & ab humana dependent duntaxat voluntate, denuò huiuſmodi materiam examini Doctorum ſubijcere decreuimus, vt indè pateat quid pronunciare poſſint, aut reticere debeant huiuſmodi facultatis Profeſſores ex obſeruatione ſyderum, ac Cęlorum motibus in hæc inferiora.

Tres Philoſophorum, ac Theologorum opiniones recenſet Timplerus libr. 4. de Stellis cap. 4. Probl. 6. ab inuicem diſſidentes: Nam aliqui ita abhorrent ab huiuſmodi diuinatione per Aſtra, vt illam veluti inutilem, vanam, & impiam, ac à veris Chriſtianis omninò fugiendam, penitùs reijciunt. De his legendus, inter cæteros, Ioannes Piccus Mirandul. in ſua Apolog. contra Aſtrologos.

Alij verò, ex diametro oppoſiti, tantùm ſtellarum obſeruationi tribuunt, vt inde omnes futuros euentus, cùm naturales, tùm liberos conijcere, ac certò prædicere poſſe, ſe iactent. Cæterùm horum iactantiam, veluti ſuperſtitioſam, ac à veritate omninò aberrantem damnarunt olim leges Ciuiles, & Canonicæ, vt refferunt Conimbricenſes lib. 2. de Cęlo cap. 3. qu. 9. art. 2. & nouiſſimè Sixtus V. in ſua Conſtitutione, quæ incipit: *Cœli, & terra Creator*

tor &c. ac Vrbanus VIII. in ſua incipiente: *Inſcrutabilis Iudiciorum Dei altitudo &c.* quarum meminimus in præcedenti quæſtione.

Alij demùm, media incedentes via, nec penitùs eliminant Aſtrologiam Iudiciariā, nec illam omninò adſtruunt, ſed quædam ex ea præcognoſci, quædam verò nequaquam, ſaltim certò, & infallibiliter poſſe, tutiùs aſſeuerant. Ita communiter Philoſophi, ac Theologi ex Sacra Scriptura, Concilijs, Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac Sanctorum Patrum Doctrini, confirmant, quibus & nos ſubſcribimus cum Doctore Subtili in 2. d.14. q.3. per totam.

Pro huius opinionis declaratione, & fūdamento, ac cæterarum confutatione, notandum eſt primò, Aſtrologiam communiter diuidi in naturalem, & Iudiciariam. Naturalis eſt facultas, quæ ex ſitu, curſu, motuque Aſtrorum, ea quæ naturaliter euenire ſolent, conſiderat, coniectatque, cuiuſmodi sūt generationes Ecclipſis, Pluuiarum, Tempeſtatum, Grandinum: & aliorum effectuum ab Aſtrorum vi, mediatè, vel immediatè pendentium, & hæc deſeruit Medicinæ, Agriculturæ, & Nauigatoriæ. Iudiciaria verò eſt, quæ Syderibus, ac Aſtris varios influxus adſcribens, ex eorum proſpectu, ac obſeruatione, multiplices euentus, tùm caſuales, tùm à libera hominum voluntate pendentes, ſe certò noſcere, ac pronunciare profitetur: Et hæc partitur in Reuolutoriam, quæ prædicit totius anni belli, paciſque viciſſitudines, aeris ſalubritatem, agrorum caritatem, vel fertilitatem, animalium mortalitates, & ſimilia: Genethliacam, quæ natiuitatum hominum conditiones, & accidentia obſeruat, ferens iudicium ſuper his, quæ nato toto curſu vitæ ſuæ euentura ſunt, ſiue bona, ſiue mala: & Electiuam, quæ docet, quid ſingulis in rebus conſultò eligendum, aut omittendum, vt futura proſperè, fæliciterque contingant. Si de Aſtrologia naturali ſit ſermo, certum eſt poſſe in tali ſcientia peritos, ex Aſtrorum proſpectu, & obſeruatione multos effectus pronunciare ad Medicorum, Agricolarū, & Nautarum inſtructionem ſpectantes, ſiquidem huiuſmodi effectus non ſunt per ſe occulti, ſed verè indicari ac demonſtrari poſſunt per ſuas cauſas, cuiuſmodi ſunt Cælorum motus, Aſtrorum curſus, ſyderum aſpectus, & conſtellationes, vt potè ſub ſenſibus cadentes. Si verò de Iudiciaria agatur, ac potiſſimùm ea parte, quæ reuolutiones, ac temporum viciſſitudines ſcrutatur, non ſunt damnandi, imò laudandi illi Aſtrologi, qui talia ex Aſtrorum reuolutionibus, præuidentes, prænuntiant futuros euentus hominibus, vt ſibi cauere poſſint, nè malignis influxibus ſubiacere cogantur. Hanc docuiſſe filios ſuos, & per ipſos poſteros, Noemum, Abrahamum, Moyſem, & alios Antiquos Patres, qui Domino placuerunt, vt non ſolùm de his, ſed etiam de primo Parente Adamo adnotarunt Diuus Auguſtinus Epiſt. ad Ianuarium Diuus Chryſoſtomus orat. 9. ex additis tom. 5. apud D. Hieronymum, & homil. 6. in cap. primum Gen. ad illa verba: vt ſint in ſigna, tempora, Dies, & Annos. Sixtus Senenſis libro 15 capit. 11. Bibliothecæ Sanctæ. Veroſus de Noe libro tertio Origen. homil. 28. Tertullian. Arnobius, & alij apud Bernardum Aedret. de Antiquit. Hiſpaniæ libro 4. capit. 12. Verùm loquendo de illis partibus, qua Genethliaca, & Electiua appellantur, cum reſpiciant hominum voluntates, influxibus Aſtrorum nequaquam ſubiectas, vt ſuperſticioſas, impias, & artem diabolicam ſapientes, vt communiter reijciunt Sancti Patres, Concilia, & Conſtitutiones Summorum Pontificum, ſic damnandi ſunt earumdem ſectatores, nec illis fidendum, cùm de futuris contingentibus ab humano pendentibus arbitrio, euentura prædicunt.

Secundò Notandum, pro horum maiori claritate, triplicia eſſe futura: quædam habent determinatam cauſam, & infallibilem, vt ſunt ea, quæ determinatè circa Cœli motum contingunt, nempè quod Sol debeat oriri cras, quod lucifer, & Heſperus quotidiè appareant, quod tali tempore Luna, & Sol Ecclypſim, ſeu deliquium patiantur: Alia ſunt futura, quæ à cauſa determinata quidem, ſed fallibili pendent, cuiuſmodi ſunt effecta ſublunaria, quæ ob inferiorum cauſarum defectum impediri poſſunt, licet in ſuperioribus habeant determinatam cauſam, vt quod ager benè cultus, ex benefico Cœlorum influxu, vberem fructum pariat, quāuis ex impeditionum occurſu oppoſitum

Digitized by Google

quandoque eueniat. Ad hæc accedunt pluuiæ, grandines, venti, turbines, & alia, quæ Aſtrologi prænunciant futura, & ob impedimenta occulta, ſæpè irrita fiunt. Sanitas quoque, vel mors, quæ aliquibus de cauſis, ægrotis accidere deberent, aliundè impeditionem recipiunt. Alia tandem ſunt futura, quæ à cauſa omninò libera, indeterminatè, & contingenter agente ortum trahunt, & eiuſmodi ſunt, quæ pendent à libero arbitrio, ac ſe ſe habent ad vtrumlibet, quia voluntas eſt indiſcriminatim ad oppoſita vertibilis, & fallaciter eueniunt, quæ ab ipſa penitùs cauſantur, alioquin non eſſet libera, ſed ad alterum determinata, quod eſſet deſtruere eius eſſentiam. Huiuſmodi effectus ſunt collationes dignitatum, prællaturæ aſſecutiones, & huiuſmodi, quæ Aſtrologi Genethliaci, natis ſub talibus conſtellationibus, & aſpectibus Aſtrorum, prædicere ſolent, ita certò, vt veritatem Euangelicam prænunciare videantur, licet quaſi ſemper fallantur, ac alios fallant, & decipiant, ſi eis fides adhibeatur.

Tertiò Notandum ex Mathematicorum, & Aſtrologorum præſertim doctrina, quam refert Antonius Roccus libr. 2. de Cœlo quæſt.7. Aſtrologiam partiri in ſpeculatiuam, ſeu theoricam, & practicam. Speculatiua eſt, quæ vniuerſam Mundi molem, vt eſt in ſe, conſiderat, Mundique conſtitutionem deſcribit, & ſotam hanc Orbis compagem in ethæream, & elementarem diſtinguit, & ſic compræhendit ſub ſe, Aſtrologiam præſsè ſumptam, Geographiam, Chorographiam, & Topographiam. Aſtrologia præſsè ſumpta, Orbium cœleſtium motus, Aſtrorum numerum, & magnitudinem, omnium conſtellationum, ac ſignorum Figuras, & Imagines, Planetarum à ſeinuicem, & à terra diſtantiam, ortus, occaſus, progreſſus, ſtatus, regreſſus, coniunctiones, oppoſitiones, Solis, & Lunæ Ecclypſes, aliaque permulta inueſtigat, & contemplatur. Geographia eſt, quæ totum terræ, & aquæ globum penes partes vniuerſaliores ſpeculatur. Chorographia eſt, quæ particularis terræ loca, vt arua, flumina, ſyluas, valles, montes, alicniuſque Regionis peculiares partes expendit. Topographia res adhuc magis exiguas contemplatur, vt vrbium, turrium, palatiorum, ſitus; cæteraque ad hæc ſpectantia cognoſcit. Verùm enim verò, quia ſpeculatiua Aſtronomicis inſtrumentis, vt Aſtrolabio; ſeù Planiſphærio, Teleſcopio; ac varijs tabulis, in quibus penè infiniti numeri ſunt deſcripti, vt motus, ac diſtantias cœleſtium corporum inueſtiget, adhuc diſtinguitur in Gnomonicam, Meteoroſcopicam, & Dioptricam. Gnomonica eſt, quæ vmbras obſeruat, ex gnomorum poſitione horas diſtinguit, temporaque metitur, & artem moliendi Horologia Solaria ſub ſe continet. Meteoroſcopia eſt, quæ adhibitis inſtrumentis, in ſublime pendentibus, diſtantias, ac reuolutiones Orbium Cœleſtium rimatur. Dioptrica eſt, quæ vt prædictorum notitiam adipiſci valeat, inſtrumenta non pendentia, ſed in terra fixa exercet. Aſtrologia practica diuiditur in naturalem, & ſuperſtitioſam. Naturalis, quam alij Iudiciariam, ſeù Prognoſticam appellant, idest Diuinatricem, eſt, quæ Planetarum conſtellationes, ſignorumque naturas indagat, nempè quæ nam ex his ſint calida, quæ frigida, quæ temperata, quæ maſculina differit. Rursùs temporum mutationes, planetarum reuolutiones ſingulis diebus peractas, quas in tabulas digeſtas Ephemerides nuncupant, ſolerter intuetur, & hæc eſt licita, ac Medicis, Agricolis, & Nautis conceſſa, apprimè inſeruit ad ſua munia rectè obeunda. Superſtitioſa eſt, quæ improba temeritate, hominum mores, fortuitos ſucceſſus, actiones ex humana voluntate pendentes, & contingentia rerum diſcrimina audet prænunciare: & hæc eſt omninò vana inutilis, & paſſim legibus damnata; prohibetur in Codice à Iuſtiniano Imper. lib.9. t. 25. de Maleficis, & Mathematicis, à Concilio Bracharenſi 1. cap. nono, & decimo: Concilio Toletano in Aſſertion. fidei contra Priſcillianiſtas, & peculiaribus Decretis Sum. Pontificum, vt Martini V. capit. *non licet*. Alexand.III.cap. *ex tuarum* de Sacrileg.& nouiſſime ſub varijs pœnis, ac cenſuris vetita a Syſto V. & Vrbano VIII. in ſuis Conſtitutionibus ſuprà relatis pro ſecunda opinione, & contra huiuſmodi Sectatores.

Ex his ſit prima Concluſio. Aſtrologi futura primi generis, vt Aſtrorum motus,

Planetarum ortus, occaſus, aſpectus, & alia, quæ Cęlorum motum concernunt, certò valent prænoſcere. Ita docent Abbas Panormit. c. 2. de ſortileg. n. 7. Caiet. 2. 2. q. 95. ar. 3. Rodericus to. 1. Summæ cap. 7. n. 3. *Suarez* de Relig. to. 1. lib. 2. cap. 11. n. 2. Azòr. Inſtit. Mor. lib. 9. c. 13. Mart. del Rio lib. 4. Diſquiſ. Magicarum c. 3. qu. 1. Sanchez *in* opere Moral. lib. 2. c. 38. n. 27. Roccus loco cit. conc. 3. Conimbric. 2. de Cœlo cap. 3. q. 9. art. 2. concl. 1. & alij communiter. Probatur quia huiuſmodi effecta à Cęlorum reuolutionibus, quæ naturaliter firmo, & inuariabili ordine fiunt, ſolumodò pendent, ſed hominibus in Aſtrologia peritis hæc poſſunt eſſe perſpicua, ergo vt ab illis præcognita, certò poſſunt prænunciare, ac prædicere. Confirmatur, quia aliter Aſtrologia ſpeculatiua preſsè ſumpta non eſſet vera ſcientia, cùm non poſſet demonſtrare huiuſmodi paſſiones de Corporibus Cœleſtibus, quod nemò dixerit; ſiquidem Aſtrologia inter ſcientias Mathematicas ſpeculatiuas enumeratur ab Ariſtotele 6. Metaphyſicorum cap. 1. t. 2. & 3. ergo dicendum eſt, cum hæc ſit vera ſcientia, poſſe peritos in ipſa demonſtrare paſſiones Corporum Cœleſtium, quæ conſiderantur ab Aſtrologia, & ex eis effecta naturalia, ſuis temporibus, auentura prædicere certò.

Secunda Concluſio. Aſtrologi futura *ſecundi* generis, nimirum grandines, pluuias, ſterilitates, ſiccitates, morbos peſtilentes, ac alia huiuſmodi, quæ in his ſublunaribus, cœleſtium corporum influxu, præſertim accidunt, probabiliter poſſunt, non tamen certò prædicere. Eſt communis. Probatur prima pars, nam vis, efficientia, & influxus huius, & illius Aſtri, hoc, vel illo tempore dominantis, eos nequaquam latet, ergo diligenti coniectura, quæ indè prouenire poſſunt, non eſt negandum ab eis præſciti. Secunda pars probatur, quia teſte Auicena in ſua Metaphyſica ad talium effectuum cognitionem non ſatis eſt Cœlum agnoſcere, verum inferioris Mundi naturam, terrarum diuerſum ſitum, variam Regionum temperiem, omneſque proximas cauſas, quæ ad effectorum impedimentum, vel excitamentum aſpirant, Cœlique concurſum irritum efficere valent, opere pretium eſt dignoſcere, ſed hæc Aſtrologis incognita, aut ſaltem obſcura eſſe poſſunt, ergo certò nequeunt illa prædicere. Confirmatur ex Doct. Subtili in 2. d. 14. q. 3. ſub F. *quia ratio, quare Aſtrologi nequeunt determinatè indicare effectus orbium, & ſtellarum ſuper hæc inferiora eſt, quia non ſciunt perfectè qualitates, & virtutes ſtellarum concurrentium ad tàlem effectum, quas ſi cognoſcerent poſſent de his indicare: & ideò credo, quod Angeli habent harum perfectam notitiam, ita quod poſſunt de his benè indicare, & quoad tempus quando venturi ſunt illi effectus, & quoad qualitatem eorum, vel quantitatem, & etiam ſi talis effectus ſit impedibilis per aliam ſtellam: poterunt enim ſcire, quod non eleuabitur niſi tantùm de materia, vel ſic: & poſſunt ſcire ſi erunt venti diſſipantes, & in quo ſitu, & vbi diſſipabuntur, & cadent, hæc verò omnia, quæ non plenè nouerunt Aſtrologi, ideò nec plenè, nec perfectè, nec ſecurè de his poſſunt indicare: tot enim cauſas oportet ibi concurrere, quod nimis eſt difficile indicare de talibus.* Ergo ſecundum Doctorem Subtilem ſolùm Angeli, non verò Aſtrologi, poterunt certò, & ſine errore prædicere tales euentus futuros.

Tertia Concluſio. Futura tertij generis, ideſt actiones ab humana voluntate pendentes, & effecta contingentia à ſolo libero arbitrio, à nullo intellectu creato antequam exiſtant, naturaliter prænoſci queunt. Eſt communis Catholicorum, loquendo de cognitione certa, & indubitata, & eſt definita in Conſtitutione Syſti V. contra Aſtrologos his verbis: *Statuimus, vt contra facientes indicia, & natiuitates hominum, quibus de futuris contingentibus, ſucceſſionibus, fortuitiſque caſibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid euenturum affirmare audent, etiamſi id à ſe non certò affirmari aſſerant, aut proteſtentur, tam Ordinarij locorum, quam Inquiſitores hæreticæ prauitatis, vbique gentium deputati, diligentiùs inquirant, & procedant, atque in eos ſeueriùs Canonicis pœnis, & alijs eorum arbitrio animaduertant.* Probatur primo nam Aſtra ſuis influxibus nihil directè agunt in hominum intellectus, & voluntates, nec in actiones liberi arbitrij, vt probatum eſt in

præcedenti, ergo quantumcumque Aſtra intueantur, eorumque efficacitatem colliment, actiones humanas nequaquam prævidere valebunt. Secundò probatur huiuſmodi futura ex accidente, & contingenter eueniunt, ergo dubiam, & incertam cauſam ſortiuntur, ac proinde ex Aſtrorum intuitu innoteſcere nequeunt.

Quarta Concluſio. Aſtrologia Iudiciaria, quę futura contingentia ex libero pendentia arbitrio, fatetur ſe poſſe certò prædicere ex ſignis Cœlorum, Aſtrorumque obſeruatione, eſt ſuperſtitioſa, vana, inutilis, & omni iure prohibita, ac damnata. Eſt communis omnium Theologorum, cùm Veterum, tùm Recentiorum, ac etiam Canoniſtarum, quorum ad longum, & ad nauſeam vſque, meminit P. Iuniperus à Drepano de Caſibus Reſeruatis 3. p. diſp. 3. quæſt. 2. capit. 3. Probatur primo ex Sacra Scriptura, nam Iſaiæ capit. 47. Exprobatur Babylon, quod fidem adhibuerit Maleficis, Incantatoribus, & Auguribus ſuis, dicens: *Defeciſti in multitudine conſiliorum tuorum: ſtent, & ſaluent te Augures Cœli, qui contemplabantur ſydera, & ſupputabant menſes, vt ex eis annunciarent ventura tibi*, vbi Septuaginta legunt: *Aſtrologi Cœli, qui ſecundum D. Hieronymum ibidem, vulgò appellantur Mathematici, & ex Aſtrorum curſu, lapſuque ſyderum res humanas regi arbitrantur*. Item Hieremiæ cap. 10 ſubditur: *Iuxta vias gentium nolite diſcere, & à ſignis Cœli nolitę metuere, quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ ſunt*. Ergo ex Sacra Scriptura, vt vana, inutilis & ſuperſtitioſa reprobatur Aſtrologia Iudiciaria cum ſuis ſectatoribus. Secundò Probatur, quandoquidem c. illo. 26. quæſt. 2. dicitur; *Planetarios, quos Mathematicos vocant, Chriſtiana vera pietas repellit, & damnat*: *c. Sed, & illud*. inter alias ſuperſtitiones ponitur: *requirere ſtellarum curſus, & ex his euentus futurorum rimari ſuperſtitioſum eſt*. Et in Concilio Toletano 1. ſtatuitur: *Si quis Aſtrologiæ, vel Matheſi exiſtimat eſſe credendum, anathema ſit*. Ergo etiam ex Sacris Canon. reijcitur cum ſuis, vt ſuperſtitioſa, & falſa, fideique contraria. Tertiò Probatur ex Sanctis Patribus, nam D. Ambroſius libr. 4. Exam. capit. 4. D. Baſilius ibidem homil. 6. Anaſt. Sinaita ibidem conueniunt in hanc ſententiam, quam Olimpiodorus in Eccleſiaſtem cap. 1. & 7. *Quis nouit quid ſit homini bonum, aut quid futurum eſt ſibi? quis nunciabit, quid poſt eum futurum ſub Sole ſit? inquit, hæc auctoritas noſtri Eccleſiaſtæ omnem funditus euertit diuinandi ſuperſtitionem, vanaſque Aſtrologorum nugas de hominum genituris*. Diuus Auguſtinus libro 5. de Ciuitate Dei, & lib. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 20. reprobat illam Porphyrij inſaniam, qui Deos Gentium omnia ex ſtellis futura cognoſcere, ac prædicere poſſe, autumabat. Diuus Chryſoſtomus homil. 6. in Matthæum. Diuus Gregorius homil. 10. in Euangelia contra Priſcillian. hæreticos confutant hanc diuinatricem ſuperſtitionem ex Aſtrorum obſeruatione. Idem aſtruunt D. Cyprian. de Singul. Cleric. Epiphan. hæreſi 16. Iuſtin. ad Senatum Romanum, Theodoret. in Gen. quæſt. 16. Gregor. Neocæſar. in Eccleſiaſtem cap. 11. Gregorius Nyſſenus lib. 6. Philoſoph. capit. 1. Damaſcenus libr. 2. cap. 7. Lactantius Firmianus lib. 2. cap. 17. addens, Aſtrologiam Iudiciariam eſſe à Dęmonibus inuentam, vt homines fallant, ac decipiant. Quartò Probatur tandem rationibus, quandoquidem Aſtrologia Iudiciaria cùm docet prænunciare futura contingentia libera, aut actiones humanas à libero arbitrio pendentes ex proſpectu Cœlorum, & Aſtrorum, vel habet fundamentum in eis, tanquam in cauſis, vel tanquam in puris ſignis, ſed neutrum dici poteſt, ergo huiuſmodi prænunciatio nequit deriuari ab Aſtrologia Iudiciaria. Minor probatur, (ſiquidem maior conceditur ab Aſtrologis) Non poteſt dici fundari in Cœlis, & Aſtris, vt in cauſis, nam cum agant neceſſariò, & ad vnam partem determinata, tollerent libertatem voluntatis, & futurorum contingentiam, quod vtrumque inuoluit repugnantiam, & implicantiam in adiecto: præterquamquod actiones malæ, quamuis ab humanis voluntatibus prodeerent, attribuerentur Cœlis, & Aſtris, ac eorum Auctori Deo, quod eſt impium, & ſapit hæreſim Caluini. Neque dici poteſt, fundari in illis, vt in puris ſignis,

ſigni-

ſiquidem, cùm non forent naturalia, ſed ad placitum, non poſſent eſſe, niſi Dęmoniaca, ſicque, oſtenderent Aſtrologiam ſuperſtitioſam,& à Dęmonibus inuentam, vt Lactantium Firmianus autumat. Conſequentia patet, ſiquidem ſigna ad placitum, aut ſunt Diuina, aut Humana, aut Dęmoniaca, ſed huiuſmodi ſigna indicatiua actionum humanarum contingentium, non eſſent Diuina, quia Deus non vult tollere, ſed ſinere homines vti ſuo libero arbitrio; ſiquidem reliquit eos in manu conſilij ſui; nec eſſent humana, cùm in poteſtate hominum non ſit ad libitum vti rebus ſupercęleſtibus, igitur forent Dęmoniaca, & ex fœdere inito cum Aſtrologis, profeſſoribus huius Artis diuinatricis, & ſuperſtitioſæ. Denique ſuadetur à poſteriori, nam pro comperto habetur plures homines eodem tempore, eodem ſyderum aſpectu, eadem conſtellatione naſci, quibus diuerſa omninò ſtudia, diuerſa vitæ vſura, & exitus, ac diſſimiles rerum ſucceſſus contingunt: viceuerſa permultos, qui ſub diuerſis conſtellationibus in vitam ſunt ingreſſi, pleraque mira conuenientia, ac ſimilia obuenerunt, ergo vana, & inutilis eſt huiuſmodi Aſtrologia. Antecedens clareſcit ex Sacra Scriptura in perſonis Eſau, & Iacob, quibus, licet eodem temporis momento ex eodem vtero egreſſis, fuerunt diuerſa ſtudia, ac euentus varij, vt inquit D. Gregorius homil. 10. ſuper Euangelia. *Tamen cum vno tempore, eodemque momento vtrumque Mater fuderit, non vna vtriuſque vita qualitas fuit*. Confirmatur, quia ſtellæ, in quarum conſideratione verſantur Aſtrologi, non ſunt plures, quam mille, & vigintiduæ, ergo nullo modo fieri poteſt, vt innumeros hominum caſus, tamquam diſſimiles mores, & varios rerum euentus portendant. Confirmatur inſuper eorum vanitas, ſiquidem hi boni homines ſolùm obſeruant diem, horam, & minutum, quo puer editus eſt in lucem, atque extra vterum eſt emiſſus, nec obſeruant diem, & punctum conceptionis fœtus, efformationis corporis, & potiſſimum animationis, ergo vana cenſenda eſt eorum auguratio, ac prædictio. Conſequentia probatur, veriſimile namque eſt puerum, dùm eſſe ſubſtantiale acquirit, & maxime animatum, influxum quoque, & congruentes qualitates tunc recipere, ſed hoc acquirit, cum eius corpus efformatur, & animatur, & non quando extra vterum exiſtit, quia tunc ſolùm eſſe ſubſtantiali iam recepto, cum lucis vſura fruitur, ergo hinc maxime deprehẽditur eorum vanitas, cùm ab eis, quæ nequeunt eſſe cauſæ, ſuam prædictionem deducunt.

Hinc potiſſimum eluceſcit eorum Aſtrologorum miſeranda cæcitas, dum hac arte freti putant, ſe poſſe res occultas, ſiue pręteritas, ſiue præſentes, ſiue futuras, furta, & theſauros manifeſtare, quandoquidem ſi hæc accidant, nonniſi ex pacto cum Dęmonibus, & non ex obſeruatione Aſtrorum, ea præſtare poterunt, vt adnotarunt Alenſis 2. part. quæſt. 164. membr. 6. art. 3. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 11. numer. 27. Sanchez libr. Oper. Moral. cap. 38. num. 36. & Martinus Delrius libr. 4. Diſquiſit. Magicarum capit. 2. quæſt. 7. ſect. 4. ac alij, quibus addendi ſunt Rodericus noſter in Summ. tom. 1. capit. 7. num. 4. Salas 1. 2. quæſt. 9. art. 5. tract. 5. diſp. 2. ſect. 8. num. 79. & Sotus de Iuſtit. & Iure lib. 8. quæſt. 3. art. 2. ad tertium verſ. *in his autem*.

Obijcitur tamen primo contra tertiam, & quartam Concluſionem, quia experientia compectum eſt, multa futura contingentia à Dęmonibus prænunciata eueniſſe, ac fortuitos ſucceſſus ab Aſtrologis, fuiſſe verè prædictos, ſed huiuſmodi non potuerunt in ſeipſis præuidere, cùm nondum exiſterent, ergo præuiderunt illa Cęlorum vim, ac influxus inſpiciendo, ac proinde Aſtrologia Iudiciaria immeritò reijcitur.

Reſpondetur negando vtramque conſequentiam; nam futura à Dęmonibus prænunciata potuiſſe ſolùm coniecturali, ac incerta, non tamen certa, & infallibili notitia in ſua naturali præuideri, cuius rei gratia, dùm ea enunciabant, vtebantur alloquio ſophyſtico, & ambiguo, vt ſi res aliter ſeſe habuiſſent, non ipſorum imperitia, & fallacia, ſed oraculum perperam interpretantium inſcitia, in diſcrimen veniret. Sic fallaciter reſponſum fuit Pyrrho Aeaci ex Achille nepoti: *Aio te Aeacida Romanos vincere poſſe*: Quæ cum amphibologiã continerent,

nec determinatè præmonſtrarent, an Pyrrhus Romanos, an Romani Pyrrhum eſſent expugnaturi, ad vtrumque euentum poterant refferri, & ancipiti interpretatione declarari.

Vel dicendum ſecundo cùm multa, tùm Dęmones, tùm Aſtrologi falſa prædicant, aliqua ex his caſu euenire, & ita in veritatem aliquando eorum Oracula impingere, ſicut qui noctu ambulat, imprudenter lapidem offendit.

Vel dicendum tertio iuſto Dei iudicio interdùm permitti, Dęmones ab Angelis de futuris ſucceſſibus certiores reddi, vel in culpæ pœnam Maleficis, quibus reuelantur, ſi eis fidem adhibeant, vt magis torqueantur, & alios torqueant, vel in præmium iuſtis, ſi eis non credant.

Obijcitur ſecundo contra, quia vel Dęmones, vel Aſtrologi è Cœlorum motibus, conſtellationibus, ac influentijs agnoſcunt hominum temperamenta, ergo, & eorum mores, atque contingentes actiones intueri poterunt. Antecedens patet, certò enim perſpiciunt, quo Planetarum aſpectu, quo ſydere dominante, quis conceptus fuerit, ſub quo natus horoſcopo &c. ſiquidem nō ignorant hominem à Saturno effici melancolicum, à Marte bellicoſum &c. Conſequens probatur, nam mores corporeum temperamentum ſequuntur, vt colligitur ex Ariſtotele initio de Phyſonomia, & Galeno libr. quod animi mores ſequuntur &c.

Reſpondetur primo Negando antecedens, quoniam Cœli, & Aſtra non ſunt cauſa totalis, & integra temperamenti, ſed neceſſariò etiam materiæ diſpoſitio, & qualitates à parentum generatiua virtute immiſſæ, ſimul concurrunt.

Vel dicendum ſecundo conſequentiam non tenere, nam quamuis hominis temperamentum exploratum haberent, non periode ſequeretur, vt hominis mores, & actiones certò prænoſcerent; nam voluntas humana eſt ad bonum, & malum indifferenter flexibilis, ac ex varia rerum occaſione, conſuetudine, conuerſatione, & diſciplina, ſæpè numero mores commutantur: proinde eſt in hominis poteſtate appetitui reluctanti imperare, ac motus inordinatos, Deo ſibi opitulante, arcere: vnde verificatur illud axioma, *Sapiens dominatur Aſtris*.

Obijcitur tertio contra: Nam Philoſophus 2. de Generat. & Corrupt. t. 50. inquit, formas, & ſpecies omnium eſſe in terminis, ideſt vt nonnulli explanant, exemplaria, & cauſalitates expreſſas omnium in Cœlo exiſtere, ergo nè cadant in irritum, aſſerendum eſt per Aſtrorum inſpectionem ſic euenire.

Reſpondetur primo argumentum concludere de futuris naturalis, non autem de liberis ab humana voluntate pendentibus, quia hæc non continentur in Cœlis, & Aſtris, neque vt in cauſis, neque vt in ſignis naturalibus.

Vel dicendum ſecundo, Cœlum profectò eſſe omnium cauſam vniuerſalem, & æquiuocam; at vnà cum illo particulares cauſas libere, & contingenter concurrere, quæ vel libertate, vel contingentia Cœli influxum retundere, coercere, ac moderari valent, & hac de cauſa à ſola Cœli, vt potè cauſæ vniuerſalis, conſideratione, futurorum certitudinem minimè haberi poſſe dicendum eſt.

Obijcitur quarto Contra: Cœlum eſt quaſi liber Diuina manu conſcriptus, in quo delineata ſunt, quæ vario temporum ſucceſſu euenire debent, ergo huius libri rudimenta non debent omninò latere, aliàs hic liber fruſtrà eſſet conditus. Antecedens probatur ex illo Iſaiæ capit. 34. *Et tabeſcet omnis militia Cœlorum, & complicabuntur ſicut liber Cœli*: Item Apocal. cap. 6. *Et Cęlum receſſit ſicut liber inuolutus*, vbi oſtenditur nunc, quod Cœlum eſt apertum ad inſtar libri ad legendum, at poſt diem Iudicij complicari debet, adeò vt tollatur omnis diuinandi facultas. Item Gen. capit. 1. dicitur, Aſtra fuiſſe in Cœlo fixa, *vt eſſent ſigna*, hoc eſt per varios congreſſus, & influxus humanarum rerum euentus Indigitarent, velut interpretatus eſt Origen. apud Euſeb. Cæſar. libr. 6. de præpar. Euangelica capit. 9. ergo ex Cœlorum, ac Syderum proſpectu oſtendi poſſunt futurorum euentus.

Reſpondetur negando conſequentiam vtramque nec auctoritates, quidquam faceſſunt, ad probandum intentum: quandoquidem ex auctoritate Iſaiæ non ſignificatur, quod falsò aſſumitur, ideſt Aſtra eſſe cauſam futurorum, & humanarum actio-

actionum notas, ſed ſolum tantis ærumnis gentes, quibus tunc minitabatur Deus, affligandas, vt eis cæleſtia lumina ſilere, ac Cœlum interdici deplorent.

Vel dicendum ad hanc, & ad ſequentem de libro Apocalypſis, ideò complicandum Cœlum poſt diem Iudicij, ad inſtar libri, quia tunc ceſſante motu, non poterunt in eo legi viciſſitudines temporum, generationum, corruptionum, & aliarum mutationum, quæ nunc à Philoſophis, & Aſtrologis naturalibus conſpiciuntur, ſiquidem hæc omnia ceſſabunt motu Cœli ceſſante; vnde non ſequitur, vt modò legi queant literæ in ipſo humanarum actionum, ac futurorum contingentium euentus indicantes, cum nullæ horum exiſtant, nec exiſtere poſſint, vt ſupra demonſtratum eſt.

Ad aliam ex Geneſi deſumptam dicendum ſimiliter, ſtellas quidem collocatas in Cœlo, vt eſſent in ſigna, non tamen humanorum euentuum, & motum, qui à libertate, & contingentia dependent, ſed, vt inquiunt D. Auguſtinus Epiſt. ad Ianuar. D. Chryſoſtomus in cap. 1. Gen. homil. 6. & Arnobius contra Gentes libr. 1. ac alij communiter, in ſigna ventorum, tempeſtatum, & aliarum mutationum naturalium, quæ a Nautis in regendis Nauibus, à Colonis in ſerendo, & putando, & à Medicis in remedijs applicandis, obſeruari debent, vt propria eorum munia obire valeant.

Obijcitur quinto contra quartam Concluſionem, quia ratio potiſſima, qua mouentur Catholici, & præſertim Pontifices ad interdicendum vſum, & artem Aſtrologiæ Iudiciariæ, eſt, vel quia tollit vſum liberi arbitrij, vel quia neceſſitat voluntates noſtras, ſed neutrum horum ſequitur ex arte Aſtrologiæ Iudiciariæ, ergo perperam reijcitur ab eis. Maior conceditur communiter à nobis. Minor probatur, quia aliud eſt, effectum eſſe infallibiliter futurum, aliud euentum neceſſariò futurum: ſed infallibilitas non infert neceſſitatem, nec tollit libertatem voluntatis, vt Scholaſtici dicunt in tract. de ſcientia Dei. Similiter, aliud eſt voluntatem determinari à Cauſa ſuperiori, aliud ab ea cogi, & neceſſitari, ſiquidem Deus determinat illam ad proprias actiones, ſecundum multorum ſententiam, & tamen non neceſſitat eam: ergo ſi Aſtrologi fateantur infallibilitatem humanarum actionum, & futurorum euentuum oriri duntaxat ex influxibus Cœlorum, non verò neceſſitatem illorum, non eſt cur damnanda veniat Aſtrologia iudiciaria, vt impia, ac ſuperſtitioſa. Aſſumptum patet ex diuerſis caſibus, qui reſſeruntur ab Hiſtoricis; nam vt teſtatur Suetonius in Auguſto capit. 94. Publius Nigidius, nato Auguſto accepit horam, & conſultis Aſtris, prædixit eum futurum Dominum totius Orbis terrarum: Deinde alius Aſtrologus, pronunciauit de Nerone nato ex Agripina, eum futurum Imperatorem, qui matrem occideret: Inſuper aliæ prædictiones factæ fuerunt per Aſtrologos, quæ omnia infallibiliter euenerunt abſque coactione, & neceſſitate voluntatum humanarum, ergo quamuis ex proſpectibus, & influxibus Cęlorum, ac ſyderum ſequatur infallibilitas, non tamen inferenda eſt neceſſitas voluntatis humanæ, vt proindè damnanda veniat Aſtrologia Iudiciaria, velut impia, & humanæ libertati infenſa.

Reſpondetur negando minorem, ſiquidem Cęli, & Aſtra ſi mouerent directè voluntatem humanam, cum eorum motio ſit naturalis, & neceſſaria, vt aliorum agentium naturalium, determinarent illam ad vnam partem tantum neceſſariò, & ſic eius libertatem tollerent; non enim eſſet ei facultas eligendi oppoſitum, cùm influxus eſſet phyſicus, qui reciperetur in ea, & neceſſariò illam cogeret ad volendum quæcumque Aſtra neceſſariò determinaſſent. Nec valet diſtinctio inter infallibilitatem, & neceſſitatem, quia in propoſito non forent diſiunctæ, cùm Cęli, & Aſtra non agant liberè, ſicut Deus, verùm naturali neceſſitate: neque determinarent voluntatis humanæ, concurſu ſimultaneo; actionem liberam prodituram, ſicut facit Diuina voluntas, ex quo oritur infallibilitas actionis, licet liberæ; verùm illam, antecedenti concurſu per influxum in cauſa receptum, pertraherent ad alteram partem contradictionis, quo facto, non tantum infallibiliter, ſed neceſſariò ſequeretur actio ad vnum determinata, ſicque tolleretur indifferentia libertatis, & voluntatis eſſentia.

Digitized by Google

Neque iuuant prædictiones relatæ in Argumento de Auguſto,& Nerone,& quę interdùm vt verè,accidere ſolent,ab Aſtrologis pronunciatæ, ac prę uiſæ, quandoquidem, vt aduertunt Conimbricenſes in lib. 2. de Cœlo cap.3.q.9.art.4.reſpondendo ad ſeptimum argumentum pro Aſtrologis, ex D. Auguſtino lib.83. qq. q.45.& 4. ſuarum Confeſſ. cap.3. ſinit interdùm Deus, ex occulta ſua Diuina diſpoſitione,eſſe vera,quę prædicuntur ab Aſtrologis, non ex obſeruatione Aſtrorum infallibili, ſed ex aliquali coniectatione fallibili, aut ex pacto cum Dęmonibus, in ſuorum ſcelerum pœnam, ac etiam punitionem aliorum hominum, qui fidentes huiuſmodi vanis ſuperſtitionibus, deficiunt à vera fide erga Deum, ac proinde ſeueriùs cruciari mereantur in inferno cum ipſis Aſtrologis, ac Dęmonibus illorum Magiſtris.

Vel dicendum cum eodem D. Auguſtino lib.5. de Ciuitate Dei cap. 7. *Non immeritò tradi, cum Aſtrologi multa vera reſpondent, occulto inſtinctu fieri Dęmonum, (non bonorum Angelorum) quorum cura eſt, has falſas,& noxias opiniones de Aſtralibus fatis inſerere humanis mentibus, atque firmare, non horoſcopi notati, & inſpecti arte, quæ nulla eſt*. Vnde idem ſapienter monet lib.2. ſuper Geneſim ad lit. capit. 17. magis cauendos eſſe eos Aſtrologos, qui vera dicunt, quàm qui falſa: hi enim vanitatem ſuam produnt: illi cum Dęmonibus initi pacti ſuſpicionem nobis ingerunt. Et hæc de hac quæſtione ſatis longa, ac difficili, ſint ſatis.

Vtrum Cœlum ſit Sphærica Figuræ?

QVÆSTIO IV.

PRætermiſſis Antiquorum de Cœli figura opinionibus, quas refert, & refellit Ariſtoteles in textu Quæſito 3. huius libri 2. à t.22. & ſequentibus, ad duas tantùm ſententias, inter Sanctos Patres Ortas, reducenda eſt præſens quæſtio,quarum prima eſt eorum, qui denegant Cœlo figuram ſphæricam, & dicunt illam eſſe ad inſtar fornicis, ſeù tentorij, aut tabernaculi. Ita D. Chryſoſt. hom.14. & 17. in Epiſt. ad Hæbreos, D. Baſilius homil. 1. Hexameron poſt medium Lactant. Firmianus Diuin. Inſtit. cap.24. Procopius ſuper Geneſim cap. 1. & 17. & nonnulli alij quos refert D. Damaſcen. lib.2. Orthodoxæ Fidei cap. 6. qui omnes derident eos, qui aſſerunt Cœlum eſſe figuræ omninò rotundæ.

Secunda Sententia ex oppoſito acriter pugnat cum præcedenti, aſſerens Cœlum eſſe ex omni parte perfectè ſphæricum, ac rotundum. D. Hieronymus in Comment. Epiſt. ad Epheſios cap.5. D. Clemens lib.8. Recognit. & ex Philoſophis Cicero libr. 2. de Natura Deorum, Ariſtoteles cum tota ſua Schola Peripatetica hic Quæſito 3. vbi validiſſimis rationibus demonſtrat Cęlum eſſe, & debere eſſe omninò rotundum, ac ſphæricum.

Pro huius ſententiæ declaratione, & alterius confutatione, adnotandum eſt primò ex Mathematicis, tria genera quantitatum ſolummodo conſiderari, ſeù vt phyſicè loquamur, tres ſunt ſpecies quantitatis continuæ ſcilicet linea, ſuperficies, & corpus. Linea eſt longitudo ſine latitudine, & profunditate, cuius extrema ſunt duo puncta,& habet tantum vnam dimenſionem, quæ ſecundum longum diuiditur. Superficies eſt latitudo cum longitudine, profunditatis expers, cuius extrema ſunt duæ lineæ, & habet duas dimenſiones, quibus ſecundum longum, & latum protrahitur. Corpus, ſiuè ſolidum, eſt magnitudo tribus dimenſionibus prædita, nempè longitudine, latitudine, & profunditate, ſiue craſſitie, cuius extrema ſunt duæ ſuperficies. Superficies autem eſt duplex ſcilicet plana, & curua. Plana eſt, quæ ex omni parte linea recta adæquatè menſurari poteſt, vt ſuperficies tabulæ benè explanatæ, & papyri rectè extenſi. Curua eſt, quæ ex omni parte linea recta menſurari nequit, & hæc eſt duplex ſcilicet concaua, vt interior ſuperficies alicuius vrnæ, & conuexa, vt exterior ſuperficies vrnæ, vel pilæ. Ex hoc infertur, quod magnitudo, ſuperficie curua, eaque conuexa, ac vnica contecta, ſphæra dicitur.

Secundò Notandum ex Euclide, ſphæram ſic deſcribi. Sphæra eſt tranſitus circumferentiæ dimidij circuli, quæ fixa diametro eiuſque circumducitur,quouſque ad locum ſuum redeat, quæ à Ioanne de Sacroboſco explanatur hoc pacto: ſphæra eſt tale

tale rotundum, ac ſolidum, quod deſcribitur ab arcu ſemicirculi circunducto. Quamobrem non eſt ignorandum, ſphæram nõ dici tranſitum formaliter, ſed cauſaliter, & effectiuè, non enim eſt tranſitus, ſeù reuolutio, ſed efficitur ex tali tranſitu, & reuolutione; idcircò ſenſus definitionis eſt, quod ſphæra eſt ſolidum, quod ab arcu ſemicirculi, ſua quidem diametro immobili, & fixa manente, vna completa reuolutione, circumſcribi intelligitur. Vel vt Theodoſio placet: Sphæra eſt ſolidum quoddam, vna ſuperficie contentum, in cuius medio punctus eſt, à quo omnes lineæ ductæ ad circumferentiam ſunt æquales. In qua definitione, corpus ſubintellectum habet rationem generis, ſolidum ponitur ad differentiam figurarum planarum, cuiuſmodi eſt circulus, quadratum, trilaterum, & ſimilium. Vna ſuperficie contentum ponitur ad differentiam figurarum ſolidarum, quæ pluribus ſuperficiebus comprehendũtur, vt rota piſtrini, lapis molaris, pyramis. In cuius medio eſt punctus &c. ad differentiam ponitur figurarum ſolidarum vnam ſuperficiem habentium, in quibus talis punctus aſſignari nequit, vt ſunt corpus ouale, lenticulare, tentorium fixum, & fornicatum.

Tertiò Notandum, figuram ſphæricam hic ſumi pro circulari, vel orbiculari, nam ſphæricum preſsè acceptum eſt corpus circulare plenum, quod habet tantum ſuperficiem conuerſam, vt pila ferrea, vel marmorea. Orbiculare verò eſt corpus circulare quidem, non verò plenum, habens vtramque ſuperficiem conuexam, & concauam, cuiuſmodi eſt dimidium pilæ vacuæ ex corio confectæ. Ex hac infertur, quod Cœli, cum non ſint corpora circularia plena, ſed vacua, nequeunt vocari in rigore ſphærici, ac proindè eorũ figuræ, non poſſunt dici ſphæricæ propriæ ſed ſolũ circulares, & orbiculares, cùm in orbẽ, & circulum moueantur, & non ampliùs prætendere poteſt Ariſtoteles, dùm aſtruit figuram Cęli eſſe rotundam, ac ſphæricam.

Quartò Notandum pro ſolutione argumentorum, quæ affert præcedens ſententia, Cęlum eſſe conditum ad inſtar tabernaculi, aut tentorij, vel fornicis, poteſt dupliciter intelligi, vno modo quoad formã, vel figuram, ita quod Deus tribuerit ei aliquam prædictarum figurarum; alio modo quoad officium, adeò quod præſtet idem munus erga nos, & ea, quæ continentur in Mundo, quod exercent tabernacula, tentoria, & fornices, reſpectu illarum rerum, quæ ſub illis continentur. Si priori modo intelligatur eſſe conditum, & fabricatum Cœlum, hoc negandum eſt, ſiquidem ex Sacra Scriptura deducitur euidenter ſtructuram Cœli eſſe orbicularem ex motu circulari, quem agit in gyrum, ac in orbem, ſiquidem dicitur Eccleſiaſtæ cap. 1. *Sol occidit, & in locum ſuum reuertitur, ibique renaſcens gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem, luſtrans vniuerſa: in circuitu pergit ſpiritus, & in circulos ſuos reuertitur*. Atqui motus circularis exigit de neceſſitate mobile circulare, vt probat Ariſtoteles in 1. lib. de Cœlo t. 18. ac alibi, cum ſit actus mobilis ipſe motus, quatenus mobile exiſtit, ex eodem 3. Phyſicorum t. 17. & 18. Si verò poſteriori modo attendatur Cęli conditio, concedi poteſt eſſe ad inſtar tabernaculi, tentorij, ac fornicis, ſiquidem Cęlum exercet illorum officia, recipiendo ingredientes in hunc mundum, quaſi foret illorum tabernaculum, illos cooperiendo, ac fouendo, vt tentorium, & fornix, & ſic intelligendæ ſunt ſcripturæ, quæ afferuntur, ad probandam oppoſitam ſententiam, à D. Chryſoſtomo, & alijs Doctoribus eiuſdem opinionis.

Ex his igitur ſit concluſio pro ſecunda ſententia, quæ vt verior nobis probatur. Cęlum eſt figuræ ſphæricæ largè ſumptæ, hoc eſt, orbicularis, circularis, ac rotundæ perfectæ. Eſt Ariſtotelis hic in t. 22. quam validiſſimis rationibus illam oſtendit contra Antiquos, D. Hieronymi cap. 5. in Epiſt. ad Epheſios, vbi grauiter repræhendit, qui Cęlum non omni ex parte rotundum faciunt, ſed ad inſtar fornicis curuatum, ac omnium Peripateticorum. Probatur primo ex Sacra Scriptura, nam Eccleſiaſtæ cap. 1. dicitur: *Sol occidit, & in locum ſuum reuertitur, ibique renaſcens gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem, luſtrans vniuerſa, per circuitum pergit ſpiritus, & in circulos ſuos reuertitur.* Item Eccleſiaſtici cap. 24. inquit. *Gyrum Cœli circuiui ſola.* Scilicet Diuina ſapientia, vbi Græca verſio, loco *circuiui ſola*, habet,

rotun-

rotundaui ſola. Et Prouerb. cap. 8. ſubditur ab ea: *Quando certa lege, & gyro vallabat abyſſos*. Vbi ex Græco vertitur: *Cælo rotundo vallabat abyſſos*. Vel vt habet textus Hæbraicus: *Deſcripſit circulum ſuper faciem abyſsi*. Ergo ex phraſi, & modo loquendi Sacræ Scripturæ, inferendum eſt, Cęlum eſſe figuræ ſphæricæ, ac rotundæ, alioquin nec poſſet cieri in gyrum, neque circulariter moueri. Deinde probatur ſecundo rationibus, ſiquidem corpori ſimplici, & perfecto congruit figura ſimplex, & perfecta ex Ariſtotele hic t. 26. ſed Cęlum eſt corpus ſimplex, & perfectum, vt probauit in 1. lib. t. 7. 11. & 12. figura quoque circularis eſt ſimplex, ac perfecta, ei namque nulla poteſt fieri additio, nullaque perfectio ſibi deeſt, ergo hæc Cęlo congruere debet. Conſequentia patet cum toto argumento ex eodem Ariſtotele à t. 22. 23. vſque ad 26. huius libri. Præterea ſi Cęlum non eſſet circulare, daretur vacuum, ſed hoc non eſt admittendum, cùm natura abhorreat à vacuo, ergo dicendum eſt eſſe circulare. Sequela maioris probatur, nam dùm moueretur, relinqueret inanem aliquam ſui partem, quam primitus occupabat, ſiquidem quælibet alia figura præter circularem habet angulos, quapropter ob permutationem angulorum, vbi nunc non eſt, iterum erit, & econuersò vbi nunc eſt, prius non erat, & ſic accidit, vt neceſſariò relinquat aliquam ſui partem inanem, & vacuam. Tertiò probatur, quia Cęlum mouetur circulariter, ergo debet habere figuram ſphæricam. Conſequentia patet, quia motus, cum ſit actus mobilis ex Ariſtotele in tertio Phyſicorum t. 17. & 18. ſequi debet naturam, & exiſtentiam mobilis, ergo ſi Cęlum mouetur circulariter, & eius figura debet eſſe circularis, ac ſphærica. Antecedens probatur, quia ſtellæ fixæ, inhærentes Cęlo ſtellato, non ſecus, ac claui affixi rotæ, mouentur circa terram, vt experientia manifeſtat, ſeruantes ſemper eandem diſtantiam inter ſe, & ad centrum terræ, (qua de cauſa fixæ appellantur ad differentiam Planetarum, qui, quoniam mouentur difformiter non ſeruantes eandem diſtantiam ad centrum terræ, vocantur errantes) ergo Cęlum ſtellatum, cui adhærentes ſtellæ, quæ ſic circulariter cientur, habet moueri circulariter, & ſphæricæ. Conſequentia tenet, quia motus circularis eſt qui fit ſuper ſphæra, ſeu figura circulari, in qua eſt punctus, à quo lineæ ductæ ad circumferentiam ſunt ſemper æquales, ergo & motus ſeruans, ſecundum omnes ſui partes, eandem æqualitatem partium adinuicem, & ad centrum terræ debet eſſe circularis, ac ſphæricus, ac proinde Cęlum, vt potè ſic mobile, debet eſſe ſphæricum, & circulare. Secunda Pars liquet ex 3. Not. quia ſphæra, propriè, ſtricteque ſumpta, eſt corpus ſolidum, plenum, vna ſuperficie exteriori duntaxat cõtentum, in cuius medio eſt punctus, à quo ad circumferentiam lineæ perductæ ſunt ſemper æquales, ſed Cęlum eſt corpus vacuum, ſeù non plenum, duplici ſuperficie ſcilicet concaua, & conuexa, contentum, cum in ipſo contineantur Elementa, & omnia mixta, ergo non eſt propriè ſphæricæ figuræ, cum nec ipſum preſsè appellari poſſit ſphæra, verum duntaxat corpus circulare, & orbiculare.

Obijcitur tamen primo contra hanc Cõcluſionem. Nam quod continet omnia, debet habere figuram maximæ capacitatis, ſed ſphæra, inter omnes figuras Iſoperimetricas, ex Archimede, lib. de Iſoperimetricis, eſt minima, ergo &c.

Reſpondetur figuram ſphæricam eſſe minimam reſpectu occupationis loci, non autem reſpectu continentiæ; nam cum maiorem cauitatem habeat præ cæteris, plura continere poteſt.

Obijcitur ſecundo. Si Cęlum eſſet rotundum, ſtellæ fixæ eidem adhærentes, ſemper eodem modo diſtarent à terra, ſed hoc eſt falſum, ergo Cęlum non erit rotundum. Sequela maioris liquet ex tertia probatione noſtræ concluſionis. Minor probatur, quia ſtellæ fixæ, quæ ſunt propè orizontem maiores nobis apparent, quam in medio Cęlo, & non ob aliam cauſam, niſi quia tunc ſunt propinquiores nobis, alioquin non viderentur maiores.

Reſpondetur negando Minorem. Ad cuius probationem dicẽdum, ſtellas æqualibus ſemper ſpatijs à terra diſtare; verùm propè orizontem maiores nobis videri, licet tales non ſint, quia iuxta terram conſiſtunt vapores, qui medium craſsius, & denſius reddunt, ideòque grandiores apparent: Vnde ſicut baculus, & nummus in

aqua videntur maiores, & propiores, quam extra aquam, ita ſtellæ propè orizontem ob medij craſſitiem vaſtiores conſpiciuntur, & ratio eſt, quia ſpecies obiecti propter medij craſsitudinem, ac denſitatem tranſmiſſa refrangitur, & potentiam viſiuam diſtrahit, & hac de cauſa euenit in obiecto, quod cernitur, magnitudinis amplioris apparitio. Ob eandem rationem ſtellæ quoque in Cęlo interdum maiores, aliquando minores nobis videntur, quia exhalationum copia è terra ſurſùm euecta medium infuſcat, noſtrorumque oculorum aciem deludit.

Obijcitur tertio. Si Cœlum haberet figuram oualem, aut clydricam, (quæ fermè aſsimilatur ouali, ſed quoad extrema diſcrepat, huius enim ambo extrema æquè ampla ſunt; oualis autem ad pyramidalem figuram aſpirat) poſſet nihilominus vacuũ vitari, ergo tales figuræ non ſunt Cęlo denegandæ. Antecedens probatur, ſi enim in figura oui, vel clyndri deſsignetur axis ab vno apice ad alium, & Cęlum circa vtrumque apicem, non ſecùs, ac circà polos volueretur, nulla loci intercapedo abſque corpore manebit, nullaque ſedes vacuo, ergo &c.

Reſpondetur negando conſequentiam: nam huiuſmodi figuræ non veniunt denegandæ Cęlo ſtellato, vel primo Mobili ſolùm ad vitandum vacuum in ſeipſo, ſiquidem moueri poſſet abſque vacui admiſſione, quamuis eſſet figuræ oualis, aut clyndricæ, vt optime procedit argumentum; verùm ideò ſibi non ſunt concedendæ tales figuræ propter motus orbium inferiorum, qui vt moueantur, cum exigant proprios polos, diuerſos à polis primi mobilis, non poſſent circumagi, ſi hoc eſſet figuræ oualis, vel clyndricæ, quin aut ſe perſtringerent, aut mutuò ſe peruaderent, ſi & illi huiuſmodi figuras haberent, vt optime colligitur à Doctore Subtili in 2. d. 14. q. 2. art. 2. probando neceſſitatem plurium Cęlorum inferiorum, tùm ad vitandum vacuum, tùm ad excludendas inciſiones, aut peruaſiones orbium inferiorũ cum primo Mobili, & inſeinuicem: concludendum eſt igitur ad præcludenda talia accidentia, eſſe neceſſarium, quod omnes Cęli ſint figuræ rotundæ, ac ſphæricæ, & non alterius.

Obijcitur quartò figura, quę firmitatem, & conſtantiam notat, eſt tribuenda Cęlo, at huiuſmodi eſt potiùs quadrata, quam rotunda, ſiquidem Antiqui Sapientiam in quadrato, & fortunam globo hærentem pingebant, igitur, cùm Cęlum ſit perpetuæ conſtantiæ, & nunquam defiturum, debet eſſet potiùs quadratæ, quàm ſphæricæ, ſeù rotundæ figuræ.

Reſpondetur, figuram rotundam, de neceſſitate tribuendam eſſe Cęlo, ob motum circularem, ad quem ſolùm, & ad vitandum vacuum reſpexit Ariſtoteles, quæ non poſſent commodè ſaluari in alijs figuris, vt concludunt eius rationes factę contra Antiquos; cæterum ſi firmitatem eiuſdem conſideraſſet, & non motus illius æternitatem, quadratam forſan figuram ei tribuiſſet, ſicut Cęlo Empireo, in quo ſunt manſiones Beatorum perpetuò duraturæ, applicant communiter Theologi.

Vtrum Cœlum, vt etiam complectitur Orbes inferiores, à ſe, vel alio moueatur?

QVÆSTIO V.

Circa quam quęſtionem varia ſunt Doctorum placita, nam nonnulli, quos ſiue nomine refert D. Bonauentura in 2. d. 14. art. 3. quæſt. 2. quibus adhærere viſi ſunt Alber. de Saxon. 8. Phyſicorum quęſt. vltima, & Maior. 2. lib. de Cęlo cap. 5. aſſeruerunt, Cęlos in ſuis motibus non egere vllo Motore extrinſeco, ſed ſolum cieri à proprijs formis intrinſecis circulariter. Hanc opinionem de poſſibili, vt non improbabilem poſſe ſuſtineri putat Maſtrius cum Arriaga hic diſput. 2. quæſt. 4. art. 3. num. 140.

Alij diſtinguentes motum Cęlorum, vel à dextra ad ſiniſtram, vel à ſiniſtra ad dexteram, dixerunt priorem motum fieri ab Intelligentia, poſteriorem verò oriri in Cęlis à proprijs formis. Ita Valleſius controu. 2. ad Tyrones poſt medium cum alijs.

Communis tamen opinio Philoſophorum, & Theologorum docet, Cęleſtia Corpora nullatenus moueri à principio intrinſeco effectiuo, ſed ſolùm ab extrinſeco principio immediato, quod an ſit Deus per ſe, vel

Digitized by Google

vel Intelligentia per ſe, aut ſimul cum Deo, non conueniunt adinuicem huius ſententiæ Auctores: verùm probabilius eſt, quod ab Intelligentia, & Deo ſimul, & ab vnoquoque totaliter in ſuo ordine. Sic D. Thom. q.6. de Potentia, & 1. p. quæſt. 70. art.3. D. Bonauentura in 2. d.14. art.3.q.2. Scotus in 2. ibidem q.1. & d.2. q.5. A, & in 4. d.48. q.2. ſub M, & N. Durandus, Ægidius, & alij, quos refert, ac ſequitur Ruuius lib.2. de Cęlo cap.5.q.8. vnde pro eius declaratione, ac fundamento.

Primò Notandum eſt ex Doctore Subtili in 2. d. 2. q.6. O, & in 4. d. 48. q. 2. ante O. Motum Cęli non eſſe naturalem, nec violentum, ſed neutrum ſaltem ratione termini, vt oſtendimus in 2. Phyſicorum diſp. 1. q. 3. ſiquidem ad nullum terminum determinatè inclinatur, nec ad oppoſitum eius, cùm ſit circularis, in quo non eſt reperiri quietem, aut ſtatum in aliqua parte ſui. Et licet in Cęlo ſit habilitas quædam ad motum circularem, ratione figuræ ſphæricæ, tamen illa non ſufficit ad naturalitatem, ſed ſolùm ad non violentiam, cùm ad nullum locum ſignatum determinatè inclinetur, & nullum pariter recipit contra ſuam inclinationem.

Secundò Notandum ex eodem Doctore Subtil. in 2. d.2. q.9. §. *Ad argumenta*, ſub B, & in 4. d.48.q.2. N.§. *Ad alind dico &c.* Cęlum poſſe comparari, vel ad motum, vel ad terminum motus. Si priori modo comparetur, dicitur eſſe in potentia paſſiua naturali, cum aliqualem perfectionem recipiat à ſuo motu. Si verò poſteriori modo comparetur, ſic eſt in potentia neutra, cùm ad nullum locum determinatè inclinetur, vel ad oppoſitum eius, vt ſatis probatum eſt in 2. Phyſicorum diſp. 1. q. 3. §. *Ex his infertur, tanquam corollarium &c.* nam ibidem concluſimus de mente Doctoris, potentiam Cœli ad motum circularem eſſe aliqualiter naturalem, & ad terminum motus eſſe ſimpliciter neutram.

Tertiò Notandum eſt ex eodem in 4. d. 49. q.14. ſub B. Principium actiuum motus localis eſſe duplex ſcilicet *quo*, & *quod*. Principium *quo* actiuum eſt illud, quod eſt ratio actiuè mouendi alicui, vt anima in homine; nam ratione talis homo mouet ſe localiter de vno ad alium locum; & ad hoc, vt tale principium ſit ratio mouendi alicui ſe localiter in aliquem terminum, exigitur neceſſariò, vt huiuſmodi terminus per motum comparabilis, contineatur in virtute actiua illius principij, aut ſaltem, quod ſit ei naturaliter debitus, vt patet inductiuè in quolibet principio *quo* motuum localium, ſiuè grauium, ſiuè leuium, ſiuè animalium, nam inclinatio actiua in motum, capit ſpeciem à termino naturaliter debito, tanquam à proprio actu; graue enim tendit deorſum, & leue ſurſum, quia huiuſmodi termini ſunt reſpectiuè debiti naturis grauium, & leuium, principium verò *quod* motus localis actiuum dicitur illud, quod denominatur actiuè mouens à principio *quo*, vt homo, qui ſe mouet mediante anima. Ex his infertur, quod Cęlum nequit ſe mouere, vt *quod*, mediante propria forma ſubſtantiali, tanquam principio *quo*, cum nullus terminus localis contineatur in eius virtute, aut ſit debitus naturæ Cęli, quinimò eſt ita determinatum ad motum circularem, & ratione *figuræ ſphæricæ*, & ab extrinſeco ratione Intelligentiæ motricis, vt quemcumque alium terminum omninò excludere cogatur. Infertur ſecundo quod cum Cęlum moueatur circulariter motu continuo, & non à ſe, ab alio debere cieri: Hoc autem mouens nequit eſſe corporeum, quia aliquando defatigatum ceſſaret contra naturam motus circularis, igitur debet eſſe incorporeum, & ſpirituale; & ſic vel Deus, vel aliqua Intelligentia, aut Angelus ab eodem deputatus ad tale miniſterium in bonum totius vniuerſi: Non Deus ſe ſolo, & immediatè, tùm quia moueret infinito modo; tùm etiam quia eſt cauſa prima, quæ admittit concurſum cauſarum ſecundarum: tùm denique, quia congruit Diuinæ Maieſtati, vt gubernet, quæ condidit, per miniſtrorum manus, nempè per Angelos, qui *Adminiſtratorij Spiritus* vocantur, miſſi à Deo propter nos homines, qui hæreditatem capimus ſalutis in Cęlis, quos mouent, & regunt.

Quartò Notandum ex communi Aſtronomorum conſenſu, Cęlos viginti quatuor horarum curriculo ab Oriente in Occidentem cieri, talemque motum appellari diurnum, ſiquidem eo temporis ſpatio motu primi Mobilis omnes inferiores Orbes circumuehuntur; & huiuſmodi motus dicitur per ſe conuenire primo Mobili duntaxat,

xat, cæteris verò per accidens. Præter hunc motum cunctis Cęlis communem, Planetas quoque in ſuis orbibus circumduci tradunt proprijs motibus diuerſis. Nàm luna viginti nouem diebus, ſeptem horis, & quadraginta quatuor minutis, ſuum complet curſum. Mercurius, & Venus trecentis ſexaginta quinque diebus, ſeptem horis, & quadraginta ſex minutis, ac totidem ferè ſol ſuum curſnm perficiunt Martem verò vno anno, diebus trecentis, viginti vno, horis vigintitribus: Iouem vndecim annis, trecentis tredecim diebus, viginti horis, & Saturnum viginti nouem annis, centum ſexaginta duobus diebus, ac hors viginti proprios motus conficere obſeruatunt Aſtronomi ex communiori calculo, quicquid ſit de veritate, quam paucos noſſe credo in rebus valde difficilibus, ac maxime à noſtris sẽſibus diſtãtibus.

Ex his ſit prima Concluſio. Cęlum, vt complectitur omnia corpora Cęleſtia, ſiue omne Orbes inferiores, non mouetur à ſe, ſiuè à propria forma. Eſt Scotis in locis ſupra citatis, & D. Thomæ lib. 3 contra gentes cap. 23. Probatur, quia ſi Cęli mouerentur à ſeipſis aut mouerentur motu ſenſitiuo præſupponente cognitionem, quemadmodum animalia cientur, aut motu naturali non ſenſitiuo, veluti grauia, & leuia, ſed neutrum eſt dicendum, ergo nam mouentur à ſeipſis. Maior patet ex Ariſtotele 8. Phyſ. ſum. 2. cap. 2. Minor probatur. Non eſt dicendum primum, quia neceſſario deberent eſſe animati, ſic enim moueri eſt proprium animatorum, vt oſtendit Philoſophus loco citato ſub t. 28. 29. & 30. atqui Cęli ſunt expertes animæ informantis, vt probatum eſt ſupra, ergo &c. Nec eſt dicendum ſecundum, quia motus grauium, & leuium eſt naturalis ex Ariſtotele ibidem t. 27. ac ſequentibus, cæterum motus Cęlorum eſt neuter, vt probauimus cum doctore ſubtili 2. Phyſicorum Diſp. 1. q. 3. ergo Cęli non mouentur à ſeipſis 2. probatur, nam ſi Cęli mouerentur à ſe, hoc eſt, à proprijs formis intrinſecis, ſequeretur motum localem Cęlorum habere determinatos terminos, qui continerẽntur in virtute illam formarum, vel ſaltem qui eſſent illis debiti, ſed nulli termini aſſignari poſſunt in motibus localibus Cęlorum; aut virtualiter contenti in eorum formis, aut Cęlis debiti quia motus circulares, cuiuſmodi ſunt motus Cælorum, ſunt continui, & carentes terminis ex Ariſtotele 8. Phyſicorum à t. 73. & ſequentibus, ergo nequeunt Cęli moueri à proprijs formis. Maior patet inductiue in quouis motu locali, nàm terminus motus localis deorſum, nempe centrum continetur virtualiter in forma grauis, locus verò ſurſum continetur in forma leuis, alioquin nec graue deorſum, nec leue ſurſum per ſe moueretur localiter, igitur motus localis perſe exiget de neceſſitate terminum, qui virtualiter contineatur in forma intrinſeca mouentis perſe, vel ſaltem qui ſit illi naturaliter debitus. Hinc ſequitur Cęlos non cieri a ſe, nec per ſe, quia eorum motus carent terminis, virtualiter contentis in eorum formis intrinſecis.

Secunda Concluſio: Cęlum, vt complectitur omnia corpora cæleſtia, mouetur à Deo, & ab Intelligentia immediate in ſuo ordine, vel ab Intelligentia ſola de mandato Dei Eſt communis omnium Doctorum, quos retulimus pro tertia ſententia, & Ariſtotelis 8 Phyſicorum à t. 52. & ſeqq. ac 12. Metaph. ſum. 2. cap. 4. per totum. Probatur prima pars, nam Iob. cap. 34. dicitur. *Quem conſtituit alium ſuper terram aut quem poſuit ſuper Orbem, quem fabricatus eſt?* vbi D. Gregorius, *quippe*, inquit, *mundum perſeipſum regit, qui perſeipſum condidit*. Et Boetius lib. 4. de conſol. Philoſoph. proſa 4. ſubdit. *Deum per ſe ſolum cuncta diſponere*. Sed hæc nequeunt intelligi, vt excludat actionem, & concurſum cauſarum ſecundarum, vt oſtendimus in 2. Phyſicorum Diſp. 5. q. 2. cum D. Auguſt. 7. de Ciuit. Dei cap. 30. vbi inquit, *Deus res, quas condidit ita adminiſtrat, vt proprios motus agere ſinat*, verùm duntaxat de perſeitate primæ cauſæ in ordine ſuo ergo Deus vt ſic immediate etiam mouet per ſe Cęlum; vt complectitur corpora cæleſtia ſecunda & tertia pars ſimul probantur, tùm quia Sancti Patres Dionyſius cap. 5. de Cęleſti Hierarchia, & cap. 8. de Diuinis Nomen Gregorius lib. 4. Dialogorum cap. 4. Auguſt. lib. 3. de Trin. cap. 4. & alij conſentiunt in hoc, quod ſicut Mundus paruus per ſpiritus vitales, & animales, ita Mundus magnus per cæleſtes

vel Intelligentia per ſe, aut ſimul cum Deo, non conueniunt adinuicem huius ſententiæ Auctores: verùm probabilius eſt, quod ab Intelligentia, & Deo ſimul, & ab vnoquoque totaliter in ſuo ordine. Sic D. Thom. q.6. de Potentia, & 1. p. quæſt. 70. art.3. D. Bonauentura in 2. d.14. art.3.q.2. Scotus in 2. ibidem q.1. & d.2. q.5. A, & in 4. d.48. q.2. ſub M, & N. Durandus, Ægidius, & alij, quos refert, ac ſequitur Ruuius lib.2. de Cęlo cap.5.q.8. vnde pro eius declaratione, ac fundamento.

Primò Notandum eſt ex Doctore Subtili in 2. d. 2. q.6. O, & in 4. d. 48. q. 2. ante O. Motum Cęli non eſſe naturalem, nec violentum, ſed neutrum ſaltem ratione termini, vt oſtendimus in 2. Phyſicorum diſp. 1. q. 3. ſiquidem ad nullum terminum determinatè inclinatur, nec ad oppoſitum eius, cùm ſit circularis, in quo non eſt reperiri quietem, aut ſtatum in aliqua parte ſui. Et licet in Cęlo ſit habilitas quædam ad motum circularem, ratione figuræ ſphæricæ, tamen illa non ſufficit ad naturalitatem, ſed ſolùm ad non violentiam, cùm ad nullum locum ſignatum determinatè inclinetur, & nullum pariter recipit contra ſuam inclinationem.

Secundò Notandum ex eodem Doctore Subtil. in 2. d.2. q.9. §. *Ad argumenta,* ſub B, & in 4.d.48.q.2. N.§. *Ad aliud dico &c.* Cęlum poſſe comparari, vel ad motum, vel ad terminum motus. Si priori modo comparetur, dicitur eſſe in potentia paſſiua naturali, cum aliqualem perfectionem recipiat à ſuo motu. Si verò poſteriori modo comparetur, ſic eſt in potentia neutra, cùm ad nullum locum determinatè inclinetur, vel ad oppoſitum eius, vt ſatis probatum eſt in 2. Phyſicorum diſp. 1. q. 3. §. *Ex his infertur, tanquam corollarium &c.* nam ibidem concluſimus de mente Doctoris, potentiam Cœli ad motum circularem eſſe aliqualiter naturalem, & ad terminum motus eſſe ſimpliciter neutram.

Tertiò Notandum eſt ex eodem in 4. d. 49. q. 14. ſub B. Principium actiuum motus localis eſſe duplex ſcilicet *quo*, & *quod*. Principium *quo* actiuum eſt illud, quod eſt ratio actiuè mouendi alicui, vt anima in homine; nam ratione talis homo mouet ſe localiter de vno ad alium locum; & ad hoc, vt tale principium ſit ratio mouendi alicui ſe localiter in aliquem terminum, exigitur neceſſariò, vt huiuſmodi terminus per motum comparabilis, contineatur in virtute actiua illius principij, aut ſaltem, quod ſit ei naturaliter debitus, vt patet inductiuè in quolibet principio *quo* motuum localium, ſiuè grauium, ſiuè leuium, ſiuè animalium, nam inclinatio actiua in motum, capit ſpeciem à termino naturaliter debito, tanquam à proprio actu; graue enim tendit deorſum, & leue ſurſum, quia huiuſmodi termini ſunt reſpectiuè debiti naturis grauium, & leuium. principium verò *quod* motus localis actiuum dicitur illud, quod denominatur actiuè mouens à *principio quo*, vt homo, qui ſe mouet mediante anima. Ex his infertur, quod Cęlum nequit ſe mouere, vt *quod*, mediante propria forma ſubſtantiali, tanquam principio *quo*, cum nullus terminus localis contineatur in eius virtute, aut ſit debitus naturæ Cęli, quinimò eſt ita determinatum ad motum circularem, & ratione *figuræ ſphæricæ*, & ab extrinſeco ratione *Intelligentiæ* motricis, vt quemcumque alium terminum omninò excludere cogatur. Infertur ſecundo quod cum Cęlum moueatur circulariter motu continuo, & non à ſe, ab alio debere cieri: Hoc autem mouens nequit eſſe corporeum, quia aliquando defatigatum ceſſaret contra naturam motus circularis, igitur debet eſſe incorporeum, & ſpirituale; & ſic vel Deus, vel aliqua Intelligentia, aut Angelus ab eodem deputatus ad tale miniſterium in bonum totius vniuerſi: Non Deus ſe ſolo, & immediatè, tùm quia moueret infinito modo: tùm etiam quia eſt cauſa prima, quæ admittit concurſum cauſarum ſecundarum: tùm denique, quia congruit Diuinæ Maieſtati, vt gubernet, quæ condidit, per miniſtrorum manus, nempè per Angelos, qui *Adminiſtratorij Spiritus* vocantur, miſſi à Deo propter nos homines, qui hæreditatem capiunt ſalutis in Cęlis, quos mouent, & regunt.

Quartò Notandum ex communi Aſtronomorum conſenſu, Cęlos viginti quatuor horarum curriculo ab Oriente in Occidentem cieri, talemque motum appellari diurnum, ſiquidem eo temporis ſpatio motu primi Mobilis omnes inferiores Orbes circumuehuntur; & huiuſmodi motus dicitur per ſe conuenire primo Mobili duntaxat,

xat, cæteris verò per accidens. Prærer hunc motum cunctis Cęlis communem, Planetas quoque in ſuis orbibus circumduci tradunt proprijs motibus diuerſis. Nàm luna viginti nouem diebus, ſeptem horis, & quadraginta quatuor minutis, ſuum complet curſum. Mercurius, & Venus trecentis ſexaginta quinque diebus, ſeptem horis, & quadraginta ſex minutis, ac totidem ferè ſol ſuum curſum perficiunt Martem verò vno anno, diebus trecentis, viginti vno, horis vigintitribus: Iouem vndecim annis, trecentis tredecim diebus, viginti horis, & Saturnum viginti nouem annis, centum ſexaginta duobus diebus, ac hors viginti proprios motus conficere obſeruarunt Aſtronomi ex communiori calculo, quicquid ſit de veritate, quam paucos noſſe credo in rebus valde difficilibus, ac maxime à noſtris sēſibus diſtātibus.

Ex his ſit prima Concluſio. Cęlum, vt complectitur omnia corpora Cęleſtia, ſiue omne Orbes inferiores, non mouetur à ſe, ſiuè à propria forma. Eſt Scotis in locis ſupra citatis, & D. Thomæ lib. 3 contra gentes cap. 23. Probatur, quia ſi Cęli mouerentur à ſeipſis aut mouerentur motu ſenſitiuo præſupponente cognitionem, quemadmodum animalia cientur, aut motu naturali non ſenſitiuo, veluti grauia, & leuia, ſed neutrum eſt dicendum, ergo nam mouentur à ſeipſis. Maior patet ex Ariſtotele 8. Phyſ. ſum. 2. cap. 2. Minor probatur. Non eſt dicendum primum, quia neceſſario deberent eſſe animati, ſic enim moueri eſt proprium animatorum, vt oſtendit Philoſophus loco citato ſub t. 28. 29. & 30. atqui Cęli ſunt expertes animæ informantis, vt probatum eſt ſupra, ergo &c. Nec eſt dicendum ſecundum, quia motus grauium, & leuium eſt naturalis ex Ariſtotele ibidem t. 27. ac ſequentibus, cæterum motus Cęlorum eſt neuter, vt probauimus cum doctore ſubtili 2. Phyſicorum Diſp. 1. q. 3. ergo Cęli non mouentur à ſeipſis 2. probatur, nam ſi Cęli mouerentur à ſe, hoc eſt, à proprijs formis intrinſecis, ſequeretur motum localem Cęlorum habere determinatos terminos, qui contineréntur in virtute illarum formarum, vel ſaltem qui eſſent illis debiti, ſed nulli termini aſſignari poſſunt in motibus localibus Cęlorum; aut virtualiter contenti in eorum formis, aut Cęlis debiti quia motus circulares, cuiuſmodi ſunt motus Cælorum, ſunt continui, & carentes terminis ex Ariſtotele 8. Phyſicorum à t. 73. & ſequentibus, ergo nequeunt Cęli moueri à proprijs formis. Maior patet inductiue in quouis motu locali, nàm terminus motus localis deorſum, nempe centrum continetur virtualiter in forma grauis, locus verò ſurſum continetur in forma leuis, alioquin nec graue deorſum, nec leue ſurſum per ſe moueretur localiter, igitur motus localis perſe exiget de neceſſitate terminum, qui virtualiter contineatur in forma intrinſeca mouentis perſe, vel ſaltem qui ſit illi naturaliter debitus. Hinc ſequitur Cęlos non cieri a ſe, nec per ſe, quia eorum motus carent terminis, virtualiter contentis in eorum formis intrinſecis.

Secunda Concluſio: Cęlum, vt complectitur omnia corpora cæleſtia, mouetur à Deo, & ab Intelligentia immediate in ſuo ordine, vel ab Intelligentia ſola de mandato Dei Eſt communis omnium Doctorum, quos retulimus pro tertia ſententia, & Ariſtotelis 8 Phyſicorum à t. 52. & ſeqq. ac 12. Metaph. ſum. 2. cap. 4. per totum. Probatur prima pars, nam Iob. cap. 34. dicitur. *Quem conſtituit alium ſuper terram aut quem poſuit ſuper Orbem, quem fabricatus eſt?* vbi D. Gregorius, *quippè*, inquit, *mundum* perſeipſum *regit, qui perſeipſum condidit*. Et Boetius lib. 4. de conſol. Philoſoph. proſa 4. ſubdit. *Deum per ſe ſolum cuncta diſponere*. Sed hæc nequeunt intelligi, vt excludat actionem, & concurſum cauſarum ſecundarum, vt oſtendimus in 2. Phyſicorum Diſp. 5. q. 2. cum D. Auguſt. 7. de Ciuit. Dei cap. 30. vbi inquit, *Deus res, quas condidit ita adminiſtrat, vt proprios motus agere ſinat*, verùm duntaxat de perſeitate primæ cauſæ in ordine ſuo ergo Deus vt ſic immediate etiam mouet per ſe Cęlum; vt complectitur corpora cæleſtia ſecunda & tertia pars ſimul probantur, tùm quia Sancti Patres Dionyſius cap. 5. de Cęleſti Hierarchia, & cap. 8. de Diuinis Nomen Gregorius lib. 4. Dialogorum cap. 4. Auguſt. lib. 3. de Trin. cap. 4. & alij conſentiunt in hoc, quod ſicut Mundus paruus per ſpiritus vitales, & animales, ita Mundus magnus per cæ-

leſtes

Digitized by Google

leſtes ſpiritus regitur, & gubernatur: tùm etiam, quia bonum vniuerſi deprehenditur ex ordine, quem ſeruant partes adinuicem comparatæ, & ad vnum primum Rectorem, & Gubernatorem, vt oſtendit Ariſtotiles 12. Metaph. à t. 52. & ſequentibus, ſed ordo vniuerſi conſiſtit in hoc, quod Mundus inferior gubernetur à ſuperiori. *Eſt autem in neceſſitate*, inquit idem Ariſtotiles, lib. 1. Meteorolog. cap. 2. *continuus quodammodo iſte ſuperioribus lationibus, vt omnis ipſius virtus inde gubernetur*, Mundus autem ſuperior, qui coaleſcit in corporibus cæleſtibus, cum nequeat regi ab aliquo agente corporeo ſuperiori, de neceſſitate habet gubernari ab agente ſuperiori ſpirituali; verum cùm tale nequeat eſſe primus Motor, quia tum moueret neceſſario, & infinito modo Cęlum, & omnia inferiora, quod non eſt dicendum nec etiam ſecundum Philoſophum, lib. 12. Metaph. à t. 41. & ſequentibus, igitur concludendum, ipſum moueri ab Intelligentia finita, nempe ab Angelo, ſic ordinante Deo. Ex hoc formatur ratio, qua probatur tota concluſio, nàm Cęlum perpetuo motu circulari cietur, ac circumducitur, vt experientia conſtat, & omnes concedunt, & non à principio intrinſeco, vt probatum eſt in præcedenti concluſione, igitur à motore extrinſeco de neceſſitate moueri debite, ſiquidem vt inquit Ariſtotiles 7. Phyſic. t. 1. omne quod mouetur ab alio mouetur: ſed non ab agente corporeo, quia nullum tale ſupra Cœlum datur, & quia tunc motus eius non foret continuus, ac perpetuus, ergo ab incorporeo, & non immediatè à Deo, excludendo motores inferiores, vt aliàs probatum eſt in 2. Phyſicorum Diſp. 5. q. 2. igitur ab eodem mediante Intelligentia, vel Angelo Conſequentia tenet, quia magis congruum eſt, vt Deus Angelorum miniſterium adhibeat in Cœlorum motu, vt ſic habeatur in toto Vniuerſo ſubordinatio ſecundum omnes partes, dùm inquam corpora ſublunaria cæleſtibus, cæleſtia creaturis ſpiritualibus, & iſtæ Deo ſubordinantur, nè proceſſus in infinitum inducatur.

Tertia Concluſio. Hinc infertur, quod nec de poſſibili, Cœlum cieri poſſit ab intrinſeco, mediante propria forma informante, vt non bene cenſuit Maſtrius cum alijs ab ipſo citatis. Probatur, quia huiuſmodi virtus, qua Cœlum ſe moueret eſſet ei naturalis, & non naturalis, ſed naturale, & non naturale implicant contradictionem, ergo &c. Maior probatur, nam eſſet naturalis, vt ſupponitur, quia ei conueniret natura ſua: non naturalis autem eſſet quia nulla virtus naturalis reſpicit aliam formam præter illam, quæ ad bonum ipſius attinet, atqui talis virtus reſpiceret ſolum vbi, aut locum, quæ nullatenus ad Cœli bonum attinent: locus enim ad quem nunc ſol aſcendit nullum emolumentum ipſi affert, non inquam conſeruationem, nam delectationem, nam quamuis nam moueretur Cęlum æque conſeruatum agnoſceremus, cum ſit incorruptibile, & cum ſit expers animæ, nullam delectationem percipere valet, ergo cum de primo ad vltimum talis virtus eſſet naturalis, & nòn naturalis, quæ includunt repugnantiam, conſequenter *implicat* Cęlum poſſe vllo pacto ſeipſum mouere. Secundo probatur à Ruuio, repugnat dari virtutem *cum inclinatione ad actum, mihi* reſpectu alicuius formæ determinatæ, vel termini per eum comparandi, ſiquidem motus de ſua eſſentia reſpicit fieri alicuius termini, ſed motus circularis Cœli non tendit in aliquem determinatum terminum, cùm ad nullum inclinetur, & in nullo quieſcit, ergo dari aliquam virtutem in Cęlo, cum inclinatione ad motum omninò inuoluit repugnantiam. Nec valet dicere cum Maſtrio argumento probari quidem repugnantiam, ſtante rerum ordine, vt modo ſunt, nam verò ſimpliciter, & inuariato ordine vniuerſi, quia tunc poſſet Deus dare formam Cęlo, quæ eſſet illi ratio mouendi ſeipſum ab *intrin*ſeco, quia eſtò poſſet Deus condere aliud Cęlum, & alterius naturæ ab hoc, quod creauit, & ei tribuere motum naturalem, ac determinatum ad locum, ad quem tenderet per ſuam formam, ſicut modo cientur corpora grauia, & leuia per proprias formas, tamen ſiſtendo in hoc, vel altero Cęlo, ac eiuſdem conditionis cum præſenti, implicat, etiam de potentia Dei abſoluta, vt habeat formam, quæ ſit, vel eſſet ratio ipſum mouendi intrinſece, & naturaliter ad locum determinatum, alioquin

quin

Digitized by Google

quin eſſet, & non eſſet idem, vel eiuſdem conditionis, ac naturæ, quæ inuoluunt repugnantiam.

Obijcitur primo contra primam & tertiam Concluſionem ſiquidem non implicet Cęlum à ſeipſo moueri, ſed dato, quod ſic moueatur, hoc non erit, niſi à propria forma, ergo neutra concluſio ſuſtineri poteſt. Maior probatur, quia nulla poteſt aſſignari repugnantia cur naturali virtute ſeipſum non impellat; quandoquidem cum perſpicimus effectum cum aliqua cauſa coniunctum, etſi nobis non ſit manifeſtum, an talis res ſit illius cauſa, debemus potius concedere, quàm inficiari, illam eſſe cauſam, alioquin negare poſſemus grauia virtute propria deſcendere, ignemque ſuapte natura califacere, ſed perſpicimus motum circularem Cęli, & non eſt nobis notum, an Cęlum ſit eius cauſa, nullaque occurrit repugnantia, quin a Cęli virtute cauſari poſſit, ergo ſic cogitandum potius, quam dubitandum, aut negandum erit.

Reſpondetur negando maiorem. Ad probationem negatur antecedens; ſiquidem illa virtus eſſet naturalis, & non naturaſis, quod implicat, vt probatum eſt in tertia Concluſionem. Nec iuuat, quod cum perſpiciamus motum, circularem Cęli, debeamus potiùs illum aſſignare pro effectu formæ Cęli, quam alterius cauſæ, quia tunc ſequeretur; niſi haberemus manifeſtam repugnantiam, vt demonſtratum eſt ſupra probando primam, & tertiam concluſionem.

Obijcitur ſecundo contra, quia forma Cœli foret otioſa, & ſuperflua, cùm nullum concurſum præſtare poſſet, præter paſſiuum, atqui non eſt concedendum de forma tam nobili, quod non negatur cæteris ignobilioribus, vt patet inductiue in compoſitis materialibus, ergo &c.

Reſpondetur negando ſequelam maioris, ſiquidem forma Cœli non foret otioſa, quamuis non eſſet cauſa motus circulatis, quia preterquamquod præſtaret concurſum in ſuo genere, componendo cum ſua materia Cœlum, concurreret etiam in genere cauſæ efficientis, influendo in hæc inferiora paſſiones, & proprietates cæleſtes, vt alias diximus, ac probauimus.

Obijcitur tertio contra ſecundam Concluſionem ſi Cęlum moueretur ab Intelligentia, concedenda foret in illa aliqua violentia, & coactio quippè deberet ſemper acurate eidem aſſiſtere, nec liceret indè diſcedere, aut ad Cęlum Empireum remeare, quæ videntur abſurda, ergo ne ſequantur, dicendum potius non moueri Cęlum ab Intelligentia, vel Angelo.

Reſpondetur negando ſequelam maioris; ſiquidem Intelligentia vel Angelus mouit Cęlum liberè ex Diuinæ Voluntatis imperio, ſui deſerniens ſumma perfruitur libertate, vt pater in Beatis, quorum fælicitas maximè enitet, diuinæ, penitus obtemperando Voluntati. Ad illud, quod adijcitur non eſſe futurum, vt ipſis liceret indè diſcedere, vel indigentes inuiſere, dico poſſe diuinitus fieri, vt Angeli Cęlis aſſiſtant ac ſimul in Empireo cum Beatis exultent, vel ad nos accedant. Vel dicendum non neceſſum eſſe, vt idem Angelus eidem Cęlo ſemper aſſiſtat, & affixus maneat, ſed poſſe alium Angelum ſubrogari, ad illius ſupplendas vices.

Obijcitur quarto ſi idem Angelus eidem Cęlo ſemper aſſiſteret, aliqua fatigatio ipſum turbaret cum ſit finitæ virtutis. ergo cum hoc ſit diſſentaneum naturæ ſpirituali, & incorruptibili, dicendum eſt potiùs, Cęlum non moueri ab Angelo aſſiſtente.

Reſpondetur negando ſequelam antecedentis, ſiquidem fatigatio naſcitur ex reluctantia eorum agentium, quæ in agendo repatiuntur, non verò in Angelis, qui ſunt immateriales, nulloque fatigari poſſunt labore, vt potè per voluntatem liberè agentes.

Obijcitur quinto ſi Angeli Cęlos mouerent, poſſent eos pro arbitrio demorari, nunc celeriùs, modò tardius impellentes, & ſic Vniuerſi ordinem confundere, quæ ſunt abſurda, ergo &c.

Reſpondetur negando ſequelam maioris; nam quamuis poſſent vti liberate, ſi ſibi dimitterentur, tamen nunquam efficient, quia eorum voluntates ſunt Deo vnitæ, & cōformatæ, ac ex Diuina determinatione ob Vniuerſi bonum ordinate operari ſunt obſtricti.

Verum

Vtrum ex Cælorum motu ſonus, concentuſuè efficiatur?

QVÆSTIO VI.

Pythagoras, vnus ex Antiquis Philoſophis, qui ante Ariſtotelem floruerunt, cenſuit ex Cęlorum circumductu admirabilem, ſuauemque concentum cauſari; cui adhærens Plato adijcit, ſingulis Cęlis ſingulas ſirenes inſidere, Cęlorumque harmonia, & ſirenarum cantu Numina celebrari.

Eidem opinioni ſubſcripſit cicero in libello de ſomnio ſcipionis, Philo Iudæus lib. de ſomnijs, quam tamen reijcit Ariſtoteles in hoc 2. de Cęlo à t. 52. vſque ad t. 56. vt ſuo loco videbimus in expoſitione illius capitis ſecundi. Vnde vt ad præſens ſpectat, ſequendo affectiones motus Cęlorum hanc exagitabimus difficultatem ſecundum mentem Ariſtotilis.

Pro cuius intelligentia, & fundamento concluſionum ponendarum, adnotandum eſt primo ex Ariſtoteles ſecundo de Anima t.78. ſonum eſſe qualitatem ſenſibilem, ſpectantem ad tertiam ſpeciem qualitatis, cauſatam à tribus vel ſaltem à duobus, nempè à percutione, percuſſo, & medio, vt à malleo, campana, & aere intercepto, vel à verberante, & aere verberato. Ex quibus infertur, quod in productione ſoni duo motus locales præcedere debent, prior, quo corpora ſonantia adinuicem ſe collidunt, & percutiunt; poſterior vero, quo medium per impulſum à corporibus ſonantibus ſibi impreſſum, reſilit ſecundo infertur, ab horum neutro cauſari ſonum, ſiquidem motus localis terminatur ad vbi, quod eſt relatio, ſonus verò eſt qualitas. Tertiò infertur, ſonum, vt potè qualitatem, dependere à motu alterationis, cauſato à corporibus ſonantibus; nam terminus alterationis eſt qualitas ex 5.Phyſ. t.10. & p.de gener. & corrupt. t. 24. quarto infertur, ſonum à tribus motibus neceſſariò pendere, at diuerſimode; nam à duobus prioribus diſpoſitiuè, à poſteriori verò cauſaliter habet eſſe, & conſeruari, quod ex eo conuincitur, quia ceſſantibus motibus localibus, adhuc ſonus preſeruerat, vt patet in campana, vel cimbalo, ſiquidem horum mota ceſſante, adhuc conſeruatur ſonus in aerę, in quo ſubiectiuè recipitur.

Secundo notandum eſt, ſonum dupliciter conſiderari poſſe, & ſecundum eſſe reale, & ſecundum eſſe intentionale. Sonus priori modo ſpectatus eſt qualitas audibilis, & eſt duplex ſcilicet ſimplex, qui per aerem refertur ſine aliqua euidenti repercuſſione corporum ſonantium, & reflexus, qui per aerem fertur cum euidenti repercuſſione, & talis dicitur Echo. Sonus poſteriori modo conſideratus eſt ſpecies ſoni realis in medio recepta, & vſque ad potentiam auditiuam multiplicata, vt fuſius diximus in 2. de anima *diſp. 5. q. 2.* Ex his habetur, ſonum ſiue in eſſe reali, ſiue in eſſe intentionali, ſpectatum, cum ſit qualitas, per actionem tranſeuntem percutientis, & percuſſi, cauſata, non poſſe ſubiectari in eis, ſiue ſimul, ſiue diuiſim, ſed ſolum in medio, in quo immediatè recipitur, & per quod organum auditus defertur.

Tertio Notandum ex Boetio *lib. 1. ſuæ.* Muſicæ cap. 3. Concentum eſſe triplicem ſcilicet vocalem, inſtrumentarium, & mundanum. Vocalis eſt, qui modulata, & dulci vocum diuerſitate noſtros auditus delinit. Inſtrumentarius, qui artificioſis inſtrumentis, vt tibijs, fiſtulis, organis, ac cæteris huiuſmodi, numeroſe ſonantibus editur. Mundanus eſt, qui ex connexione, ordine, ac proportione vniuerſi reſultat, & concentus huiuſmodi eſt harmonia, quæ in elementorum diſcordi amicitia, in diſcrepantium qualitatum, & humorum adæquatione, in connexione formarum cum materia, ac in totius vniuerſi pactibus communiter compoſitis, conſiſtir. Hunc igitur concentum ex rerum proportione productum Cęlis tribuimus, non illum ex vocibus, & inſtrumentis harmonicis editum.

Ex his ſit prima Concluſio. Ex Cęlorum motibus, & reuolutionibus nullus ſonus, nulluſque concentus, aut vocalis, aut inſtrumentarius efficitur. Eſt communis Peripateticorum cum ſuo principe Ariſtotele in hoc 2.lib.t. 52. Probatur primo quia experientia comprobari poteſt, nullum talem ſonum, aut concentum ad noſtras aures, noſtraſuè potentias auditiuas vm-

quam

quam perueniſſe, ergo Pythagoricorum opinio eſt falſa, & fictitia.

Dices cum illis, Cœlorum ſonum à nobis non ſecerni, & cognoſci, quia aures noſtræ ab ipſo ortu illi aſſuetæ ſunt, quemadmodum fabriferrarij maleorum ſonitum ob aſſuetudinem non percipiunt.

Contra, quia fabriferrarij maleorum ictus reuera percipiunt, ac ſentiunt, & optime eos ſilentio diſtinguunt, vt experientia teſtatur, dùm percuſſione parumper intermiſſa ad opus perficiendum iteratò incumbunt, ergo ex falſa cogitatione nequeunt Pithagorici adſtruere veritatem propriæ opinionis.

Secundò Probatur, vt à corporibus ſonus verus, & realis emittatur, exigitur aeris intercepti colliſio, aut diſtractio, vt adnotauimus ſupra ex Ariſtotele ſecundo de Anima t. 78. 79. & 80. corpora quippe non ſonant, niſi ſuis motibus diuidant, & frangant medium, aerem ſcilicet interiectum, ſed Cœli aerem non intercludunt, nec per medium mouentur, vt eſt notum apud omnes, quandoquidem mouentur circulariter circa ipſum, & non frangunt medium, ergo cum nequeant aliquem ſonum emittere, nec concentus poterit à nobis audiri.

Tertiò Probatur, quia admiſſo huiuſmodi ſono, ob nimium exceſſus fragorem, ex colliſione Corporum Cœleſtium, prouenientem, hæc inferiora, quamuis inanimata, ac robuſta diſrumperentur, vt probat Ariſtoteles hic t. 53. ſed huiuſmodi deſtructiones hactenùs non apparuerunt in his inferioribus, ergo neque ſonus, aut concentus è Cœlorum motibus vmquam emiſſus creditur.

Secunda Concluſio. Si verò ſit ſermo de ſono metaphorico, & concentu mundano, non eſt denegandum, quin à Cœlis vterque emitti poſſit, etiam de mente Ariſtotelis. Probatur prima pars, ex Sacra Scriptura, nam Iob cap. 38. v. 37. dicitur: *Quis enarrabit Cœlorum ordinem, & concentum Cœli quis dormire faciet?* Vbi Lyranus, & cæteri Latini Interpretes apud Pinedam communiter vertunt, & explicant: *Quis enarrabit Cœlorum numerum, & motuum conuenientiam, & ordinem, & concentum Cœli, hoc eſt conuenientiam, diſpoſitionem, & proportionem motuum cœleſtium, quis dormire faciet, ideſt non cognoſcet?* Sed in his conſiſtit ſonus metaphoricus, & concentus mundanus Cœlorum, vt dictum eſt in tertio Nor. ex Boetio, ergo Cœli poſſunt emittere ſonum, & concentum metaphoricè. Secunda Pars probatur, quia Ariſtoteles ſecundo, & 8. Phyſicorum poſuit combinationem, & ordinem cauſarum, & mouentium adinuicem, ac dependentiam ab vno primo: libro primo Meteorologicorum capit. 2. ſubdit hunc Mundum inferiorem ſuperiori, vt ab hoc ille gubernari poſſit: libr. 12. Metaphyſicorum à t. 52. vſque ad finem, ſtatuit bonum Vniuerſi conſiſtere in ordine, diſpoſitione, ac proportione partium ad ſeinuicem, & ad vnum principium, ſed in his conſpicitur ſonus metaphoricus, & concentus mundanus deſcriptus à Boetio vbi ſupra, ergo concluſio noſtra eſt etiam de mente Ariſtotelis.

Obijcitur primò contra primam Concluſionem. Nam corpora dura, & lenia ſi inuicem refricentur ſonum emittunt ex Ariſtotele ſecundo de Anima t. 78. quare infert, quod lanæ, & corpora mollia non ſonant, quia non ſunt dura, ſimiliter ea, quæ planam non habent ſuperficiem non ſonant, cum non ſint lenia; atqui Cœli ſunt natura ſua corpora dura, ac lenia, vt ſupra oſtendimus, ergo cum in ſuis motibus inuicem ſe tangant, & confricentur, debent ſonum, & concentum emittere.

Reſpondetur, vt aliqua corpora ſonent, expoſcere inſimul medium, ideſt aerem, qui ſonum ex corporum colliſione editum recipiat, & ad aures deferat, ex eodem Ariſtotele loco citato, ideò cum Cœli careant aere interiecto, quamuis ſint corpora dura, & lenia, minimè ſonum emittere poſſunt.

Obijcitur ſecundò, quia intantum denegatur à Cœlis ſonus, & concentus, quia caret medio recipiente, ac deferēte ſonum, ac ſuauitatem concentus ad aures noſtras, ſed huiuſmodi ratio nulla eſt, quia viſio fit ſine tali medio, ſiquidem Sol, & reliqua Aſtra videntur à nobis ſine medio, ergo

Digitized by Google

ergo & auditio ſoni fieri poterit ſine tali medio.

Reſpondetur negando Minorem: Ad probationem dico, aſſumi falſum, vt potiſſimum de viſione demonſtrauimus in ſecundo de Anima diſp. 5. quæſt. 1. ex Ariſtotele ibidem t. 68. & ſequentibus, ſiquidem in omni ſenſatione exigitur medium deferens ſpecies obiectorum externorum ad potentias exteriores: Si igitur Cœli careant tali medio, non poterunt ſonum edere, qui ad aures perueniat, & audiatur.

Obijcitur tertiò. Ideò Ariſtoteles aufert ſonum à Cœleſtibus Corporibus, quia ſi fieret, diſſiparet hæc inferiora; eſſet enim vehementiſſimus, & excellens ſenſibile lædit ſenſum, vt docet Ariſtoteles hic t. 53. & ſecundo de Anima t. 123. ſed huiuſmodi motiuum non officit in præſenti, quia talis ſonus eſſet harmonicus, & ſuauis, quare potiùs confortaret, quàm ſenſum læderet, non eſt igitur ob id denegandus ſonus à Cœlis.

Reſpondetur negando Minorem: nec iuuaret quicquam harmonia ſoni, quin foret excellentiſſimus, & vehementiſſimus, maximè in motu primi mobilis velociſſimo, quare optimè ſequeretur diſſipatio in his inferioribus, ſi daretur ſonus verus, & realis in Cœleſtium Corporum motibus.

Vtrum quodcumque Cœlum moueatur à propria Intelligentia, vel vna tantum ſufficiat omnibus Cœlis?

QVÆSTIO VII.

PRæſentis quæſtionis ordo duplex ſtatuendus venit, iuxta ea, quæ ſupponit, & alia quæ inueſtigare pertentat, ac quærit: Supponit namque dari multitudinem Cœlorum, ſeù Orbium, aut ſphærarum abinuicem ſpecie diſtinctarum, & poſtea quærere ſatagit, an ab vna Intelligentia duntaxat moueantur omnes, vel ſingulis orbibus, ſiue ſphæris, ſingulæ Intelligentiæ motrices præponendæ ſint.

Circa priorem partem, quæ ſupponitur, litigant Doctores Philoſophi, ac Theologi de numero Cœlorum, orbiumue, & ſphærarum; quandoquidem nonnulli tres tantum ſphæras, ſiue Orbes agnoſcunt, nempe ſtellarum fixarum, Solis, & Lunę: Aliqui octo, ſcilicet ſeptem Planetarum, & octauus ſtellarum fixarum. Huius opinionis fuit Ariſtoteles 12. Metaphyſicorum t. 47. & ante ipſum illam docuerunt Ægyptij, Caldæi, & ferè omnes Græci, vt refert Plinius libr. 2. capit. 8. Natur. Hiſtoriæ.

Alij verò conſiderantes Cœlum ſtellatum, præter motum communem, quo cietur ab Ortu ad Occaſum, moueri motu ſibi proprio, ab Occidente ad Orientem, ſicut alij Orbes Planetarum, & cum vnius corporis ſimplicis nequeant eſſe duo motus per ſe, collegerunt debere aſſignari aliud Cœlum ſupra ſtellatum, cui conueniat motus diurnus, ab Oriente nimirum in Occidentem, & ſic ſecundum iſtam ſententiam erunt nouem Cœli, ſiuè ſphæræ mobiles. Sic cenſuerunt nobiles Aſtronomi Ptolomæus, Alphragnus, Auicenas 9. Metaphyſicorum quos refert, ac ſequitur Doctor Subtilis in 2. d. 14. q. 2. art. 1. in fine, quibus poſteà adhæſerunt alij ferè communiter.

Verùm quia alij Aſtronomi moderniores obſeruarunt poſt illos duos motus, agnitos in Cœlo ſtellato, aſpici alium tertium, quam appellarunt, trepidationis, ſeù acceſſus, & receſſus; vnde coacti ſunt ponere decimum Cœlum, cui tamquam proprius conueniat motus diurnus viginti quatuor horarum, motus autem acceſſus, & receſſus ſit proprius Cœli ſtellati. Ita Georgius Purbacchius, Ioann. Monteregius, Thebitius, & alij, quos refert, ac ſequitur Colleg. Conimbric. hic capit. 5. quæſt. 1. art. 1. Cæterum Ruuius quamuis videatur præbere modum ſuſtinendi numerum denarium Cœlorum cum præcedenti ſententia, nihilominùs ab ipſa recedens, ſtatuit propriam opinionem cum Ariſtotele, aſſerendo dari tantum octo Cœlos mobiles ſcilicet ſeptem ſtellarum Errantium, & octauum, in quo reſident ſtellæ fixæ, quod & Firmamentum, & primum Mobile appellatur ab eo. His adiungit, Cœlum Empyreum cum Theologis pro nona ſphæra, immobili tamen, vt communiter tenetur, cuius naturam,

&

& eſſentiam expendit hic capit. 5. quæſt. 3. ſequenti.

Circa poſteriorem partem etiam diſſident Doctores ponentes Cęlos moueri ab extrinſeco; quandoquidem Fracaſtorius in ſuis Homocent. cap. 7. ſect. 1. cum alijs, quorum meminit Alber. Magnus in Sum. part. 1. de Coæuis quæſt. 4. art. 26. ſuſtinet totam machinam ſphærarum Cœleſtium, ſufficienter moueri ab vna ſola Intelligentia, quare veluti ſuperuacaneum cenſet adhibere plures, iuxtà illud commune Axioma: Non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate.

Verùm communis ſententia, quam ferè omnes Doctores, cùm Philoſophi, tùm Theologi, ſiuè Antiqui, ſiuè Recentiores, amplexi ſunt, docet cum Ariſtotele libr. 12. Metaphyſicorum Sum. 2. capit. 4. t. 47. vnicuique Orbi mobili aſſignandam eſſe vnam Intelligentiam, quæ illum moueat. Ita potiſſimum aſſerunt D. Thom. 12. Metaphyſicorum ad t. Ariſt. citatum, & quæſt. 16. de Malo art. 10. Doct. Subtilis ſuper eodem textu, & in 2. d. 14. quæſt. 1. ſub B, ac vtriuſque Diſcipuli relati varijs in locis.

An autem Deus ſe ſolo poſsit, vel de facto moueat primum Mobile, & cum ipſo rapiat omnes Orbes inferiores, vt videntur velle Ariſtoteles 12. Metaphyſicorum t. 37. Auicena 9. Metaphyſic. capit. 4. D. Bonauentura in 2. d. 14. quæſt. 1. Scotus quol. 7. & in Expoſ. Metaphyſicorum libr. 12. ad t. 44. cum alijs, relatis à Conimbric. hic capit. 5. quæſt. 6. reſpondebimus infra.

Pro harum omnium difficultatum ſolutione primo Notandum ex Ariſtotel. lib. 1. de Cœlo à t. 7. & ſeqq. & ex Doct. Subtil. in 2. d. 14. q. 2. art. 1. cùm vnius corporis ſimplicis ſit tantum vnus motus ſimplex, & econuersò, inferendum eſt, ex multiplicatione, ac diuerſitate motuum ſimpliciũ, arguendum eſſe numerum Cœlorum, vtpotè corporum ſimplicium: Vnde cum motus circularis ſit ſimplex, conueniatque Cęlis, & multiplicatio, atque diuerſitas eiuſdem appareat vſque ad numerum nouenarium, Cęlos quoque fore nouem: Nam cum ſtellæ errantes, mobiles ad motum ſuorum Orbium difformiter, vt ſupra adnotauimus quartò cum Aſtronomis in hac Diſp. quæſt. 5. ſtatuant ſeptem Orbes, ſeù ſphæras Cęleſtes, ſupra quas, cùm conſpiciantur ſtellæ fixæ, ſemper in eadem diſtantia adinuicem, & ad polos, facientes motum, de neceſsitate ſibi conſtituunt, & octauum Orbem, mobilem ab Occidente ad Orientem, (ſiquidem nulla ſtella mouetur per ſe, verum duntaxat ad motum ſui Orbis, alioquin vel daretur vacuum, vel ſeinuicem penetrarent, aut ſcinderent, vt ſuperiùs demonſtrauimus cum Doctore Subtili in præcitato loco:) Inſuper quia omnes Orbes prædicti moueri conſpiciuntur quotidie motu, qui diurnus vocatur, ab Oriente ad Occidentem, & cùm huiuſmodi motus nequeat eſſe alicuius Orbis inferioris, neque Cœli ſtellati, ſiquidem habent proprios motus ab Occidente ad Orientem, concludendum eſt dari nonum Cęlum, quod tali motu cieatur, vocetur, que primum mobile; ac proindè Orbes, ſeù ſphæras mobiles, nouenario numero, nec maiori, neque minori circumſcribi poſſe.

Secundò Notandum eſt, ex vtraque Schola D. Thomæ, ac Doctoris Subtilis, Deum eſſe primam cauſam in agendo ad extra, independentem à quacunque actione cauſarum ſecundarum, adeòquòd perſe moliri poteſt quoſcumque effectus, qui fieri poſſunt à cauſis ſecundis; quandoquidem, ſicut continet eminenter, & virtualiter cauſas ſecundum ſuas entitates, & in actu primo, ſic etiam ſecundum earumdem operationes continere poteſt, ac debet: cum hoc tamen ſtat, vt ſi velit, quod admittat concurſum, & virtutem in eiſdem operationibus moliendis, etiam cauſatum ſecundarum, dicente D. Auguſtino, libr. 7. de Ciuitate Dei capit. 30. *Deus res, quas condidit, adminiſtrat, vt proprios motus agere ſinat*. Ex quibus infertur, quod licet in Cęlorum conditione, ac motu demandauerit illorum operationes, vt efficiantur vnà ſecum ab Intelligentijs, non propterea voluit ſuum alligare concurſum, Intelligentiarum concurſui, vt non poſsit, ſi velit, quoſcumque mouere Cęlos per ſe, ac independenter ab eis, abſque vlla imperfectionis nota, vt non benè cenſuit Abulenſis in capit. 23. Exodi quæſt. 5. ſiquidem, vt inquit Scotus in primo d. 17. quæſt. 1. Cc, & in 4.

d. 12. quæſt. 1. Deus poteſt ſe ſolo, quicquid poteſt cum cauſa ſecunda, dummodo non ſit illi intrinſecum, aut de eſſentia, ſed extrinſecum, ac accidentale, cùm eminentiùs, & meliùs habeat in ſe cauſalites cauſarum ſecundarum, quam in ſeipſis.

Tertiò Notandum ex eiſdem Doctoribus varijs in locis ſuæ doctrinæ, res creatas, quemadmodum obtinuerunt entitates finitas, ac limitatas à Deo, ſi eſſe determinatæ virtutis, vt nequeant quidquam operari extra ſphæram ſuarum actiuitatum: Operari nanque ſequitur eſſe. Ex quo infertur, quod cùm quælibet Intelligentia motrix Cœli ſit res finita, limitata, ac determinatæ virtutis, & ſingula ſit, vt motrix applicata, Deo ſic iubente, vnicuique Orbi ſecundum proportionatam, & adæquatam virtutem, non poterit vna, & eadem ſecundum diuerſitatem motuum, circumducere omnes Cęlos, ſed de neceſſitate vnumquodque mouebitur à propria Intelligentia ſecundum vires ſuas, à Deo in ſui creatione receptas.

Ex his ſit prima Concluſio. Orbes Cęlorum mobiles ſunt tantùm nouem, & non plures, aut pauciores. Eſt Scoti in 2. d. 14. quæſt. 2. art. 1. poſt Auicen. libr. 9. ſuæ Metaph. & Ptolomæum in Almageſto, contra Ruuium, & alios citatos pro ſecunda ſententia. Probatur, quia multiplicitas Orbium deſumenda eſt à multiplicitate, ac diuerſitate motuum, iuxtà communem ſententiam Aſtrologorum, quia modus cognoſcendi corpora ſimplicia refunditur in cognitionem motuum ſimplicium, etiam ex Ariſtotele libro primo de Cęlo à t. 7. ac ſequentibus, ſed huiuſmodi motus difformes, ac diuerſi ſunt tantum numero nouem, nec plures, nec pauciores, ergo & Orbes mobiles erunt tantum nouem, nec plures, nec pauciores. Minor probatur, nam ſeptem Planetæ, qui ſtellæ errantes vocantur, cùm non ſemper in ſuis motibus ſeruant eandem diſtantiam à ſtellis, quæ fixæ appellantur, ſiquidem nunc inter ſe congrediuntur, aut ſibi viciniores fiunt, nunc diſſociantur, vt ſingulis menſibus conſpicimus in Sole, & Luna, ac ſtatis temporibus in cæteris motus varias figuras formant, vel oppoſitionis, vel trigoni, aut quadrati, aut ſextilis, aut coniunctionis, vt adnotare ſolent Aſtronomi, præſertim Genethliaci, at huiuſmodi motus fiunt in proprijs Orbibus; ſtellæ namque per ſe conſideratæ nullum motum habent, verùm cientur ſolum ad motum ſuorum Orbium, alioquin, aut daretur vacuum, aut adinuicem ſe penetrarent, ſcinderentuè, vt alias probatum eſt, ergo ex his motibus difformibus ſtatuendi ſunt ſeptem Orbes mobiles. Deinde, quia ſtellæ fixæ ſemper conſpiciuntur mobiles ſecundum eandem diſtantiam, & non in aliquo inferiorum Orbium, qui difformiter mouentur, aliter non eſſent ſemper æquè diſtantes, ergo in alio ſuperiori, ac proinde ponendus eſt octauus Orbis, in quo ſtellæ fixæ reſident: Verùm quoniam quotidiè experimur Cęlos omnes inferiores cieri ab Ortu ad Occaſum, in ſpatio temporis viginti quatuor horarum, & talis motus fieri nequit in aliquo Orbe inferiori, neque in Cęlo ſtellato, ſiquidem mouentur omnes ſuis proprijs motibus, diuerſis temporibus ab Occidente ad Orientem, vt ſupra adnotauimus quæſt. 5. not. vltimo, & cum vnius corporis ſimplicis nequeant eſſe plures motus ſimplices ex Ariſt. libr. 1. de Cęlo à t. 7. ac ſequentibus, inferendum eſt dari nonum Cęlum, quod primum Mobile appelletur, & ſupra quod non ſit aliud Cęlum mobile, ſed tantum Empyreum immobile.

Secunda Concluſio. Hi omnes Cęli moueri ſimul nequeunt ab vna ſola Intelligentia Motrice, ſed vnumquodque exigit propriam Intelligentiam, à qua cieri poſſit, ac debeat. Eſt communis contra Fracaſtorium, & alios ab ipſo relatos. Probatur prima pars, quia quælibet Intelligentia, cum ſit limitata, & finita in entitate, eſt etiam determinatæ virtutis, ac actiuitatis, ſiquidem agere, & operari ſequitur entitatem, & virtus actiua cuiuſlibet cauſæ ſecundæ non diſtinguitur ab ipſius entitate, vt probauimus cum Scoto in 2. Phyſic. diſp. 5. quæſt. 1. ſed quod ſubſtantiam, & entitatem vna Intelligentia nequit eſſe præſens omnibus Cęlis mobilibus ſimul, ergo non poterit operari in eis tranſeunter per motum. Minor probatur nam ex communi Theologorũ ſentẽtia, ac etiã multorũ

San-

Sanctorum Patrum, vnus, & idem Angelus nequit eſſe ſimul in Cælo, & in terra, ergo multò minus in tota ſphæra Cœleſti, quæ complectitur duplicatum ſpatium, quàm ſit illud, quod menſuratur inter Cęlum, & terram. Deinde arguitur, quia vnus & idem motor non poteſt ſimul, & ſemel mouere idem mobile motibus contrarijs, ac diſparatis, ſed omnes Cęli mouentur motu diurno ab Oriente in Occidentem, & eodem tempore omnes, præter primum mobile, feruntur ab Occidente ad Orientem, qui ſunt motus contrarij, ergo huiuſmodi motus nequeunt ſimul, & eodem tempore fieri ab vno, & eodem motore, ac proinde nec ab vna Intelligentia motrice. Maior patet, quia motor extrinſecus mouet mobile per impulſum, atqui ab vno, & eodem motore ſimul, & eodem tempore nequit cauſari impulſus in eodem mobili ad terminos contrarios, ergo nec ſimul moueri motibus contrarijs ab vno, & eodem motore. Maior probabitur in ſequenti quæſtione. Secunda Pars probatur primo auctoritate *Ariſtotelis in 12. Metaphyſicorum t. 47.* vbi cuilibet Cœlo applicat vnam Intelligentiam Motricem eiuſdem. Secundò probatur, quia quodlibet Cœlum mobile eſt determinatæ magnitudinis, & omne tale mouetur ab Intelligentijs, vt probatum eſt in præcedentibus, igitur cum vna non ſufficiat pro omnibus, vt oſtenſum eſt, vnicuique Cœlo mobili applicanda eſt vna Intelligentia motrix. Conſequentia tenet, quia etiam quælibet Intelligentia eſt determinatæ virtutis, & actiuitatis, ergo cum vna non ſufficiat pro pluribus, ſequitur quod vnicuique Cęlo, vna Intelligentia motrix ſit à Deo applicata, & coniuncta.

Tertia Concluſio. Quamuis Deus ſe ſolo poſſit mouere omnes, & ſingulos Cęlos, tamen de facto ſinit, quamlibet Intelligentiam mouere proprium Cęlum, cui eſt coniuncta. Eſt communis vtriuſque Scholæ Diui Thomæ, & Scoti, contra Abulenſem in capit. 23. Exodi quæſt. 5. Probatur prima pars, nam Deus continet in ſe virtualiter, ac eminenter, nedùm entitates, ſed etiam virtutem, & actiuitatem cauſarum ſecundarum, cùm hæ dependeant ab eo, quoad eſſe ſieri, & operari, ſed cauſæ ſecundæ, vt ſunt Intelligentiæ, mouent efficienter Cęlos, ergo etiam ſe ſolo poterit illos mouere. Conſequentia patet per illud axioma commune: quicquid poteſt Deus cum cauſis ſecundis, poteſt etiam ſe ſolo, dummodo nulla adſit imperfectio, vt alias probatum eſt ex Doctore Subtili in primo d. 17. quæſt. 1. ſub Cc, & in 4. d. 12. quæſt. 1. E. Secunda pars probatur ex Diuus Auguſtinus 7. de Ciuitate Dei capit. 3. vbi inquit, Deus res, quas condidit ita adminiſtrat, vt proprios motus agere ſinat. Deinde confirmatur ratione, quia aliter dediſſet Intelligentijs virtutem motiuam fruſtra, ſi eas non admitteret ad productionem motus Cęlorum. Quinimò illas deſtrueret, ſiquidem ait Commentator 9. Metaphyſicorum com. 2. quod ablatis operationibus, neceſſe eſt auferri rerum eſſentias, igitur nè ſequantur talia abſurda, dicendum eſt, Deum poſſe quidem ſe ſolo mouere omnes Cęlos, non tamen de facto illos circumuoluere per ſe, excludendo operationes Intelligentiarum motricium, verum concurre cum eis in genere cauſæ primæ, vt ſuperius etiam concluſimus

Obijcitur primò contra primam Concluſionem. Nam non ſunt ſine neceſſitate multiplicandi Orbes, ſiue ſphæræ Cęleſtes, ſed octo ſufficiunt Orbes mobiles, ſicut docuit Ariſtoteles, ergo ſuperuacaneũ erit illos multiplicare ad numerum nouenarium. Maior eſt nota ex illo axiomate communi: Non ſunt multiplicanda entia abſque neceſſitate. Minor probatur, quia in tantùm addunt nonum Cęlum mobile octauo, inquantum Aſtronomi teſtantur, ſe obſeruaſſe in Cęlo ſtellato, præter motum ab Oriente ad Occidentem, alium motum retrogradum, licet tardiſſimum, ab Occidente ad Orientem, qui cum non poſſit eſſe motus alicuius Orbis inferioris, debet eſſe proprius illius Cęli; & cum moueatur ſimul cum cæteris, ab Ortu ad Occaſum ſpatio vnius diei naturalis, concludendum eſt eſſe alicuius alterius Orbis ſuperioris, ac proindè octauo coguntur addere nonum Cœlum mobile, ſed huiuſmodi ratio, licet videatur apparens, nihilominus in veritate nulla eſt, ergo nulla adeſt neceſſitas ſuperaddendi nonum Cęlum mobile. Minor probatur à Rubio,

tùm quia motus eſt ſenſibile commune ex Ariſtot. ſecundo de Anima t.64. circa quod poteſt eſſe deceptio, ad differentiam ſenſibilium propriorum, in quibus ſenſus proprij decipi nequeunt ex eodem ibidem t.63. tùm etiam, quia talis motus retrogradus, qui tanquam proprius aſſignatur Cęlo ſtellato, eſt tardiſſimus; ſiquidem vnam circulationem complet tantum ſpatio ſex millium annorum, ergo huiuſmodi motus, vel nunquam percipi poterit, vel non ſecundum veritatem, ob nimiam diſtantiam à noſtris ſenſibus, quare nulla adeſt ratio multiplicandi aliud Cœlum ſupra octauum.

Reſpondetur negando Minorem. Ad cuius probationem, iterùm neganda eſt minor. Et cum probatur à Ruuio, dicendum, non potuiſſe decipi Aſtronomos ex tam longa, & continua obſeruatione, adhibitaque diligentia circa talem motum deprehenſum in Cœlo ſtellato ſupra diurnum; quandoquidem à tempore Platonis, & Ariſtotelis vſque ad Aſtrologos poſteriores, ac poſtremos, qui talem obſeruarunt mutationem per acceſſum; & receſſum quarundam ſtellarum à polis immobilibus, effluxerunt plurimi anni, quare conſiderantes, non potuiſſe accidere tales mutationes, niſi per motum Cœli, in quo fixæ manent, conati fuerunt adſtruere in Cœlo ſtellato alium motum præter diurnum, ac proindè aliud Cœlum ſuperiùs, à quo rapiantur cæteri Orbes inferiores in tali ſpatio viginti quatuor horarum. Neque officit, aut iuuat, quod motus ille aſſeratur tardiſſimus, adeout non potuerit ab vllo Aſtrologo ob ſuæ vitæ breuitatem percipi, quia eſtò hoc inficiari non poſſit de aliquo, qui fuerit vicinior temporibus Platonis, & Ariſtotelis, nihilominus de ſucceſſoribus abſque fundamento hoc negari poterit, quippequi cùm nonnullas aliàs mutationes, & minoris momenti, aduerterint in ſtellis fixis, medijs inſtrumentis, quibus, & ad præſens, vtuntur recentiores Aſtrologi quantò magis potuerunt aſſerere de tali motu. Cùm igitur vnicuique experto in aliqua ſcientia credendum ſit, dicimus magis illis fidendum eſſe, dùm aſtruunt talem motum in Cœlo ſtellato, quàm Ruuio oppoſitum tenenti cum clarior notitia eorum, quæ ſupra nos ſunt, per certiora media haberi non poſſit.

Contra, quia admiſſa hac doctrina, nec nos negare poterimus decimum Cęlum, ab alijs Aſtrologis, aſſertum eodem fundamẽto, quod nimirum perſpexerint in Cœlo ſtellato motum trepidationis, ſeù acceſſus, & receſſus, quod tamen in noſtra concluſione abſolutè negauimus.

Reſpondetur negando conſequentiam: quandoquidem admiſſa illa obſeruatione de motu trepidationis in Cęlo ſtellato, cum quibuſdam Recentioribus, quæ tamen negatur ab alijs, non propterea augeri debet aliud Cœlum à ſtellato diſtinctum, quia nec alius motus difformis à motu Cęli ſtellati, conſpicitur, ſiquidem illæ apparentiæ trepidationis cauſantur in eodem motu retrogrado eiuſdem Cœli ſtellati, quia cùm mouetur motu diurno ab Oriente in Occidentem, non complet perfectè circulum per ſpatium viginti quatuor horarum, ſed parum retrò remanet cum aliquo acceſſu ad polos immobiles, & poſteà ab eis receſſu cum alium circulum incipit, vnde quoniam in tali acceſſu, ac receſſu apparet aliqualis difformitas in tali motu, quæ tamen non eſt, propterea fuit à quibuſdam Aſtrologis iudicatus talis motus, cui deberetur aliud Cœlum, ſed reuera non eſt talis, alioquin cuilibet Planetæ, cùm ſubeunt aliquali eleuationi, aut depreſſioni, vel extenſioni, deberentur plures Cœli, quod tamen hactenùs nemo excogitauit, vt alias obſeruauimus cum Doctore Subtili in 2. d. 14. quæſt. 2. Concludendum eſt igitur non eſſe ponendum decimum Cęlum mobile, cum nouem ſufficiant ad explendos motus ab Aſtrologis obſeruatos in Corporibus Cœleſtibus.

Obijcitur ſecundò, quia ex Sacra Scriptura colligitur diuerſitas in enumerandis Cęlis, ergo male poſuimus nos numerum nouenarium Cęlorum, vt non ſint plures, vel pauciores. Antecedens probatur, quia Geneſ. cap. 1. dicitur: *In principio creauit Deus Cœlum, & Terram*: ecce vnicum Cęlum, ſicut vnica eſt Terra: Item Theodoretus ibidem quæſt. 11. enumerat duos, vnum creatum ante lucem, alterum poſt illius creationem: Item Paulus 2. ad Corinth. cap. 12. addit tertium, cum fateatur ſe raptum fuiſſe vſque ad tertium Cęlum.

Item

Item Pſalmographus pluries enumerat multitudinem Cęlorum, nec tamen numerum aliquem determinat, ergo ex Sacra Scriptura colligitur quidem diuerſitas, at non numerus Cęlorum determinatus, ac proinde nec nos debuimus illum aſſerere ſic determinatè.

Reſpondetur negando conſequentiam: Nam ex Sacro Codice nil certi haberi poteſt circa numerum Cęlorum, cùm in eo multipliciter vſurpetur nomen Cęli: ſiquidem interdum ſumitur pro parte Mundi ſuperioris ab Elementari diſtincta, ſicque complectitur Cęlum Empyreum immobile, & nouem mobiles à nobis enumeratos, & de hoc intelligitur illud Geneſis: *In principio creauit Deus Cœlum, & Terram*: interdùm accipitur Cœlum pro tota ſphæra Mundiali, & ſic diuiditur Cœlum in ſupremum, quod eſt Empyreum, medium, quod complectitur omnia Corpora Cœleſtia infra Empyreum, & Elementum Ignis, ac infimum, quod claudit quatuor Elementa, & de huiuſmodi Cœli nomine locutus fuit Diuus Paulus quùm fatetur ſe raptum fuiſſe vſque ad tertium Cœlum, hoc eſt, ad ſupremum in quo eſt ſedes Beatorum, & Paradiſus. Aliquando etiam nomine Cęli ſumuntur indiſcriminatim omnia Corpora Cęleſtia, & nonnulla terreſtria, & de his diuerſimodè locutus eſt Dauid cum alijs Prophetis paſſim, vt apparet in Pſalmo: *Laudate Dominum de Cœlis &c.* in Iſaia capit. 45. vbi dicitur: Deum tetendiſſe Cęlos, & militiæ eorum mandaſſe, ac alijs in locis: Demum Cęlum ſumitur etiam pro ipſo Deo, cum dicitur Matth. capit. 11. Baptiſma Ioannis an fuerit è Cęlo, vel ex hominibus? & Lucæ capit. 15. Prodigus fatetur ſe peccaſſe in Cęlum, & etiam pro hominibus, vt cum dicitur de Prædicatoribus: *Cœli enarrant gloriam Dei &c.* Ex quibus omnibus manifeſtè patet, non poſſe quicquam certi colligi ex Sacris Scripturis circa numerum Cœlorum determinatum, cum etiam diuerſimodè loquantur de Cęlo propriè, vel metaphoricè vſurpato.

Objicitur tertiò contra ſecundam Concluſionem, quia Angelus, ſiue Intelligentia Motrix eſt efficacioris virtutis, quam ſit Anima rationalis, ſiquidem entitas illius, vt potè completa, eſt perfectior, quam entitas huius, quæ eſt forma imperfecta, ſed Anima rationalis vna exercet omnes mutationes, & operationes diuerſarum partium totius corporis humani, ergo multò magis hos motus poterit cauſare vna, & eadem Intelligentia in omnibus partibus Cœli, quæ ſunt Orbes inferiores. Minor patet, quia Anima rationalis exercet operationes animæ vegetatiuæ decoquendo cibum in ventriculo, recoquendo illum in iecore, & venis, & conuertendo illius ſubſtantiam in ſubſtantiam aliti per nutritionem: ſimiliter per gradum ſenſitiuum eſt ratio videndi, audiendi, guſtandi, olfaciendi, & tangendi in diuerſis corporis partibus, & ipſum corpus localiter mouendi, ac denique eſt principium intelligendi, & volendi, quæ omnia ſunt operationes, & mutationes alterius rationis, ergo Anima rationalis vna, & eadem exercet operationes, & mutationes varias in diuerſis partibus corporis humani.

Reſpondetur maiorem eſſe veram intra ſphæram ſuæ actiuitatis, non tamen abſolutè, & in quacumque latitudine eiſdem illimitata: modò quia actiuitas animæ rationalis, vtpote forma vnius corporis, & omnium partium eiuſdem, eſt ad vnum determinata, (adeò vt nequeat exercere ſimul operationes huiuſmodi in alio corpore, ab eo, quod informat, diſtincto) ideò poteſt eſſe ratio mouendi totum, & ſingulas partes illius, exercendo in eis operationes, quæ illis conueniunt: verùm quia vna Intelligentia non eſt determinata ad totum Cœlum, & ad omnes eiuſdem partes, cuiuſmodi ſunt omnes Orbes Inferiores, ſed ſingula ad ſingulum quemque Orbem limitata, idcircò quamuis perfectiori modo poſſit agere, & operari in illo, ac anima in ſuo corpore, non tamen poterit extra illum quicquam operari, ſicut hec anima extra ſuum corpus; alioquin exirent limites actiuitatis ſibi conceſſæ à Deo, vt Auctore naturæ.

Vel dicendum breuiter, & redit in idem, maiorem eſſe veram intra latitudinem ſui ſpatij adæquati, non tamen extra illud: Modò cum ſpatium adæquatum actiuitati Animæ ſit totum corpus huma-

num, & quælibet pars eius; ſpatium autem adæquatum actiuitati vnius Intelligentiæ ſit tantum vnum Cęlum, & non plures Cęli, non eſt mirum, quod anima poſſit operari, & mouere omnes partes ſui corporis, quæ ſunt infra latitudinem ſui ſpatij adæquati, & Intelligentia nequeat mouere omnes partes totius Cęli, cùm ſint extra ſphæram debitam ſuæ actiuitati.

Obijcitur quartò, quia totum Cęlum, vt complectitur omnes Orbes mobiles, nequit reſiſtere actiuitati Angelicæ, ergo virtus vnius poterit mouere totum Cœlum, & omnes partes eius. Antecedens probatur, quia reſiſtentia, ſi foret in Cęlo, aut proueniret ex grauitate, vel leuitate, aut ab impulſu contrario, ſed in Cœlo nulla datur grauitas, vel leuitas, vt probauimus in primo libro huius operis: neque impulſu contrarius ibi poterit adeſſe cum moueatur ab Intelligentijs, quarum vna non eſſet contraria alteri; aut nulla eſſet contrarietas, quia eſſet tantum vna Intelligentia motrix, & vnum vni nequit eſſet contrarium, ergo ex nullo capite poſſet adeſſe reſiſtentia, quin ab vna Intelligentia moueri poſſit totum Cęlum, etiam ſecundum omnes partes.

Reſpondetur negando antecedens. Ad probationem dicimus, reſiſtentiam prouenire ex defectu virtutis in vna Intelligentia, quæ cum ſit limitata ad tantam magnitudinem, & non maiorem, nequit ſe extendere ad magnitudinem, ferè immenſam, totius Cęli, & omnium partium illius.

Obijcitur quintò contra tertiam Concluſionem. Virtus vnius Intelligentiæ non eſt ſufficiens ad motum primi Mobilis, ergo de facto exigitur virtus maior, quæ nequit eſſe niſi Diuina. Conſequentia tenet, quia ſupra virtutem finitam non eſt niſi virtus infinita, & Dei. Antecedens probatur, quia Intelligentia non ſufficit mouere omnes Cœlos mobiles, vt dicitur in ſecunda Concluſione ſed motus primi Mobilis ſe extendit ad omnes Orbes inferiores, cùm rapiat ſecum in ſpatio vigintiquatuor horarum ab Ortu ad Occaſum omnes ſphæras mobiles in eodem contentas, ergo virtus vnius Intelligentiæ non erit ſufficiens cauſare motum primi mobilis.

Reſpondetur negando antecedens. Ad probationem, dicimus, non poſſe quidem vnam Intelligentiam cauſare omnes motus Orbium inferiorum, cùm ſint difformes, & alterius rationis, poſſe tamen omnes Orbes per vnum, & eundem motum circunducere, quia hoc non eſt mouere omnes Cœlos motibus ſuis, ſed vnum tantum, cui tamen contiguantur reliqui in ipſo contenti, perinde ac ſi omnes Orbes forent vnus tantum Orbis. Nec valet dicere, quod eius virtus non eſſet limitata ad vnum tantum, ſicut virtus cuiuslibet Intelligentiæ motricis ad proprios Orbes, ſiquidem ſe extenderet ad omnes inferiores; Equidem licet argueretur maior, ac fortior, non tamen illimitàta, virtus concludi poſſet; nam ſe extenderet ad Orbes inferiores, vt vnum mobile tantum, ſub eadem forma motus, non tamen ad illos, vt ſingulos per diuerſos motus mobiles, ac proinde ſub ratione limitata, & non illimitata moueret primum mobile, & Orbes ſub illo contentos motu diurno.

Vtrum Intelligentiæ Motrices Cœlorum moueant illos per aliquam potentiam diſtinctam ab Intellectu, & voluntate, & quomodo.

QVÆSTIO VIII.

Circa priorem partem huius quæſtionis extant varia Doctorum placita, vt videre eſt apud Recentiores: nam aliqui putant, potentiam, quã Angeli, ſeù Intelligentiæ mouent corpora cœleſtia, non eſſe quid diſtinctum ab intellectu, & voluntate ipſorum, ſed eſſe penitùs huiuſmodi facultates, vt ad motum localem quorumcunque corporum referuntur. Ita Auerroes 12. Metaphyſicorum com. 36. Durandus in 2. d. 7. quæſt. 5. Argentinas d. 8. quæſt. 1. art. 1. concl. 2. Capreolus d. 7. quæſt. 2. art. 1. Hærueus d. 14. quæſt. 1. art. 4. Baſſolius ibidem quæſt. 2. Soncinas 12. Metaphyſicorum quæſt. 35. & alij, quo-

quorum meminit Ruuius hic cap. 5. qu. 10. Hanc ſententiam defendunt, vti probabiliorem Vaſques 1. p. Diſp. 102. cap. 3. & 4. ac Diſp. 218. cap. 3. Zumel ibidem & Molina quæſt. 54. art. 5. in p. p. D. Thomæ & alij non pauci putantes potentiam motiuam in Angelo, eodem modo ſe habere, ſicut in Deo, in quo non diſtinguitur ab intellectu, & voluntate Diuina.

Alij verò ex oppoſito ſuſtinent, potentiam, qua Angelus, ſiue Intelligentia mouent corpora externa, eſſe diſtinctam ab intellectu, & voluntate eorundem. Sic Henricus quod lib. 13. quæſt. 6. Aureolus relatus à Capreolo in 2. d. 7. quæſt. 2. art. 1. Gotfredus de Fontib. quodlib. 1. quæſt. 4. Mayronius in primam ſent. d. 43. art. 5. Suares. to. 2. Metaph. Diſp. 35. ſect. 6. & alij, quos referunt, ac ſequuntur Conimbric. hic cap. 5. quæſt. 7. & Ruuius quæſt. 10. à quo citatur D. Thom. p. p. quæſt 19. art. 4. ad quartum & quæſt. 25. art. 1. ad quartum & art. 5. ad primum & quæſt. 6. de Potentia art. 7. ad 12. argumentum & quol. 9. art. 10. ad ſecundum.

Quid verò ſentiat Scotus in hac difficultate, non eſt adeò manifeſtum, vt in alterutram ſententiam referri poſſit, quicquid dicant Doctores prioris opinionis, tamen quibuſdam ex eodem adnotatis, eius germanam mentem pro viribus patefacere conabimus.

Circa ſecundam partem pariter litigant Doctores, nam Molina in p. p. quæſt. 54. art. 5. Conimbric. hic cap. 5. quæſt. 5. art. 4. in fine, & Vaſques in p. p. Diſp. 192. cap. 2. quem refert, ac ſequitur Cauellus in ſupplem. ad quæſt. Scoti de Anima Diſp. 4. ſect. 7. aſſeuerant Animam ſeparatam, & Angelum mouere corpora ab eos auulſa per impulſum eis impreſſum. Negatiuam partem nititur defendere Suarez in Metaphyſ. tom. 2. Diſp. 35. ſect. 6. num. 25. probando, Angelum mobili aſſiſtentem, non imprimere illi impulſum, vt illud moueat, ſed motum immediate.

Ruuius hic cap. 5. quæſt. 11. media incedens via nititur vtramque conciliare ſententiam dicens: priorem eſſe veram, cùm Intelligentia, vel Angelus eſt à mobili diſiunctus: poſteriorem verò quoties fuerit illi per aſſiſtentiam coniunctus, & vnitus.

Quid autem ſit tenendum de mente Doctoris ſubt. aliquibus obſeruatis, infra reſpondebimus.

Pro declaratione, ac ſolutione vtriuſque difficultatis primo notandum eſt ex Doctore ſubtili in 4. d. 49. quæſt. 14. ſub. D. E. & F. potentiarum actiuarum, aliam eſſe operatiuam, & aliam factiuam. Potentia operatiua eſt illa, quæ cauſat actum informantem ſe, vt potentia viſiua, quæ cauſat viſionem informantem oculum, in quo eſt potentia operatiua viſionis. Potentia autem factiua dicitur illa, quæ cauſat effectum non informantem ſe, ſed in alio, vt eſt potentia motiua, quæ cauſat motum localem in mobili receptibilem. Differunt autem vlterius iſtæ potentiæ, quia potentia operatiua, cuiuſmodi eſt apprehenſiua, & appetitiua, eſt ſemper organica, & repugnat ſibi non eſſe organica, ſiquidem operatio producta recepitur per ſe primo in toto organo, compoſito ex parte corporis, & animæ, adeo quod repugnat ſibi recipi primò in parte, vel corporis, vel animæ, vt quod viſio recipiatur in anima quia tunc anima ſeparata diceretur videns viſione ſenſitiua, quod repugnat: vnde quando totum eſt immediatum ſuſceptiuum alicuius formæ, & non vna pars mediante alia, tunc impoſſibile eſt, quod illa forma recipiatur in altera parte, non ſic eſt, quando totum recipit mediante vna parte, vt corpus recipit albedinem mediante ſuperficie; ex quo infertur potentiam operatiuam eſſe tantum organicam; quod ſi poſſet eſſe non organica, tunc reciperet operationem, quæ primo nata eſt recipi in toto, quod includit contradictionem, igitur eadem potentia operatiua nequit eſſe organica, & non organica. Verùm potentia factiua, vt eſt motiua, eadem exiſtens, poteſt eſſe organica, & non organica, eſſet quidem organica agendo aliquo organo, & non organica, agendo immediate per propriam virtutem ſine ali-

quo

quo organo: nunc autem mouere non eſt operatio, nec cauſatur in illo neceſſario, in quo eſt potentia motiua, & ideò ponitur motiua alterius, ſed eſt potentia factiua, quæ cauſat motum in alio; cum igitur talis potentia poſſit eſſe cauſatiua motus in pluribus partibus immediatè, ſi omnes ſint eque diſpoſitæ, ad receptionem motus, tunc mouet non organice; ſi autem non ſint omnes eque diſpoſitæ, tunc poteſt mouere vnam partem corporis mediante alia, & ſic mouet organicè. Exemplificat Doctor ſubtilis de anima, quæ vt eſt ſeparata poteſt mouere corpus ſuum immediate, & ſic non organice, quando verò eſt coniuncta corpori mouet organice, vnam partem mediante alia, & ſic eadem anima eſt potentia motiua organica, & non organica. Ex his infertur ad propoſitum, quod Intelligentia mouens Cęlum, cum cauſet motum in ipſo Cęlo, & non in proprio intellectu, vel voluntate, eius potentia motiua nequeat eſſe intellectus, & voluntas, ſed alia virtus ab eis diſtincta. Similiter quia Intelligentia poteſt mouere Cęlum ſecundum omnes partes ſimul, & immediate, & ſucceſſiue vnam partem mediante alia, ſiquidem mouet libere, & non neceſſario omnes partes ſimul, ideò poteſt mouere organice, & non organice, & ſic immediate cauſando motum, vel mediate, ac per impulſum.

Secundo Notandum ex Ariſtotele in 2. de Anima t.33. diſtinctionem potentiarum deſumendam eſſe à poſteriori ex diſtinctione operationum, quæ ab eis fieri, vel non fieri poſſunt, vt expendit Scotus in quo lib. 13. ſub H h, & I i, nàm ideo dicimus intellectum, & voluntatem eſſe potentias formaliter diſtinctas, ac diſparatas, quia intelligere, & velle ſunt operationes diſparate, ſiquidem prior eſt naturalis, & poſterior libera, & illa impediri poteſt à voluntate alio diuertente intellectum, ne ab eo eliciatur, poſterior autem nequaquam ſaltem ab agente creato. Ex quo infertur, quod cùm motus cauſatus in Cęlo à potentia motiua Intelligentiæ non ſit operatio intellectus, & voluntatis eiuſdem, quia non recipitur in illis potentijs, verum in Cęlo tantum, & poſſet impediri à validiore virtute alterius Intelligentiæ, ne fiat E. g. ad dexteram ſed ad ſiniſtram, immutatam tamen volitione prioris Intelligentiæ volentis illum fieri ad dexteram, & non ad ſiniſtram, ſequitur motum illum non eſſe cauſatum ab intellectu, & voluntate Intelligentiæ motricis Cęli, ſed à potentia motiua illius, penitus diſtincta, ac diſparata formaliter ab illis potentijs operatiuis, ſiue ſecundum ſe conſideratis, ſiue relatis ad motum.

Tertio Notandum eſt ex Doctore ſubtili in 2.d.2.q.5.& 6. ſub A.& d.14.q. 1. ſub B. & C. Intelligentiam motricem vniri Cęlo, vt in eo cauſare poſſit motum circularem, poſſe dupliciter intelligi, vno modo per informationem, vt ſit tota in toto, & tota in qualibet parte Cęli, ſicut anima rationalis dicitur eſſe vnita corpori humano: alio modo per aſſiſtentiam, ac præſentiam in proportionata diſtantia, ad hoc, vt poſſit illud attingere per ſuam virtutem. Primo modo nequit Intelligèntia motrix eſſe vnita Cęlo, cum non ſit forma informans, ſed ſubſtantia ſpiritualis completa, & ſubſiſtens, ac proinde incommunicabilis vt quo ipſi Cęlo, tanquam corpori mobili. Secundo modo verò bene poteſt intelligi vnita Cęlo; & hoc dupliciter, vel per aſſiſtentiam, ac præſentiam immediatam propriæ ſubſtantiæ, vel ſuam virtutem impreſſam vni parti Cęli, & per ipſam communicatam ſucceſſiue cæteris partibus. Si priori modo intelligatur vnita poteſt mouere Cęlum immediate, & inorganice, hoc eſt ſecundum omnes partes ſimul, ſiquidem eſt mobile proportionatum, & adæquatum ſuæ virtute motiuæ, adeoquod ſi adderetur ſibi vna ſtella, moueret cum pęna, & labore, vt docet Ariſtoteles in hoc 2. lib. t. 71. Si verò poſteriori modo conſideretur ſic vnita per aſſiſtentiam, tunc poſſet mouere illud organice, hoc eſt mediante virtute impulſiua, impreſſa vni parti, quæcunque ſit illa, & per ipſam aliæ ſucceſſiue, ac continue iuxta naturam, & conditionem motus circularis, & ſic Intelligentia diceretur mouere per impulſum, & non per motum immediate impreſſum toti Cœlo.

Quarto Notandum ex eodem ibidem, Intelligentiam, vt mouere poſſit Cœlum, vel organice, vel in organice, non neceſſario egere conſiſtentia locali in aliqua deter-

Digitized by Google

determinata Cęli parte, quæcunque ſit illa, alioquin moueretur per accidens ad motum eiuſdem, ſicut nauta in naui, & tunc videretur inconueniens talem motum attribuere Intelligentiæ mouenti orbem; neque aliqua conſiſtentia per ſe extra Cœlum, & quod iuxtà ipſam ſit quaſi fluens pars, & pars ipſius Cœli, & quod partem magis illi præſentem moueat, ſiquidem non eſt aſſignabilis locus, in quo quieſcat, cùm continue moueat partem præſentem, quia nulla vna pars diceretur magis præſens ei, conſiſtenti in tali loco determinato; nam omnes ſucceſſiuè fluerent, & ſic nulla poſſit intelligi receptiua virtutis motiuæ, ſi motus fuerit organicus, & per impulſum, ſed per vnionem Intelligentiæ motricis cum Cęlo, vt ipſum mouere poſſit, intelligitur præſentia virtualis in proportionata diſtantia ad ipſum mobile, ſiue conſiſtat in aliqua creatura corporali, ſiue non, quandoquidem, vt aduertit Doctor ibidem ſub I. ſicut poterat creari Angelus ſine creatione creaturæ corporalis, ſic ipſa facta, poſſet fieri, & eſſe extra omnem creaturam corporalem, cum ſola potentia paſſiua ad eſſendum in loco, ſi in illo poneretur.

Ex his ſit prima Concluſio. Potentia motiua, qua Intelligentia mouet ſuum Cœlum, eſt diſtincta formaliter ab eius intellectu, & voluntate Colligitur ex Doctore ſubtili in 4.d.49.q. 14. ſub D. & E. & expreſſe ſuſtinetur a Mayronio eius Diſcipulo in terminis de Angelo in 1. d. 43. q.5. Et ab Auctoribus citatis pro ſecunda ſententia. Probatur primò à Doctore in ſimili de anima ſeparata, quia potentia operatiua, & factiua in anima ſeparata diſtinguuntur formaliter, ergo & in Angelo mouente Cęlum. Conſequentia patet quia Angeli, & Animæ potentiæ ſunt eiuſdem rationis, ſaltem obiectiuè, vt aliàs probatum eſt à nobis in 3. de Anima Diſp. 6. q.3. Antecedens probatur, nam potentia operatiua cauſat actum informantem ſe, factiua verò cauſat actum informantem ſubiectum extra ſe, ergo cùm huiuſmodi actus ſint diſtincti, necdùm formaliter, verum & realiter, quia ſunt in ſubiectis realiter diſtinctis, arguunt potentias, ſaltem formaliter diſtinctas. Conſequentia eſt manifeſta per illud axioma Ariſtotelis in 2. de Anima t. 3. Potentiæ diſtinguuntur per actus, & actus per obiecta. Secundo Probatur à Mayronio loco citato tùm quia Articulus Pariſienſis damnat tanquam hæreticum dicentem, quod Angelus ex ſola voluntate moueat Cęlum: tum etiam, quia potentiæ, quarum altera poteſt impediri ab aliquo creato, & altera non, illæ neceſſario ex natura rei diſtinguuntur; ſed huiuſmodi ſunt potentia executiua, & potentia voletiua in Angelo, ergo neceſſario diſtinguuntur ex natura rei. Maior patet Minor probatur, nam Cęlum eſt in potentia neutra ad motum ſuum, nec repugnat per ſe partibus Cęli, quæ mouentur ad dexteram, quod moueantur ad ſiniſtram, & ſic ſi aliqua Intelligentia fortioris virtutis, quàm ſit illa, quæ eam mouet ad dexteram, applicaretur ad Cęlum, & moueret eam ad ſiniſtram, impediretur actio primæ Intelligentiæ debilioris, & tamen non impediretur ſuum velle, ergo potentia volitiua in Angelo impediretur minime, ſed ſolùm executiua, ac proinde hæc neceſſario argueretur ab illa diſtincta ex natura rei formaliter tertio Probatur, quia ſi Intelligentia moueret Cęlum per potentiam, quæ eſſet intellectus & voluntas, ſequeretur poſſe mouere in quacunque diſtantia, ſiquidem intellectus, & voluntas ſunt potentiæ illimitatæ, quoad circumſtantias loci, & temporis, vt eſt notum apud omnes, ſolum enim limitantur ad obiecta, & obiectorum conditiones, vt aliàs probauimus, in 3. de Anima diſp.2. q.5. Sed hoc eſt falſum, alioquin non eſſet forma aſſiſtens, & vnita, ac coniuncta Cęlo mobili per ſuam virtutem motricem, vt communiter ſuſtinetur cum Ariſtotele lib.12. Metaph. à t.42. & ſequentibus, ac 7. Phyſicorum à t. 10. vbi probat quod mouens, & mobile debeant eſſe coniuncta, & inter illa nihil mediare, niſi proportionatam diſtantiam vnius ad aliud, ergo dicendum eſt, Intelligentiam non poſſe mouere Cęlum per intellectum, & voluntatem, verùm per potentiam motricem ab eis formaliter diſtinctam.

Secunda Concluſio. Intelligentia poteſt mouere Cęlum, ſibi applicatum, organice, & inorganice. Colligitur ex Scoto in 4.d.49. q.14. ſub D. & E. in ſimili de anima ſeparata mouente corpus. Probatur

tur prima pars, quia Intelligentia, vt vnita Cęlo poteſt mouere vnam partem eiuſdem mediante alia, & ſic ſucceſſiuè omnes, ſicut anima coniuncta corpori mouet prius vnam partē, & per hanc aliam, ſed huiuſmodi motus eſt organicus, ergo ſicut anima vnita corpori mouet illud organice, ita Intelligentia, vt vnita Cęlo, poteſt illud mouere organice. Maiorem probat Doctor loco citato, mouere enim organice aliquod corpus eſt mouere vnam partem mediante alia, ſicut mouere inorganice, eſt mouere immediate omnes partes ſimul, ſiue talis potentia ſit alligata organo, ſiue ab eo diſiuncta, alioquin anima ſeparata non haberet potentiam mouendi aliquid, vel etiam ſe organice, cum ſit expers cuiuſcumque organi, quod tamen Doctores melioris notæ concedunt, ergo cum Intelligentia poſſet mouere Cęli partes, & vnam mediante alia, ſequitur quod poſſit mouere Cœlum organice. Minor probatur, nam motus organicus dicitur, non ſolum ille, qui cauſatur mediante anima vnita organo, vt patet de motu progreſſiuo in brutis, verùm etiam qui cauſatur priùs in vna mobilis parte, & poſtea hac mediante, in cæteris ſucceſſiuè, ergo motus, quo anima mouet ſuum corpus ſecundum partem, & partem ſucceſſiue, etiam vt vnita corpori extrinſece, erit motus organicus ſecunda pars probatur, quia Intelligentia mouet proprium Cęlum, vt viſum eſt ſuperius, & poteſt illud mouere immediate ſecundum omnes eiuſdem partes ſimul, cùm ſit mobile proportionatum, & adæquatum ſuæ actiuitati, ergo poteſt illud mouere motu inorganico. Conſequentia tenet, quia mouere inorganice eſt mouere aliquod mobile immediate ſecundum omnes partes ſimul, & non vnam partem, mediante alia ex diffinitione potentiæ, ac motus inorganici, poſita in p. Not. ex Doct. ſubt. loco citato in 4. ſent. d. 49. q. 14.

Tertia Concluſio. Intelligentia ſiue ſit ſufficienter coniuncta, ſeù approximata Cęlo, ſiue ab eodem ſeiuncta, in proportionata tamen diſtantia, mouet illud de facto per impulſum. Colligitur ab eodem Scoto loco citato, contra Ruuium hic cap. 5. q. 1 1. aſſert. 1. & 2. Probatur quia licet Intelligentia poſſit eſſe immediate præſens toti, & omnibus partibus Cęli, & illis imprimere motum inorganice, vt probatum eſt in præcedenti, ſiquidem omnes partes, cum ſint in potentia neutra ad motum inſimul recipiendum, poſſunt cieri, & moueri ſimul cum toto Cęlo, tamen de facto eius virtus motiua eſt applicata vni parti, per quam tranſmittitur ſucceſſiue in alias, ergo ſiuè ſit vnita, ſiuè ſeiuncta à mobili, mouet illud per impulſum. Conſequentia patet, quia motus per impulſum exigit duntaxat præſentiam virtutis impulſiuæ, vi cuius dicitur cauſari, ſiue mouens ſit præſens, & coniunctum mobili, quod habet intra ſphæram ſuæ actiuitatis, ſiue fuerit ab illo diſtans, ſeù ſeiunctum; vt patet ex natura motus per impulſum, ergo ſiue Intelligentia ſit vnita, ſiue ſeiuncta à Cęlo mobili, mouet illud per impulſum. Antecedens probatur, quia intelligentia de facto mouet Cęlum organice, cum illud moueat circulariter, ſiquidem in motu circulari, cùm adſit continuitas, & ſucceſſio partis ad partem, ſequitur, quod vna pars recipiat motum prius quam alia continue, & ſucceſſiue, atqui hoc fieri nequit per applicationem, ſeù coniunctionem mouentis, quia cenſetur valde diſtans à qualibet parte mobili, ergo hoc erit per applicationem virtutis vni parti, mediante qua communicatur ſucceſſiue cæteris, & ita per impulſum mouebitur totum Cęlum ab Intelligentia motrices & non per motum ſingulis partibus immediate ab eadem impreſſum.

Obijcitur primo contra primam Concluſionem quia non ſunt multiplicanda entia abſque neceſſitate ex Philoſopho primo Phyſicorum, ac alibi, ſed nulla neceſſitas cogit ponere in Angelo mouente Cęlum potentiam motiuam diſtinctam ab intellectiua, & volitiua eiuſdem, ergo &c. Minor probatur quia Ariſtoteles 3. de Anima à t. 49. & ſequentibus docet, principia motus ſecundum locum, eſſe potentiam intellectiuam, & appetitiuam, hoc eſt, volitiuam nullamque aliam potentiam ab eis ſeiunctam aſſignat: tùm etiam quia potentia motiua in Angelo reſpectu alicuius determinati mobilis, perinde ſe habet, ac potentia motiua, ſeù exequutiua in Deo in ordine ad omnia mobilia, ſed potentia motiua, ſiue exequutiua in Deo non eſt

alia

alia à diuina voluntate, ergo neque in Angelo erit ſic neceſſario diſtincta. Maior patet, quia Angelus eſt ſubſtantia ſpiritualis, ac ſimplex in ſuo genere, ſicut Deus, ergo ſicut fruſtra ponerentur in Deo tales potentiæ diſtinctæ, ita & in ſubſtantia Angeli. Minor probatur quia voluntas diuina eſt perfectiſſima, & nullius inſtrumenti indigens, quod tamen non eſſet, ſi egeret potentia exequutiua illarum rerum, quas fiendas, decerneret: tùm etiam, quia Diuina voluntas, poteſt ſe ſola, quicquid poteſt cum cauſis ſecundis, vt aliàs demonſtrauimus, ergo potentia executiua inde non eſt diſtincta à Diuina voluntate, ac proinde nec in Angelo.

Reſpondetur Negando minorem, ſiquidem in probatione concluſionis oſtendimus neceſſitatem aſtruendi potentiam motiuam in Angelis motoribus Cęlorum, diſtinctam ab illorum intellectu, & voluntate. Ad probationem primam dicimus Ariſtotelem aſſignare quidem intellectum, & voluntatem, tanquam principia oſtenſiua, & regulatiua motus localis, non autem vt cauſatiua illius, ſiquidem cauſari nequit ſine potentia motiua ab illis diſtincta, vt probatum eſt. Ad ſecundam probationem poſſemus negare abſolute in Deo potentiam executiuam eſſe penitùs eamdem cum voluntate Diuina, quandoquidem iſta eſt principium productiuum vt in patre, & filio, tertiæ perſonæ, nempe ſpiritus ſancti, non ſic potentia exequutiua, quæ reſpicit terminum ad extra ponendum in eſſe, ſic enim reſponderet Mayronius loco ſupracitato. Cæterum, quia huiuſmodi reſponſio videtur contradicere Doctori ſubtili in 2. d. 37. q. vn ſub P. vbi probabiliter defendit non eſſe admittendam potentiam exequtiuam diſtinctam à voluntate Diuina, etiam vt reſpicit effectibilia ad extra; neganda eſt maior ob diſparitatem inter potentiam Diuinam, & angelicam; nàm actus intellectus, & voluntatis, quibus mediantibus operatur ſubſtantia ſpiritualis creata vt eſt Angelus, quia ſunt accidentales formæ, propterea inquit Doctor in 4. d. 1. q. 1. ſubſtantia ſpiritualis creata indiget potentia executiua, diſtincta ab intellectu, & voluntate, ad hoc vt operari poſſit ad extra: cæterum quia voluntas Diuina, & eius operatio ſunt ſubſtantia infinita, etiam vt potentia eſt, ſicut ab æterno eſt operatiua amando eſſentiam diuinam, & productiua ſpiritus ſancti, ſic ad extra, quia infinita, eſt cauſa omnium rerum, ideò non eget alia potentia executiua à ſe diſtincta: nàm vt inquit D. Auguſt. lib. Meditat. cap. 29. *Deus eſt, cuius voluntas eſt opus, cuius velle poſſe eſt*. Et D. Leo Papa ſerm. 2. de Natiuit. ſubdit: *Deus eſt, cuius natura bonitas, cuius voluntas potentia eſt*, ideo maior eſt abſolute falſa, & minime admittenda.

Obijcitur ſecundo contra hanc reſponſionem, nàm quicquid eſt ſimpliciter perfectionis in Deo, non eſt euidenter denegandum creaturæ, cùm ſibi non repugnet, ſiquidem quia eſt ſummæ bonus eſt ſuipſius diffuſiuus in creaturis dum non obſtret earumdem natura, ſed habere intellectum, & voluntatem, vt potentias operatiuas, & productiuas ad intra, actiuaſque ad extra eſt ſimpliciter perfectionis in Deo, ergo cum non repugnet creaturæ, vtpote naturæ Angelicæ quæ eſt ſimpliciter intellectualis, poterit ſibi communicari à Deo, ac proinde poterit immediate mouere Cęlum per ſuam voluntatem abſque alia potentia executiua. Confirmatur, nàm ordo naturæ expoſtulat, quod ea quæ dicunt perfectionem diuiſim in inferioribus, collecta in vnum videantur in ſuperioribus, nàm operationes ſenſuum externorum conſpiciuntur in vno ſenſu communi, & operationes ſenſuum internorum vniuntur in vno intellectu, ergo à ſimili virtus motiua, quæ in hominibus probatur diſtincta ab intellectu, & voluntate, in Angelis debet conſpici cum huiuſmodi potentijs vnita. Conſequentia tenet, quia quemadmodum ſenſus ſunt naturæ inferiores ad intellectum, ita intellectualitas hominis ſubditur intellectualitati Angeli.

Reſpondetur negando conſequentiam, ſiquidem repugnantia in propoſito, ex diuerſitate naturæ Angelicæ, ac Diuinæ in ratione intellectualitatis non eſt attendenda, (ſcilicet forſan ſeipſis diſtinguantur) ſed tantum ratione effectuũ deprendentiũ ab hac, & ab illa nã quia effectus procedẽtes à

Diuina

Digitized by Google

Diuina voluntate ſint ſimpliciter infallibiles, vtpotè qui proueniant à principio, & potentia ſimpliciter infinitis, nequit argui principium diuerſum in executione ab eo, quod eſt in operatione, hinc fit, quod eadem voluntas diuina, penitùs indiſtincta, ſit operatiua, & executiua ad extra. Verùm quia effectus prouenientes à potentia Angelica, ex eo quod ſit virtutis finitæ, ac limitatæ, poſſint impediti à maiori virtute, quamuis operatio voluntatis, in eis dirigendis, immutata conſiſtat, hinc oritur, quod alia ſit potentia executiua in Angelo, & alia operatiua vt ſuperius dictum, ac probatum eſt, non verò in Deo. Ad confirmationem dicimus illud axioma non eſſe vniuerſaliter verum, alioquin intellectus, & voluntas in Angelis eſſent tantum vna potentia, cum in nobis ſint diuiſæ. Verificatur igitur in potentijs ſubordinatis in operando, vt patet in exemplis adductis, non verò in diſparatis, & alterius generis, cuiuſmodi ſunt potentiæ operatiuæ, & factiuæ in creaturis, in quibus adeſt repugnantia, vt vniantur ob rationes iam allatas in præcedenti reſponſione.

Obijcitur tertio contra ſecundam Concluſionem quia quæcunque Intelligentia motrix eſt perfecte vnita, & adæquata in virtute ſuo orbi, ergo ſi mouet illum organice, non poterit illum ciere inorganice. Antecedens eſt notum apud omnes. Conſequentia probatur à ſimili de anima rationali, nàm ex eo, quod ſit coniuncta corpori monet illud tantum organice, & non poterit illum mouere inorganicè, vt patet, ergo à ſimili, ſi ex eo, quod Intelligentia ſit vnita Orbi mouet illum organice, non poterit illum mouere inorganice.

Reſpondetur negando conſequentiam. Ad probationem neganda eſt paritas; nàm quia anima eſt coniuncta corpori per informationem & non habet in ſua diſpoſitione mouendi ſimul omnes partes verum vnam per aliam, ideo tantùm organice mouet, ſi enim eſſet ſeparata à corpore, & illi vnita tantum per aſſiſtentiam, poſſet illud mouere etiam inorganice, vt probat Doctor ſubtilis in 4.d.49. q.14. ſub E. Cæterùm quia Intelligentia eſt Orbi coniuncta ſolùm per aſſiſtentiam, & habet in ſui poteſtate, ac diſpoſitione adæquata, nedum totum Orbem, ſed ſingulas partes, idcirco nullum eſt inconueniens, quin poſſit mouere vnam partem per aliam, & ſic organice, & omnes ſimul, atque adeò inorganice.

Obijcitur quarto contra tertiam Concluſionem quia motus Cęli, ſaltem ſtellati, eſt vniformis, ſed motus qui fit per impulſum non eſt vniformis, ſiquidem initio velocior eſt, quàm in medio, & fine, ergo de facto Cęlum ſtellatum, vel primum mobile non mouetur ab Intelligentia per impulſum.

Reſpondetur minorem eſſe veram de motu violento, qui fit cum reſiſtentia mobilis ad motorem falſam de motu neutro, quo cietur Cęlum, ſiquidem in hoc, cùm nullo adſit reſiſtentia mobilis, ſicut impulſus erit ſemper vniformis, ſic & vniformis erit motus.

Obijcitur quinto quandoquidem impulſus ſolum adſtruitur, vt inſtrumentum in ſegregatis mouentibus à mobili, vt patet in motu proiectorum, ſed Intelligentia motrix eſt ſemper coniuncta orbi mouendo, ergo non erit neceſſarius impulſus.

Reſpondetur maiorem eſſe veram in mouentibus corporeis, falſam in incorporeis, in quibus non exigitur præſentia localis vnita mobili, ſed tantum diſtantia proportionata & præſentia virtualis, vt apparet in Intelligentijs, quæ vt moueant, non exigunt vnionem localem cum Cęlis mobilibus, ſed tantùm virtualem, quamuis diſtent localiter ab eis in proportionata diſtantia, vt aduertimus ſupra cum Doctore ſubtili in 4.Nor.

Obijcitur ſexto quia Intelligentia motrix pro vno determinata Orbe, habet virtutem adæquatam mouendi omnes partes ſimul, cùm ſimul omnes reſpiciat, ergo de facto imprimit illis immediate motum, & nõ vni per aliam, vnde nec per impulſum ſuæ virtutis. Conſequentia patet, quia omnes ſunt illi præſentes per ſuam virtutem, ergo immediate, & de facto illas ciere dicitur, & non per ſucceſſionem vnius ad aliam.

Reſpondetur eſſe verum loquendo de motu inorganico, quo Intelligentia poteſt mouere Cęlum, falſum de motu organico, quo de facto circumuoluit orbem, quia non ſimul omnes, verùm ſucceſſiue vna per, & poſt aliam recipit ſuam virtutem,

rem. Sicque mouet per impulſum, & non immediate per impreſſionem motus in ſingulis partibus: Agens namque motu, & actione organica, attingit prius partem proximiorem, & per ipſam à remotis cæteras.

De Stellarum natura, Motu, ac diſpoſitione.

SVMMA III.

IN hac tertia Summa, in qua Ariſtoteles agere de natura, ac diſpoſitionibus Stellarum proponit continentur ſex capita, in quorum primo demonſtrat cuius naturæ, ſubſtantiæuè ſint Aſtra, ſeù Stellæ. In 2. quonam pacto moueantur Stellæ in Cęlis. In 3. cur quædam velocioris, quædam verò tardioris ſint motus oſtendit. In 4. cuius figuræ exiſtant declarat. In 5. Cur aliquæ Stellæ pluribus, & aliquæ paucioribus moueantur motibus examinat In 6. tandem cur in ſupremo Cęlo tanta multitudo Stellarum exiſtat, & in ſingulis inferioribus vna tantum Stella infixa maneat, reſoluit.

Quoad primum Caput demonſtrat Stellarum ſubſtantiam, ac naturam dicens, eas eſſe de natura Cęlorum, in quibus exiſtunt infixę & in T.XLI. probat hanc concluſionem, quia partes, integrales potiſſimum, ſunt eiuſdem naturæ ac totum, ſed Cęlum eſt corpus circulare æternum, ingenerabile, incorruptibile, inalterabile, inaugmentabile, & indiminuibile, vt oſtendit in præcedenti lib. à t. 20. & aliqualiter in principio huius libri ſecundi, ergo & Stellæ, quæ ſunt Cęlorum partes integrales, debent eſſe eiuſdem naturæ, ac ſubſtantiæ. Et licet quidam dixerint Stellas eſſe igneas, non propterea diuerſum à nobis aſſumpſerunt, cùm & Cęlos eſſe de natura ignis putauerint, quandoquidem rationabiliſſimum eſt vnumquodque etiam ſecundum ipſos, conſtare ex ijs, in quibus exiſtit, cum igitur Stellæ exiſtant in Cęlis, & hi ſecundum Anaxagoram, ac alios, ſint de natura ignis, & illas igneas exiſtere, aſſerere debuerunt.

Et ne quiſpiam exiſtimet, eum in eandem opinionem concurrere, quod ſtellæ ſint de natura ignis, ſicut neque Cęli, in T.XLII. ſoluit tacitã obiectionem, quæ cõtra ipſum fieri poterat hoc pacto; Stellæ cauſant calorem, & lumen in his inferioribus, quod eſt proprium ignis, ergo cùm nemo tribuat, quod non habet, dicendum venit, ſtellas eſſe igneas, aut de natura ignis.

Reſpondet oſtendendo, quomodo ſtellæ cauſare valeant calorem in his inferioribus, quamuis non ſint de natura ignis; ſiquidem, inquit, motus eſt cauſa caloris, vt patet in attritione duorum lignorum, vel lapidum adinuicem, aut in percuſſione ferri cum ſilice, ex quibus nedum calor, verùm & ignis, ac lumen excuti, educique videtur per motum, quæ recipiuntur in aere: Cùm igitur, & Aſtra moueantur, & ſuo motù, ac lumine atterant aerem magis propinquum, hinc fit, quod cauſent calorem in ipſo, & maxime Sol, vt potè, qui ſuo lumine aerem verberet, ac feriat fortiùs, quam cæteræ ſtellæ: Quod autem ex huiuſmodi attritione aeris per motum, ac lumen generetur calor, & etiam interdũ ignis, quo intendatur aer, & per ipſum corpora, quæ velociter in eo cientur, experientia ſagittarum, quæ per aerem feruntur, demonſtrat; hæ enim & ipſæ ſic igniuntur, vt plumbei mucrones colliqueſcant, & quoniam hæ igniuntur neceſſe eſt, vt aer, qui in earundem circuitu exiſtit, igniatur. Non eſt igitur omne, quod calorem, & ignem cauſat in his inferioribus, de natura ignis, vt ſupponit argumentum in oppoſitum, cùm & ea, quæ ignea non ſunt, calorem, & ignem generent quare inferendum eſt, quod Stellæ califaciant hæc inferiora, & tamen de natura ignis non ſint, quemadmodum nec Cęli, in quibus infixæ manent.

Quoad ſecundum Caput, in quo agere intendit de ſtellarũ motu, in T.LXIII. incipit inueſtigare modum, quo moueri poſſe dicatur. Quandoquidem aſtra, & Cęlum transferri de loco ad locum manifeſtum, eſt ex motu diurno, & alijs motibus; cæterùm quonam pacto ciantur non ita notum exiſtit: Nam cùm huiuſmodi mutatio fiat circulariter circa terram, aut igitur accidet quieſcentibus Cęlo, & Stellis, & mota terra, aut ambobus motis, aut quieſcentibus Stellis, & moto Cęlo; non enim alius mutationis modus excogitari poteſt,

poteſt; ſed primus, & ſecundus mutationis motus admitti non poteſt, ergo tertius approbandus, vt terra quieſcente, moueantur ſtellæ, non proprio, ſed motu Cęli Minoris primam partem probat, quia quotidie experimur Cęlum, cum omnibus ſtællis moueri circa terram, ab Ortu in occaſum: alioquin ſi moueretur ſolum terra, & Cęlum cum ſtællis quieſceret, non fierent generationes & corruptiones, ac aliæ mutationes, quæ videntur in vnaquaque determinata terræ parte, & non in omnibus. Probat ſecundam partem eiuſdem minoris in T. XLIV. nam ſi Cęlum, & ſtellæ mouerentur ſimul, ſuiſque proprijs motibus, irrationabile eſt, ſeruari poſſe eaſdem velocitates aſtrorum, & Cęlorum quæ nihilominus conſpiciuntur in motu diurno ab ortu ad occaſum, ergo admitti nequit Cęlum, & Aſtra cieri ſimul proprijs motibus. Sequelam maioris probat, ſiquidem velocitas motus attenditur ex maiori magnitudine mobilis, quod patet etiam in naturalibus; ſaxum namque prægrande velocius deſcendit, quam minus, ſiuè minoris ponderis, atqui circulus Cęli vniuſcuiuſque eſt maioris magnitudinis, quàm circuli ſtellarum, ergo ſi Cęli & ſtellæ ſingulis motibus vna ſimul mouerentur, non ſeruarent eandem velocitatem motus, quod tamen eſſe falſum experimur in motu diurno omnium Cęlorum ac ſyderum cum primo mobili, quod ſecundum ipſum & Cęlum Stellarum.

In T. XLV. & XLVI. alijs rationibus confirmat eandem concluſionem, quod ſit irrationabile, Cęlum, & Aſtra vna ſimul moueri proprijs motibus, & addit, quod eadem inconuenientia, quæ ſequuntur ex mutatione Cęli, & Aſtrorum ſeorſim quieſcente terra, ſequerentur pariter ſi Aſtra mouerentur, quieſcentibus Cęlis, tum quia Aſtra ſunt inæqualis magnitudinis: tùm etiam, quia quæ ſunt remotiora à centro, cùm cogantur complere maius ſpatium, quàm quæ viciniora, velocius mouerentur, ac iſta, quod tamen eſſe falſum depræhenditur in motu diurno, ergo concludendum eſt tertium diuiſionis membrum, nempè Cęlos moueri in eis quieſcentibus ſtællis, quæque ſolum cieantur ad eorundem Cęlorum motum. Sic namque euadimus ſupradicta inconuenientia, quippequæ omnia æquali cieбantur velocitate: nàm quo maiores erunt circuli, eo velociores erunt motus Cęlorum, & per conſequens etiam ſtellarum in illis exiſtentium.

In T. XLVII. infert ſtellas non moueri motu proprio, ſiquidem ſi ſic mouerentur dito inconuenientia, ſequerentur: alterum vel debere ſeccari, aut diuelli Cęlum, & ſic daretur vacuum, aut Cęlum non eſſet continuum, quod eſſet vtrumque maximum abſurdum, vel ſtellæ natarent in ſpatio circulorum, veluti piſces in aqua, & ſic Cęlum eſſet fluidum, & alterabile, quod quàm ſit falſum demonſtrauit in p. lib. à t. 20. & ſequentibus, & nos oſtendimus ibidem Diſp. 2. q. 4.

In T. XLVIII. proſequitur oſtendere non cieri Aſtra per ſe proprio motu; nàm cùm Aſtra ſint figuræ ſphæricæ, ſicut & Cęli, quorum ſunt partes, ſi per ſe mouerentur, aut motu vertiginis aut volutationis, (ſiquidem duo motus poſſunt duntaxat conuenire mobili ſphærico) ſed neutro motu cieri poſſent, ergo &c. Minorem probat. Non vertigine, tùm quia ſemper manerent in eodem, & non mutarent locum, (hæc namque eſt conditio motus vertiginis, ſeù conuerſionis, vt mobile non mutet locum) ſed hoc eſſet penitùs falſum, & contra experientiam, cum quotidie transferantur ab Oriente in occidentem: tùm etiam quia ſi vertigine mouerentur, ſequeretur quod omnia Aſtra eodem motu deberent ſic cieri, cùm ſint eiuſdem figuræ, ſed experientia oppoſitum demonſtrat; ſiquidem ſolus ſol hoc agere videtur, dum oritur, & occidit, qui tamen nec perſe mouetur, licet ſic cieri appareat obdiſtantiam à noſtro viſu, qui à longè porrectus, aut reſpiciens voluitur propter imbecilitatem. Et hæc forte cauſa eſt vt ſtellæ fixæ ſcintillare, & tremere videantur, non autem ſic planetæ; nam quia planetæ ſunt prope nos, & viſus noſter ad illos vigoroſus peruenit, ideo abſque trepidatione conſpiciuntur: verùm quia ſtellæ fixæ ſunt nimis diſtantes à noſtris obtutibus, & ad illas perfectè peruenire nequeunt, idcirco ſcintillare, & moueri motu trepidationis apparent, licet in rei veritate non ſic moueantur, ſed quietæ manent, vt planetæ.

In

In T. XLIX. probat ſecundam partem minoris, ſcilicet quod non moueantur volutationis motu: nam quæ ſic mouentur non ſeruant ſemper eandem faciem, ſiue eundem aſpectum, neque eundem locum, vt experientia comprobari poteſt in pila, quæ ſuper plano voluitur, ac rotetur, ſiquidem non ſemper conſpicitur in eadem parte, verum modo in vna, & deinde in alia, ſed ſtellæ aſpiciuntur ex eadem facie, vt patet de Luna, quæ videtur ſemper ex eadem parte, in qua apparent maculæ.

In T. L. probat iterum, Aſtra non moueri proprio motu, quia ſi ſic mouerentur, cùm talis motus non ſit volutationis, aut vertiginis, vt probatum eſt, ſequitur fore progreſſiuum, atqui nec tali cieri poſſunt motu ergo &c. Sequela maioris patet: Minor probatur, quia ſi tali cieri poſſent motu, à natura forent prædita organis ad motum huiuſmodi neceſſarijs cauſandum: ſiquidem Deus, & Natura non deficiunt in neceſſarijs, ſed Aſtra carent organis, ad motum progreſsiuum agendum, neceſsarijs, cùm ſint corpora ſphærica, & motus progreſſiuus exigit corpora etherogenea, vt patet in animalibus, quæ ſic mouentur, ergo &c.

In T. LI. Ex his infert Aſtra eſſe corpora ſphærica, ſicut Cœli, in quibus exiſtunt veluti partes in ſuis totis: Quandoquidem Aſtra, ſimul cum Cœlo, mouentur motu circulari, & eo, qui eſt ex eodem in eundem terminum, ſed ad hunc motum ſphærica figura valde vtilis eſt, & ad quemcumque alium motum, & maxime progreſsiuum, inutilis, ac inæpta, ſiquidem caret partibus, quarum vna ad aliam ſit diſpoſita, vt mobile progredi poſsit, ergo tam Cœlum, quam Aſtra, quia circulariter mouentur, neceſſariò exigunt figuram ſphæricam.

In T. LII. affert opinionem Pytagoræ, & Sectatorum exiſtimantium, Aſtra in ſuis motibus edere ſonum, concentumque harmonicum, qui licet à nobis non percipiatur, non propterea negandus eſt, quandoquidem, quemadmodum à malleatoribus ferri cauſetur verus, ac realis ſonus, qui ob aſsiduitatem minimè percipiatur ab eis, ſic & Aſtra edunt ſonum realem, ac concentum harmonicum in ſuis motibus, quamuis aures noſtræ, ob continuam aſſuetudinem, quam ob ortu habent ad illum, non attendunt, vt percipere poſsint. Probant Pytagorici ſuam ſententiam per ſimilitudinem, quemadmodum enim ex motu duorum, vel plurium corporum, quæ tamen non ſunt tantæ magnitudinis, nec tantæ velocitatis ſicut Solis, & Lunæ, cauſatur apud nos ſonus, cur negandus erit ſonus ex colliſione corporum cœleſtium, quæ ſunt tantæ magnitudinis, & velocitatis? Non ſolum enim inficiari poterit huiuſmodi ſonus ex colliſione tot Aſtrorum ſe adinuicem percutientium, verùm quia in huiuſmodi motibus regularitatem, & conſonantiam ſeruant, huiuſmodi motus cauſabit concentum harmonicum, qui licet non audiatur à nobis, ob rationem iam dictam, non proptereà negandus eſt fieri, quin experientiam in ſimili de corporibus apud nos ſatis abnegare cogamur.

In T. LIII. aggreditur explodere dictum Pytagoricorum delirium; quandoquidem licet ſuſtineri poſſit muſicè loquendo, non tamen ſecundum veritatem; Falſum eſt enim nos non debere audire huiuſmodi ſonum, ſi fieret in motu Corporum Cœleſtium; nam quemadmodum minores ſoni, qui apud nos fiunt, non tantum audiuntur à nobis, ſed etiam diſſipant corpora inanimata, vt pate t de ſono tonitrui diſſipante lapides, & alia validiſsima corpora, multò magis tales, & copioſiores effectus moliri poterit ſonus, ſi fieret in tanta multitudine Corporum Cœleſtium, ergo cùm nec percipiantur à nobis huiuſmodi ſoni, nec videantur tales diſſipationes, concludendum eſt, illos minime fieri.

In T. LIV. confirmat hanc conſequentiam, ex conuenientia Mathematicorum, aſſerentium ſtellas fixas ita conſeruare perpetuam diſtantiam ad ſeinuicem, vt nunquam concurrere poſsint, vt collidantur, & ſe percutiant, ergo ex ipſarum motu nequit vllus oriri ſonus. Conſequentia tenet, ſiquidem experientia comperimus, à nullis corporibus poſſe egredi fragorem, ac ſonum, quæ non inſeinuicem concurrant, & percutiantur.

In T. LV. roborat pariter eandem rationem alio ſimili; nam quemadmodum mali in naui, & puppis eiuſdem, etſi motæ in fluuio non edunt ſonum in tali motu, ita nec Aſtra in Cœlo ſonum vllum edere poterunt: perindè enim ſe habent Aſtra infixa Cœlo, & mali, ac puppis in naui, ergo &c.

In T. LVI. Ex dictis, ac hactenus probatis, concludit falſitatem opinionis Pytagoræ, & ſectatorum de ſono Corporum Cœleſtium, & aſtrorum harmonico: quandoquidem ſiue moueantur per magnitudinem aeris circa vniuerſum, ſiue per ignem, vt cenſuit Empedocles, ſi ſonum ederent neceſſarium eſſet, vt facerent ingentem ſonum, qui tandem ad nos peruentus eſſet, & multa diſſipaſſet in his inferioribus corpora, quæ cùm minime hucuſque audita, & viſa ſint, concludere debemus non fieri talem ſonum, nec harmonicum, in Cœlorum, & Aſtrorum motu.

Quoad tertium in quo exagitare intendit, cur ſtellarum aliquæ ſint tardioris, & aliquæ velocioris motus, in T. LVII. ſupponit prius ordinem, ac diſpoſitionem, quam ſeruant in Cœlis: Nam quædam ſunt priores, hoc eſt in ſupremo Cœlo poſitæ, & hæ fixæ appellantur: quædam verò poſteriores, hoc eſt in Cœlis inferioribus exiſtentes, cuiuſmodi ſunt Planetæ. Inſuper adnotandum eſt ex Aſtrologicis obſeruationibus hucuſque factis, quonam pacto huiuſmodi ſtellę in ſuis ſpatijs diſtent adinuicem; nunc verò inueſtigandum eſt vnde oriatur tarditas, ac velocitas earundem; hæc enim conſideratio ſpectat ad Phiſiologum, non ad Aſtrologum.

In T. LVIII. proſequens intentum dicit latam eſſe differentiam inter primum mobile, & orbes inferiores, ſiquidem primum mobile, cum ſit extremum, & vltimum habet tantum vnicum motum ſimpliciſſimum, quo mouetur ab Oriente ad Occidentem, & ſecum rapit cæteros Orbes inferiores in ſpatio vigintiquatuor horarum; at Orbes inferiores, nempè Planetarum, præter motum primi mobilis, vnuſquiſque proprio cietur motu ab Occidente ad Orientem, cum hac obſeruantia, quod quantò ſunt propinquiores primo mobili, tantò tardius mouentur motu proprio, nimirum ab Occidente ad Orientem, ac econtrà tantò velociùs cientur ab Oriente ad Occidentem, & quantò magis elongantur ab vltima ſphæra, tantò velociùs mouentur ſecundum motum proprium, & tantò tardiùs cientur motu primi mobilis ab Oriente ad Occidentem. Ratio autem vtriuſque aſſerti, ſeù illati, eſt, quia in priori, qui ſunt propinquiores maxime retardantur à motu primi mobilis, ſiquidem mouentur contra ſeinuicem cæterum qui magis diſtant, minùs ab eo impediuntur, ob maiorem diſtantiam, & minorem propinquitatem; quare ſicut illi in maiori tempore complent proprium motum, ita iſti in minori tempore totum peragunt ſpatium, & hoc iuxta proportionem propinquitatis, ac diſtantiæ ad ſupremum mobile.

Quoad quartum iterum declarat cuius figuræ ſint Aſtra, ſiue ſtellæ, T. LIX. dicens, rationabiliter exiſtimari, vt ſint figuræ ſphæricæ, quia *figura in quouis mobili ordinata eſt per naturam ad motum*; ergo quia, vt ſupra oſtenſum eſt, Aſtra non ſunt apta moueri motu progreſſiuo ad modum animalium, debuit illis tribuere figuram ſphæricam, quæ inepta omninò videtur ad motum progreſſiuum, & apta ad motum circularem, quo cientur Aſtra: Conſequentia patet, nam Deus, & Natura nihil agunt fruſtra, igitur ſi figura ſphærica non eſt à natura aptata motui progreſſiuo, verùm circulari, quo cientur Aſtra, dicendum eſt, hæc eſſe ſecundum naturam ſphæricæ figuræ. Deinde, quod dicitur de vno Aſtro, affirmandum eſt de omnibus, ſiquidem ſunt omnia eiuſdem naturæ, ſed Luna eſt vnum ex Aſtris, eſtò ſphæricæ figuræ, ergo, & omnia debent eſſe talia. Minor probatur, quia ſiue Luna creſcat, & decreſcat, ſiue ſit in plenilunio, ſemper videtur à nobis figuræ circularis, ac ſphæricæ: ſimiliter ſi patiatur deliquium, ſeù Ecclypſim ob interpoſitionem terrę inter ipſam, & Solem, & arcuata apparet, & vmbra terræ globoſa refertur, quod non eſſet, ſi illa non foret ſphæricæ figuræ, ergo cùm Luna ſit ſphærica, & cætera Aſtra eandem figuram referre debent.

Quoad

Quoad quintum exagitat duas quęſtiunculas, quarum prior eſt in T. LX. Quæritur igitur, quam ob cauſam ſtellæ errantes intermediæ pluribus motibus cieantur, quam illæ, quæ extremè diſtant? Nam Solis, ac Lunæ ſtellæ, quæ ſecundum Ariſtotelem infimæ ſunt, paucioribus motibus ſubſunt, quam reliquæ Planetarum, quæ magis appropinquant ad primum Mobile, ſiquidem, vt obſeruarunt Peritiores Aſtrologi ſui temporis, Sol, & Luna tribus tantum motibus cientur, cæteri verò Planetarum quatuor mouentur motibus. Quod autem Luna, & Sol ſint ſitu inferiores cæteris ſtellis errantibus, obſeruatione quadam facta in Stella Lunæ, & Martis, inquit ſe vidiſſe Martem pro medietate ſubintraſſe ſtellam Lunæ, a qua obſcurata videbatur, ergo ſignum erat, quod Mars erat in ſitu ſupra Solem, & Lunam. Eaſdem obſeruationes de ſitu aliarum ſtellarum, refert, fuiſſe factas ab Ægyptijs, & Babylonijs, qui tunc temporis erant peritiſsimi Aſtrologi.

In T. LXI. mouet ſecundam quæſtiunculam, dicens: Cur in ſupremo Cœlo appareat tanta ſtellarum multitudo, in inferioribus verò pro ſingulo tantùm vna? Dubitare enim de iſtis, ait, non erit abſre, quinimò multum confert vtilitatis, ac ſtudij, non tantùm ad harum cognitionem procurandam, verùm etiam ad multorum intelligentiam inueſtigandam. Et licet ſit valde difficile de his diſſerere, cum horum cauſas, ob nimiam diſtantiam, ferè nos latere cognoſcamus, nihiloſeciùs has difficultates enodare tentabimus, eò maximè, quia ſolùm de ſtellis, vt tantum eſſent inanimata corpora, agendum nobis proponimus, quamuis intellectu, & vita pollere iudicandum veniat: Non eſt irrationabile enim penſare, quod corpora tam nobilia ſolo impetu naturæ cieantur, & non potiùs ſecundum cognitionem in determinatum ferantur finem.

Hic aduertendum eſt cùm Expoſitoribus, quod cùm Ariſtoteles aſtruere videatur in hoc textu, Cœlos, & Aſtra eſſe corpora animata, vita, ac intellectu prædita, explicandus eſt de animatione extrinſeca, & per aſsiſtentiam Intelligentiæ, quæ eſt vita, ac intellectu prædita, non verò per informationem, vt optimè exponitur à Doctore Subtili in 2. d. 14. quæſt. 1. ſub B, & vt nos ſuperius diximus cum eodem Doctore Subtili in primo libro huius operis diſput. 2. quæſt. 2. vbi fuſiùs oſtendimus, Corpora Cœleſtia non eſſe animata.

In T. LXII. facta tamen aliquali ſuppoſitione de animatione Aſtrorum, ſe confert ad ſolutionem duarum quæſtionum propoſitarum, & præmittit primò eſſe quandam latitudinem entium ad finem optimum ordinatorum, quæ habet nonnullos gradus in participatione actionis, quod clariùs oſtendit in corporibus: Nam poteſt eſſe corpus, quod poteſt eſſe ſanum ex ſe nullo extrinſeco egens. Deinde poteſt eſſe aliud corpus leui exercitio vtens, vt ſanitatem adipiſcatur. Inſuper poterit eſſe aliud corpus, quod multis adiumentis indiget, ideſt curſu, lucta, & pugna, vt ſanitatem recipiat. Demùm eſſe poteſt corpus aliud ita ægrum, quod nullo iuuamine poterit fieri ſanum, licet aliquam diſpoſitionem ſolutiuam conſequi poterit aliquo leui medicamine. Eodem modo pariter philoſophandum eſt in entibus ordinatis ad aliquem finem; in primo enim gradu collocatur prima Intelligentia, ſiquidem illi ineſt bonitas, vt nulla actione à ſe diſtincta egeat: in ſecundo gradu ponenda eſt Intelligentia propinquiſsima, quæ per vnam, vel alteram actionem bonitatis finem attingit, nempè per intelligere, & velle: in tertio gradu collocari poſſunt Intelligentiæ inferioris ordinis, quæ non tantum vna, vel altera, ſed pluribus actionibus peruenire valent ad eundem finem: in quarto tandem gradu ordinari poſſunt hæc inferiora, quę quia longiſsime diſtant a fine optimo, nullis actionibus pertingere valent ad illum, ſed tantum paucis medijs adipiſci poſſunt aliquam diſpoſitionem, qua veluti à longe ordinari valent ad vltimum finem.

In T. LXIII. Pręmittit ſecundò, quod agere vnum, aut multa per multas actiones difficiliùs eſt, quam agere vnum per vnam, vel paucas actiones, hoc probat exemplo ludorum, qui apud Cooum fiebant, ludi Coenſes appellati, ſiquidem proijcere multos Coenſes difficile eſt, vnum verò, aut duos facile: Inſuper quod vnum

agere multis actionibus, & maxime cum vnum ordinatur ad aliud, veluti ad finem, oſtendit, quia ſi vnus finis vno quidem, aut duobus operibus acquiritur, facile eſt adipiſci, at ſi pluribus valde difficile: Medicus namque vtens vno, vel duobus medijs facilius ſanitatem acquiret infirmo, cęterum ſi pluribus, difficiliùs laboranti debitum conquiret finem ſanitatis; ex his colligit, quod ea, quę perfecta ſunt faciliùs per vnam, aut paucas operationes finem conſequuntur; quę verò imperfectiora per plures, & difficiliùs intentum obtinent. Deinde applicando ſuppoſitionem ad propoſitum inquit, eodem modo ſpeculandum eſt de Aſtris, cùm & ipſa ad modum animalium operentur, quare ſi actiones hominis, vt perfectioris cęteris animalibus, plures ſunt ad varios fines ordinatę cęterorum verò animalium pauciores, vt imperfecta ad pauciores fines directa, ita dicendum eſt de Aſtris, quorum aliqua, quę maiorem perfectionem poſsident, & ad plures ordinata fines, pluribus actionibus ſunt prędita; alia verò vt impectiora, ad pauciores directa fines, paucioribus ſunt donata actionibus.

In T. LXIV. Pręmittit tertiò aliam latitudinem entium ſecundum nonnullos Expoſitores, vel ſecundum alios, aliud exemplum prioris latitudinis in viuentibus, quę aliquo pacto ordinantur ad optimum finem, ideſt fęlicitatem: Nam in primò gradu viuentium, qui correſpondet primo gradui corporum, ponitur homo perfectus, qui nullius indiget, vt fęlicitate fruatur. In ſecundò gradu ponitur homo ſapiens, cui parum deeſt, vt beatitudinem adipiſcatur. In tertiò ſubditur homo capax diſciplinę, qui per multas actiones enititur ad beatitudinem conſequendam; per longitudinem namque vitę, ſenſibilium apprehenſionem, & intelligibilium, multo labore, cognitionem tendit, ac tandem peruenit ad fęlicitatem, ad quam ordinatus eſt, & hic gradus correſpondet gradui tertio corporum, ſicut pręcedens ſecundo. In quartò tandem ponuntur animalia, & plantę, quę nullo pacto ordinantur ad fælicitatem vltimam, verum per vnam, aut alteram actionem acquirunt ſibi diſpoſitiones nonnullas, quæ in hominibus prærequiruntur ad beatitudinem adipiſcendam, vt ſunt generationes, nutritiones, & augmentationes in plantis, & ſenſationes, ac loco motiuæ in brutis, & hic gradus denique reſpondet quarto gradui corporis ægrotantis incurabiliter, & hæc expoſitio videtur conformior menti Ariſtotelis, vt indicat Simplicius, quàm illa Auerrois, & aliorum, qui in primo gradu ponunt Deum, qui nihilominus ſtare nō poteſt in latitudine eorum, qui ordinantur ad fęlicitatem, cùm ipſe ſit ipſa fęlicitas, & vltimus finis, ad quem cętera ordinantur. Deinde priorem aperte innuit Ariſtoteles exemplificando de ſanitate, & corporibus, quæ ordinantur ad ipſam, ſicut egit ſuperiùs in t.62. expendendo entium latitudinem.

In T. LXV. clarius demonſtrat expoſitionem iam factam; repetit enim exemplum corporum, quæ omninò moritura, ac inſanabilia exiſtunt, & his aptari poſſunt Elementa cuiuſcumque vitæ expertia, ac proinde quæ minime ad fælicitatem cum viuentibus ordinari queunt.

In T. LXVI. denique ex præmiſſis colligit reſponſionem ad priorem quæſtionem, ſeù dubitationem applicando ea, quæ dixit, ad Corpora Cœleſtia, quatenus ſuis motibus ordinantur ad optimum, ſeu vltimum finem omnium rerum; In primò enim gradu collocatur ſuprema Intelligentia, quæ abſque omni prorſùs motu ſua bonitate fruitur. In ſecundò vltima ſphæra, quæ ſecundum ipſum eſt Cęlum ſtellatum, cum vnico, ac ſimpliciſſimo motu ad optimum accedit, tamquam cæteris inferioribus melior, ſiquidem illud eſt melius, quod eſt optimo propinquius. In tertiò gradu ponuntur Planetæ, qui per plures motus diffundunt inferioribus bonitatem, quam ab vniuerſali cauſa participant. In quartò cordinantur tria ſuperiora Elementa, nempe Ignis, Aer, & Aqua, quæ ſuis motibus illam bonitatis affectionem, quam à ſuperis corporibus aliqualiter hauriunt, his inferioribus communicant. In quintò tandem loco immobilis exiſtit terra, penitùs expers cuiuſcumque bonitatis participatæ, quam alteri communicare poſſit, & ob hoc cæteris imperfectiſſima iudicatur.

Ex his haberi poteſt reſpōſio ad primam dubitationem, dicendo, non multiplicari mo-

motus in corporibus cœleſtibus ſecundum ordinem ſitus, ſiquidem cùm moueantur ad obtinendum pro ſuo poſſe optimum bonum,quod eſt cõſeruatio vniuerſi per cauſam vniuerſalem omnium rerum, ſortiuntur plures,vel pauciores motus, ſecundum quod facilius, aut difficilius, illud conſequi poſſunt. Cęlum igitur primũ, quia cæteris perfectiùs,vnico motu velociſſimo faciliùs conſequitur ſuum finem, ideò vnico tantũ mouetur,& pluribus non eget. Cæteri verò inferiores Orbes,vt ſunt Planetæ medij inter primum & vltimum Cęlum,quia difficilius adipiſcuntur, ratione ſuæ imperfectionis,finem intentum,egentque pluribus medijs,propterea pluribus cientur motibus. Vltimum verò Cęlum, licet magis, ſecundum perfectionem, diſtet à ſupremo bono, ad quod ordinatur cum cæteris,quia tamen de proximo tẽdit in illud per generationes, & corruptiones, quibus ratio vniuerſi conſeruatur,idcircò paucioribus eget motibus. Denique quoniam elementa,pręter vltimũ terræ, remotiſſimè ordinantur, ob eorum imperfectiſſimam naturam, ad finem vltimum, propterea,vel actione carent,vel ſaltem parua pollent mutatione.

Quoad ſextum in T. LXVII. ſoluit ſecundam quæſtionem, qua quærebatur,cur tanta multitudo ſtellarum exiſtat in primo Cęlo,& vna tantum in ſingulis orbibus inferioribus, & aſſignat tres rationes congruentes, T.LXVIII.quarum prima deſumitur ab excellentia, qua primum Cœlum eminet cęteris, & ratione vitæ, quia ab excellentiori Intelligentia mouetur, & ratione propinquitatis ad primum Motorem, cuius bonitatis perfectiori modo participat, & ratione motus velociſſimi, qui eſt cæterorum motuum regula in influendo ſuper his inferioribus, modo cum ſtella ſit nobiliſsimum principium influendi in his inferioribus, ideò congruum eſt, quod habeat in ſe plures ſtellas.

In T.LXIX. affert ſecundam rationem fundatam in compenſatione, quemadmodum enim primum Cęlũ vnico motu mouet multa corpora ſtellarum, ſic econuersò Orbes inferiores per plures motus vnicam ſtellam duntaxat circumuehit:vt igitur fiat compenſatio natura prouidit,quod vbi ſunt plures motus ibi ſit tantum vna ſtella mobilis, & vbi exiſtit vnicus motus, ibi ſint plures ſtellæ mobiles, nè primum Cœlum conquæri poſsit de paucitate Motuum, tribuit illi multitudinem corporum mobilium, & nè ſinguli inferiores Cęli turbari poſsint de paucitate mobilium, ditauit illos multitudine motuum, vt vtrobique eſſet aliqualis æqualitas.

In T.LXX. affert tertiam ex determinata virtute Intelligentiæ motricis primi Cęli: nam cum huius actiuitas ſit finitæ virtutis, & adæquata pro motu diurno,non tantum primi mobilis, ſed etiam omnium Orbium inferiorum, ſi iſtorum cuilibet infixæ manerent multæ ſtellæ, fieret improportionata eius actiuitas, ſiquidem multiplicatis mobilibus pro ſingulo Cœlo, deberet multiplicari Motoris actiuitas, & virtus in mouendo, quod eſſet inconueniens, & contra ſuppoſitum; Inſuper ſuperfluerent Intelligentiæ inferiores, iam determinatæ pro motu vniuſcuiuſque Orbis, cum earum virtutes ſuppleri poſſent per virtutem ſupremæ Intelligentię, quod eſſe abſurdum ſuperius demonſtrauit.

In T.LXXI. confirmat hanc tertiam rationem, quia ſuprema ſphęra, cùm ſit innexa cęteris inferioribus, cum quibus facit vnum mobile, ſi ſingula haberet multitudinem ſtellarum, creſceret nimium eius potentia mobilis, vt ab vna Intelligentia, vt potè finitę virtutis, moueri non poſſet quod inuolueret repugnantiam, vt eſſet mobilis, ab ipſaque moueri non poſſet. Et hęc de Aſtrorum, ſiue ſtellarum ſubſtantia, figura, & motu dicta ſufficiant quoad textum Ariſtotelis.

De Natura, Figura, & Motu Aſtrorum.

DISPVTATIO II.

COmpleta, in precedenti Diſputatione, tractatione de natura Cœli, & pręſertim ſtellati, in pręſenti nobis agendum eſſe de ſtellis, quę veluti partes Cœlorum in eidem infixę manent. Hę nanque, vt alias monuimus in Meteorologicis, in duas ſeries ſunt diſtributę, ſiquidem Errantes alię, vt ſunt Planetæ, & aliæ in Errantes, cuiuſmodi ſunt fixæ in octaua ſphæra, communiter vocantur. Earum doctrina, ſiue

Digitized by Google

facultas de illis pertractans, ab Antiquis Aſtronomia, ab Recentioribus appellatur, vt pote quia diſcurrit de Aſtris, Aſtrologia, quæ, vt ſuperius aduertimus in præcedenti diſputatione, quæſt. 3. diuiditur in naturalem, ſeù phyſicam, & mathematicam. Hæc effectus, ſeù influentias futurorum contingentium, ab humana voluntate pendentium, ſe rimari poſſe profitetur; illa verò naturam Aſtrorum, ac eorum affectiones, vt his inferioribus communicari quotidiè videntur, ſpeculatur. Et de hac tantum erit ſermo in præſenti, ſiquidem iſta eſt vtilis, & neceſſaria. Vtilis quidem nam vt inquit Plato de Republica, à rebus terrenis, & humilibus ad rerum cœleſtium, & ſublimium contemplationem nos auocat. Neceſſaria verò, quia ſine hac notitia, neque hiſtoriæ rerum pręteritarum, neque poetarum, & eorum, qui de re ruſtica ſcripſerunt monumenta rectè intelligi poſſunt, cùm hæc omnia ab Aſtrorum motu, temporumque viciſſitudine neceſſariò pendeant. De huius nanque ſubiecto, quod eſt ſtella, eiuſque affectionibus, ſequentes examinabimus quęſtiones.

Vtrum omnes ſtellæ, ſiuè errantes, ſiuè inerrantes ſint eiuſdem naturæ cum ſuis Orbibus, & eiuſdem ſpeciei infimæ inter ſe conſiderata?

QVÆSTIO I.

Circa hanc quæſtionem extant duæ famoſæ opiniones, quarum prior eſt, quod inter quodlibet Aſtrum Erraticum, & ſuum Orbem, ſiue totalem, ſiue partialem adeſt differentia ſpecifica, ac proinde, quod Planetæ non ſunt eiuſdem naturæ cum ſuis Orbibus. Ita docet D. Thomas 2. de Cœlo lect. 10. dub. 2. Soncinas 12. Metaph. q. 10. Fonſeca tom. 2. Metaphyſicorum quæſt. 1. ad 3. Molina 1. p. tract. de Operibus ſex dierum diſp. 15. & alij, quos refert, ac ſequitur Ruuius 2. de Cœlo cap. 7. quæſt. 1. quibus addi poteſt Timplerus de ſtellis capit. 1. Probl. 10. vbi loquens de omnibus ſtellis, inquit, grauiter errare illos, qui ſtellas eiuſdem planè naturæ cum Cœlo eſſe arbitrantur.

Poſterior opinio, huic oppoſita, ſuſtinet, omnes ſtellas, ſiue errantes, ſiue fixas, eſſe penitùs eiuſdem naturæ ſpecificæ cum ſuis Orbibus. Sic Auerroes in 2. de Cœlo ad t. 79. Albertus Magnus tract. 3. cap. 4. Maior quæſt. 8. Riccardus in 2. d. 14. art. 3. q. 6. Caiet. Thien. hic tract. 2. cap. 1. Auguſtinus Niph. ad t. 41. Philalt. ad t. 55. & Achillinus libr. 1. de Orbibus, à quibus non videtur diſcordare Doctor Subtilis in 2. d. 14. quæſt. 2. art. 1. & ad tertium argumentum princip. & in 4. d. 49. quæſt. 15. ad primum argumentum princip. cum aſſerat Cœlum, & Stellam differre tantum penes opacitatem, & diaphaneitatem. Sequuntur ex noſtris Maſtrius de Cœlo diſput. 2. quæſt. 2. art. 3. numer. 76. Moriſan. ibidem diſp. 2. dub. 5. & Auerſa quæſt. 34. ſect. 2. ac Roccus in 2. de Cœlo q. 13.

Cæterùm Conimbricenſes in 2. libr. de Cœlo cap. 7. quæſt. 5. art. 2. putantes ſe poſſe, aliquo pacto, mediare inter primam, & ſecundam opinionem, aſſerunt primo, omnes planetas, dempto Sole, eſſe eiuſdem naturæ cum ſuis Epicyclis, ac deferentibus, alterius verò rationis à ſuis Orbibus, in quibus manent cum ſuis Epicyclis, ac deferentibus. Secundò autem adſtruunt contra D. Thomam, & alios. Stellas fixas non differre ſpecie ab octaua ſphæra, in qua inſident: At loquentes de Sole aiunt, poſſe probabiliter ſuſtineri, ipſum eſſe tantum contiguum, non verò continuum ſuo Orbi, ac proindè ab eo ſpecie diſtingui.

Quid autem dicendum nobis ſit de mente Doctoris Subtilis, quibuſdam de more notatis, illud aperiemus in concluſionibus.

Primò igitur Notandum venit, cum communi ſententia Philoſophorum, Aſtra eſſe corpora naturalia, ac proindè compoſita ex materia, & forma: Verùm loquentes de illorum materia diuerſimode opinantur: quandoquidem aliqui dicūt Aſtrorum materiam eſſe ſubſtantiam Cœli denſam, adeòut partes denſiores Cœli, ac lucidæ ſtellæ ab eis appellentur: Alij videntes Aſtra lucere, fulgurare, radiare, ac incaleſcere ad inſtar ignis, ſuſtinent eſſe compacta à Deo ex igne. Alij, cùm aſſerant totum hoc ſpatium à ſuperficie Elemētorum expanſum vſque ad Empyreum, eſſe aere re-

repletum, dicunt quoque ſtellam fore, & exiſtere aerem condenſatum. Alij denique cenſent, materiam ſtellarum fuiſſe primæuam illam lucem, ab vniuerſi Conditore prima die, creatam: Cæterùm quam perperam locuti fuerint iſtarum opinionum Auctores, ex eodem principio liquet, quod nedum Aſtra, ſed etiam Cœli, ortum duxerint ex materia prima eiuſdem prorsùs rationis, cum materia horum inferiorum, vt late oſtendimus in Phyſicis lib. 1. diſp. 3. q. 11. ſiquidem corpora naturalia, cuiuſmodi etiam cœleſtia exiſtunt, ſunt compoſita ex eadem penitùs materia prima, & non ex materia ſecunda; vt ſunt ſubſtantia cœlorum, ignis, aer, & lux primæua etiam ſecundum opinantes, quæ ſunt tota eſſentialia phyſica, alioquin Aſtra non forent compoſita per ſe, ſed per accidens; aduenirent namque illorum formę entibus habentibus eſſe totale, & completum, quod eſſet maximum inconueniens, & etiam ob opinantibus alienum: concludēdum eſt igitur quod Aſtra ſint corpora naturalia, & compoſita per ſe ex materia, & forma eiuſdem naturæ, ac illorum Orbes, quibus inſident.

Secundò Notādum, vt colligitur ex Doctore Subtili in 4. d. 49. q. 15. ſub B, & C. ſubſtantiam cuiuſque Orbis, cum ſit totum homogenæum, partiri poſſe in partes integrale, quarum aliquæ ſunt dēſiones, & opacæ, aliæ verò raræ, peruiæ, ac tranſparentes. Priores ſunt lucidæ, vt lumen emittere, ac reflectere valeant, & ſuſceptum poſt ſe tranſire non ſinant, & huiuſmodi partes vocantur Aſtra, ſeu Stellæ. Poſteriores verò ſunt luminoſæ, perſpicuæ, & ſuaptè natura peruiæ, ac tranſparentes, & hæ quidem ſuſcipiunt lumen, at illud non reflectunt ad nos, quin potius ad partem oppoſitam tranſmittunt, & iſtæ appellantur Orbes, vel Orbium partes, differuntque à prioribus duntaxat accidentaliter, penes maiorem raritatem, vel denſitatem minorem, aut maiorem, quæ ſunt accidentia corporis homogenæi. Ex his infertur, quod cum Aſtra ſint partes integrantes totam ſubſtantiam homogenæam Orbis, & eidem, non tantum contiguæ, verum etiam continuæ, debeant eſſe neceſſariò eiuſdem penitùs naturæ ſubſtantialis cum ſuis Orbibus &c.

Tertiò Notandum ex Ariſtotel. 8. Metaphyſicorum ſub t. 11. & 12. ac ex eodem Doct. Subt. in 1. Meteorologicorum q. 15. aliqua eſſe eiuſdem, vel diuerſæ rationis, ac ſpeciei, poſſe dupliciter intelligi, Metaphyſicè nimirum, & Phyſicè. Illa dicuntur, vel ſunt eadem, aut diuerſa priori modo, quæ conueniunt in eadem differentia formali, ſpecifica, & vnius ſpeciei conſtitutiua, & ſic Petrus, & Paulus ſunt idem ſpecie penès rationalitatem conſtitutiuam ſpeciei humanæ, in qua conueniunt. Illa verò ſunt eadem, vel diuerſa ſpecie poſteriori modo, quæ conueniunt, vel diſconueniunt in eadem materia, & eodem mouente; nam vt inquit Ariſtoteles loco citato, penes vnitatem, vel pluralitatem materiæ, ac mouentis, identificantur, vel diuerſificantur ſpecie phyſicè effectus exindè procedentes. Modò ad propoſitum deducitur ex his, ſtellas, ſiue Aſtra eſſe eiuſdem ſpeciei phyſicè cum ſuis Orbibus, cùm conueniant in eadem materia, ac mouente, quandoquidem vno, & eodem cientur motu.

Quartò Notandum eſt ex aliàs obſeruatis in ſuperioribus diſputationibus, & quæſtionibus, ſtellas eſſe corpora ætherea, lucida, ſuis Orbibus infixas, & ſunt in duplici differentia; aliæ enim dicuntur fixæ, & aliæ erraticæ. Fixæ ſunt, quæ in ſuis motibus ſeruant inter ſe æquabilem diſtantiam, ſitum, & ordinem, hærentque octauæ ſphęræ, veluti nodi in tabulato; & iſtæ, ſi ſeorſim attendantur, ſunt innumerabiles ab intellectu humano: ſi verò vt coniunctę conſiderentur, vt obſeruarunt communiter Aſtrologi, ſunt mille, & vigintiduę, quę differunt inter ſe, partim magnitudine, partim apparitionis, & partim occultationis modo: ſiquidem ſecundum magnitudinem diſtribuuntur in ſex ordines, ſecundum apparitionem, & occultationem, alię perpetuò apparent ſupra Horizontem, alię verò ſub eodem perpetuò latent, & nūquam oriuntur, & alię ſucceſſiuè apparent, & interdùm occultantur ſub Horizonte, ſecundum quod Cęlum mouetur ab Occidente ad Orientem, & ab Arctico in Antarcticum, ſeu Meridianum, de quibus omnibus forſan aliàs erit ſermo. Erraticę, quę inferioribus Orbibus infixę manent, & in ſuis motibus difformiter cientur, ac inęquali diſtantia conſiſtunt; ſuntque numero

mero ſeptem, nempè Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna, quæ Planetæ appellantur. Horum ordo eſt triplex ſcilicet medius, in quo collocatur Sol, veluti omnium maximus, & lucidiſſimus, ſuperior in quo locantur Saturnus, Iupiter, & Mars, ac inferior in quo ponuntur Venus, Mercurius,& Luna. Differuntque inter ſe, non ſolum motibus,vt aliàs obſeruauimus, ſed etiam ſitu, ac colore. Saturnus nanque eſt Planeta ſuperior,colore pallido, ſtellis fixis proximus. Iupiter eſt Planeta ſuperior valdè lucidus, Saturno vicinus. Mars eſt Planeta ſuperior, flammei coloris, inter Solem, & Iouem locatus. Venus eſt Planeta inferior valdè lucidus, & Soli proximus, ipſumque de mane comitatur,&dicitur Lucifer, & veſperi ſequitur, vocaturque Heſperus. Mercurius eſt Planeta inferior ſub Venere poſitus, parumper albicans, ac omnium minimus. Luna tandem eſt Planeta inferior, terræ proximus, noctemque illuminans,& vocatur luminare minus, ad differentiam Solis, qui dicitur luminare maius. Omnes iſti fixi adhærent ſuis Orbibus, cum hoc tamen diſcrimine, vt excepto Sole, quilibet contineatur vni Epicyclo, hoc eſt circulo minori, poſito in circumferentia alteris maioris circuli, qui vocatur deferens, quoque Planeta defertur in ſuo motu; Sol autem caret Epicyclo;nam cum moueatur ſemper circa lineam Ecclypticam, & non extra ſicut faciunt cæteri Planetę,interdum aſcendendo, & interdum deſcendendo,non eget Epicyclo, ſicut alij, vt alias oſtendimus contra Recentiores ſuſtinentes fluiditatem Cęlorum, & Orbium inferiorum. Ex quibus omnibus infertur, quod omnes ſtellæ, tam fixæ, quam errantes, cùm continuentur ſubſtantiæ ſuorum Orbium, ſiuè mediantibus Epicyclis, ſiue ſine illis, omnes pariter debent eſſe eiuſdem naturæ ſpecificæ, ſaltem phyſice, cum ſubſtantia ſuorum Orbium.

Ex his ſit prima Concluſio. Aſtra, ſiue fixa ſint, ſiue erratica ſunt eiuſdem naturæ ſpecificæ, phyſice loquendo, cum ſuis Orbibus. Eſt Ariſtotelis in t. 43. ac ſequentibus. Probatur, tùm quia eiuſdem naturæ ſunt partes, ac totum, cùm partes cauſent eſſentialiter totum, ſed Aſtra ſunt partes totius Orbis, igitur &c. tùm etiam quia Aſtra ſunt continua ſuis Orbibus, & ſolum differunt ſecundum rarum, & denſum, vel ſecundum magis, vel minus denſum, vel opacum, & diaphanum, ſed huiuſmodi differentiæ, cùm ſint accidentales, non variant eſſentialiter, & ſpecificè, ergo &c. tùm etiam, quæ differunt ſolùm ſecundum magnitudinem, non differunt ſpecie, quia magnitudo in corporibus homogenæis non arguit differentiam ſpecificam, alioquin fluuius, & riuus aquæ non eſſent eiuſdem ſpeciei, ſed Aſtra, & Orbes differunt tantum ſecundum magnitudinem,conueniunt enim in eadem figura ſphærica, vt probat Ariſtoteles hic t. 59. ergo &c. tùm denique, quia quæ habent eandem materiam, & mouens, ſunt eiuſdem ſpeciei phyſicè, ex Ariſtotele 8. Metaphyſicorum t. 12. ſed Aſtra, & Orbes ſunt eiuſdem materiæ, ac mouentis; conſtant enim ex materia prima eiuſdem penitùs rationis cùm materia noſtras vt latius oſtendimus in phyſicis, & mouentur eodem motu, quo Orbes, vt docet in t. 43. & ſequentibus vſque ad t. 52. excluſiuè, ergo Aſtra ſunt eiuſdem naturæ ſpecificæ in genere phyſico cum ſuis Orbibus.

Secunda Concluſio. Sol, quamuis dignitate excellat cæteros Planetas, tùm inferiores, tùm ſuperiores, non propterea cenſendus eſt alterius naturæ ſpecificæ ab eis. Probatur, nam præſtantia Solis ſupra cæteros Planetas, non eſt deſumenda ratione ſitus, vel ordinis, alioquin Saturnus, Iupiter, & Mars, cum pertineant ad ordinem ſuperiorem Orbium, eminerent illi, verùm duntaxat eſt magnifacienda ratione luminis, quo ſuper omnes extollitur, ſed lumen nequit illum extrahere à communi cæterorum Planetarum natura, ſiquidem lumen eſt accidens commune omnibus Aſtris, ſolumque diſcriminatur in eis ſecundum magis, & minùs, penes diſpoſitionem maiorem, aut minorem corporis luminoſi, vt patet etiam in alijs accidentibus, quibus afficiuntur cætera corpora, ergo quemadmodum illa non diſtinguuntur ſpecie ratione ſuorum accidentium, ſic philoſophandum erit de corporibus cœleſtibus in ordine ad ſua accidentia communia. Quod autem lumen ſit accidens commune, nedum corporibus cœleſtibus, ſed etiam conueniens nonnul-

lis

lis ſublunaribus, docet Ariſtoteles in 2. de Anima à t. 69. & ſequentibus, & nos cum ipſo, & Doct. ſubtili ibidem Diſp. 5. q. 1. ergo cùm non ſit proprium accidens Solis, non poterit demonſtrare, illum fore alterius naturæ à cæteris Planetis, vel Aſtris.

Tertia Concluſio. Hinc ſequitur omnes Cęlos, vel orbes conuenire in eadem ſpecie ſpecialiſſima phyſice loquendo. Eſt contra Auerro. Iandunum, Durandum, Albert. Magnum, D. Thomam, Ferrarienſem, & Caietanum, quorum meminit Ruuius lib. 2. de Cęlo cap. 5. q. 4. Probatur eodem modo, quo roborata fuit 1. concluſio: nam omnes Cęli, vel orbes conueniunt in eadem materia, & iiſdem mouentibus ſpecie, ergo omnes ſunt eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ. Conſequentia tenet ex Ariſtotele 8. Metaph. t. 11. & 12. vbi inquit. *Patet, quod principium, & ars, quæ eſt vt mouens, eadem eſt: etenim, ſi materia diuerſa, & mouens, & ipſum, quod factum eſt*. Ergo ex identitate ſpecifica materiæ, & mouentis, ſequitur pariter identitas ſpecifica effectuum. Antecedens patet ex dictis, nàm omnes Cęli conſtant ex eadem materia prima, & omnes Intelligentiæ, in ratione mouentium, ſunt eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſime.

Obijcitur primo contra primam Concluſionem quia eidem corpori ſimplici ſecundum ſpeciem, ſolùm poteſt naturaliter conuenire vna acquiſitio termini, & vnus modus acquirendi, & exiſtendi in illo, vt conſtat in elementis, & eorum partibus quarum quælibet ſeparata, vt coniuncta, ad idem vbi, & per eandem lineam ſemper nata eſt tendere; ſed ſphæræ cæleſtes, orbiculi, & planetæ per diuerſam lineam moueri exigunt, & diuerſam termini acquiſitionem, ac modum acquirendi perpetuò habent, ac alia corpora cæleſtia, à quibus realiter diſtinguuntur, ergo ab eiſdem differunt ſpecie. Conſequentia tenet, quia diuerſitas motuum, ac terminorum ſpecie, arguit diuerſitatem mobilium ſimplicium, ſiquidem vt docet Ariſtoteles in 1. lib. de Cęlo t. 7. vnius corporis ſimplicis eſt tantum vnus motus ſimplex, & econuerſo, ergo &c.

Reſpondetur negando minorem, ſiquidem omnes ſphæræ cæleſtes, ac orbes mouentur circulariter, ſiue ſint concentrici ſiue excentrici; modo omnes motus circulares, quouis modo acquirantur, ſunt eiuſdem rationis, ac proinde arguunt, mobilia eiuſdem rationis.

Obijcitur Secundo Naturæ, & eſſentiæ diuerſæ ſpecie manifeſtantur, ac demonſtrantur per accidentia diuerſa ſpecie, ſed quilibet Planeta, & Aſtrum habet accidentia propria, & inſeparabilia diſtincta ab accidentibus ſuorum orbium, ergo Planetæ, & Aſtra fixa debent eſſe diſtincta ſpecie. Maior probatur ex Ariſtotele 2. de Anima t. 12. vbi habet, quod *accidentias magnam partem conferunt ad cognoſcendum quodquid eſt*. Minor probatur quia Aſtra ſunt denſa, & lucida, orbes verò rara, & diaphana, quæ ſunt accidentia diſparata. Inſuper Aſtra influunt in hæc inferiora, non ſic orbes ſine illis; ſimiliter vnus Planeta habet effectus diſparatos ab altero, vt patet diſcurrendo per ſingulos, ergo Planetæ, & Aſtra habent accidentia propria, & effectus diſparatos, alterius rationis, & ſpeciei, nedum inter ſe, ſed etiam diſtinctos ab effectibus ſuorum Cęlorum, & orbium.

Reſpondetur negando minorem. Ad primam probationem de accidentibus dico, huiuſmodi accidentia non eſſe propria, & inſeparabilia ab Aſtris, ac Orbibus, verum communia etiam nonnullis corporibus ſublunaribus, vt docet Ariſtoteles in 2. de Anima à t. 68. & ſequentibus, quapropter ex his nequeunt demonſtrari Aſtra, & Orbes, ſiue inter ſe, ſiue inſeinuicem comparentur, eſſe alterius naturæ ſpecifice diſtinctæ: ſiquidem magis, & minus ſicut non variant ſpeciem ſi adinuicem comparentur, ſic nec poterunt à poſteriori demonſtrare cauſas ſpecie differentes. Ad ſecundam & tertiam probationem, dicimus Aſtra influere quidem in hæc inferiore, vel per lumen & motum, vel per qualitates occultas, vt oſtendimus in Meteoris lib. 1. diſp. 1. q. 8. ſed non ſine ſuis orbibus, quorum ſunt partes: Et licet videantur cauſare effectus differentes ſpecie, ac diſparatos, non tamen inferendum eſt, illa eſſe diuerſarum naturarum ſpecie diſtincta, quandoquidem ab eadem cauſa vniuerſali poſſunt oriri effectus diſparati, vt patet de Sole,

Digitized by Google

le, qui eſt diuerſorum, effectuum productor mirificus, quinimo quo cauſa eſt vniuerſalior in operando, eò plures, ac varios effectus producere valet; modo cum Cęli, & Aſtra ſint cauſæ vniuerſales non eſt mirum, ſi poſſint eſſe eiuſdem naturæ ſpecificæ ſaltem phyſicè, & nihilominus producere valeant effectus in his inferioribus omninò diſparatos, ſecundum diuerſas diſpoſitiones materiæ.

Obijcitur tertio contra ſecundam Concluſionem nàm quæ ſunt eiuſdem ſpeciei retinent eaſdem conditiones, & proprietates, ſed Cęlum, cui eſt affixus Sol, non habet eaſdem conditiones, & proprietates ſolis, ergo non ſunt eiuſdem ſpeciei. Maior patet, à ſimili, quia enim mures geniti ex putri, & per propagationem conueniunt in eiſdem proprietatibus Doctor ſubtilis in p.d.2.q.7.ſub S. concludit illos eſſe eiuſdem ſpeciei, ergo quæ ſunt eiuſdem ſpeciei, poſtulant eaſdem conditiones, & proprietates. Minor probatur quia ſol eſt lucidiſſimus, & innumerabilium effectuum productor, vt adnotauit Plutarchus in lib. de Doctrina Principum, & Macrobius lib. 1. Saturnal. à cap. 17. vſque ad 23. non ſic eius Cęlum, quandoquidem orbes cæleſtes, vt docet Ariſtoteles 12. Metaph. to. 48. ſunt propter ſtellas, quas circumuehunt, & non econuerſo, ergo non eſt neceſſe Cęlum quartum eſſe lucidiſſimum & eorum effectuum, quos gignit Sol, productiuum.

Reſpondetur, maiorem eſſe veram ſi illa, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei, ſint indiuidua completa, ad quæ duntaxat ſpectat operari poſſe, non tamen ſi fuerint partes, & totum, quia ſic totum dicitur operari per partes, & non econuerſo: modo cùm ſol ſit pars ſui Orbis, hic dicitur operari per ipſum Solem, & non Sol per ſe abſque Cęlo, vel orbe. Et confirmatur hæc reſponſio, ſiquidem Sol, quæcumque operatur in his inferioribus, mediante lumine, ac motu operatur, cæterum Sol non mouetur niſi ad motum ſui orbis, & non lucet niſi quia vt pars denſior eſt continua toti orbi.

Vel dicendum maiorem eſſe veram de his, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei metaphyſice, non verò phyſicè, cuiuſmodi ſunt ſydera, & orbes, in quibus infixa exiſtunt, ſiquidem non eſt inconueniens, quod vnum polleat aliqua virtute, quàm aliud, vt patet de corde in comparatione ad alia membra eiuſdem corporis animalis, & tamen omnia ſunt eiuſdem ſpeciei phyſice.

Obijcitur quarto contra tertiam Concluſionem quia ordo ſphærarum mobilium attendi debet ſecundum ordinem Intelligentiarum, ſiquidem ordinantur inſeinuicem ſecundum rationem mouentium, & mobilium ex Ariſtotele 12. Metaph. t. 44. Sed Intelligentiæ motrices ordinatæ ad lationes orbium ſunt diuerſarum ſpecierum, ergo & orbes mobiles debent eſſe diſtincti ſpecie. Minor probatur, quia virtutes motrices Intelligentiarum ſe habent vt includentes & incluſio, ſiquidem virtus primæ Intelligentiæ rotantis primum mobile excedit in actiuitate Intelligentiæ ſecundæ virtutem, ſicut magnitudo primi mobilis ſuperat magnitudinem firmamenti, & ita gradatim deſcendendo vſque ad vltimam Intelligentiam & vltimum orbem; at quæ ſic ſe continent, & continentur diſtinguuntur ſpecie, ergo Intelligentiæ motrices ſunt diuerſarum ſpecierum.

Reſpondetur, minorem eſſe veram cum ſua probatione loquendo, de Intelligentijs ſecundum propriam, & abſolutam earumdem entitatem, non tamen in ratione mouentium, quia ſic ſe excedunt tantum ſecundum magis, & minus in eadem ſpecie, iuxtà exceſſum magnitudinem orbium mobilium, at certum eſt, quod omnes magnitudines circulares ſunt eiuſdem ſpeciei, igitur & omnes orbes erunt eiuſdem ſpeciei. Et cùm dicitur, quod virtutes Intelligentiarum motricum ſe habent vt includentes, & incluſæ in mouendo, falſum eſt, quia tunc vna ſufficeret pro omnibus orbibus, quod eſt omninò falſum, vt ſuperiùs oſtenſum fuit; quælibet enim virtus eſt finita, & limitata iuxtà exigentiam orbium mobilium.

Vel dicendum ſecundo omnes Intelligentias motrices orbium eſſe vnius, & eiuſdem ſpeciei, & ſe excedere in actiuitate ſecundum magis, & minus abſque variatione ſpeciei, ſicut accidit etiam inter homines vt vnus ſit alio fortior, robuſtior, & actiuior, & nihilominus ſunt eiuſdem ſpeciei humanæ.

Obijcitur quinto. Nam ideò plura indiuidua

dua eiuſdem ſpeciei producuntur à natura, vt quæ eſt rerum corruptibilium ſpecies conſeruetur, ſed orbes cœleſtes non ſunt corruptibiles ex Ariſtotele 1. de Cęlo, & Mundo à t.20. & ſequentibus, ergo non ſunt indiuidua vnius ſpeciei. Maior eſt eiuſdem Ariſtotelis in ſecundo de Anima t.35. vbi inquit, *Quoniam igitur communicare non poſſunt ipſo ſemper, & diuino continuatione, propterea quod nihil contingit corruptibilium idem, & vnum numero permanere, ſecundum quod poteſt participare vnumquodque, ſic communicat, hoc quidem magis, illud vero minus, & permanet non ipſum, ſed quale ipſum, numero quidem non vnum, ſpecie autem vnum*, ergo ideò natura producit plura indiuidua in corruptibilibus, vt continuatione generationis conſeruetur ſpecies.

Reſpondetur totum argumentum verificari in viuentibus corruptibilibus, vt probat Ariſtoteles, non verò in incorruptibilibus, quia in his multiplicantur indiuidua ſub vna ſpecie, non ob conſeruationem eius, ſed vel ob perfectionem naturæ, quæ in ſui communicatione dignoſcitur, vt patet in Angelis, vel ob decorem Vniuerſi qui conſiſtit in coordinatione omnium indiuiduorum ad proprias ſpecies, & ſpecierum, ac generum ad vnum, quod ſit bonum, & optimum totius vniuerſi: Ex quibus infertur, quod licet Cęli ſint incorruptibiles, non propterea eis repugnat multiplicatio tot indiuiduorum in vna tantum ſpecie, cum hoc ſpectet ad perfectionem propriæ naturæ, & ad decorem vniuerſi.

Quarta Concluſio. Aſtra omnia, tàm fixa, quam errantia ſunt vnius, & eiuſdem ſpeciei phyſice loquendo. Probatur, tùm quia omnia conueniunt in materia, & mouente eiuſdem rationis, vt ſupra probatum eſt: tum etiam quia ſunt eiuſdem naturæ ſpecificæ cum ſuis orbibus vt pariter oſtenſum eſt, ſed omnes orbes ſunt eiuſdem ſpeciei phyſice, vt probauimus in præcedenti concluſione, ergo & Aſtra debent eſſe eiuſdem ſpeciei phyſice.

Obijcitur tamen contra hanc Concluſionem nam diuerſi effectus ſecundum ſpeciem ab Aſtris fixis producuntur, ſiquidem vt docent Aſtrologi Vrſa minor trahit magnetem, quod alijs ſtellis minimè competit: ſimiliter Saturnus melancoliam, & fregiditatem parit, Mars ſiccitatem, Sol caliditatem, & Luna humiditatem generat, quæ ſunt effectus diuerſi ſpecie, & Planetæ ſunt ſtellæ errantes, ergo Aſtra, tàm fixa, quam errantia diſcrepant ſpecie. Conſequentia probatur, quia varietas effectuum ſublunarium, cum à cæleſtibus cauſis pendeat, arguit varietatem ſpecificam in eis.

Confirmatur, quia ſi Aſtra fixa non diſtinguerentur ſpecie, Planetæ ſub eis in vna diſpoſitione non deberent producere diſſimiles effectus in illis, quos producunt in alia diſpoſitione, atqui oppoſitum experti ſunt Aſtrologi; alium namque effectum producit Sol dùm eſt ſub ſigno Cancri, ac dùm eſt in ſigno Virginis, & ſic diſcurrunt de alijs Planetis, cum degunt ſub alijs ſignis fixis, ergo ſignum eſt Aſtra fixa deberi diſtingui ſpecie.

Reſpondetur negando has omnes conſequentias, quandoquidem, vt reſpondimus ad primam obiectionem, effectus ſecundum ſpeciem diuerſi non arguunt cauſas vniuerſales, & æquiuocas ſpecie diuerſas, ſed tantum cauſas particulares, & vniuocas, modò Aſtra quæcunque ſunt cauſæ vniuerſales, & æquiuocæ, à quibus oriri poſſunt effectus diuerſi ſecundum ſpeciem, licet ipſa ſub vna ſpecie phyſica contineantur.

Vtrum Aſtra lucem à ſemetipſis habeant, vel à Sole illam mutuent?

QVÆSTIO II.

Non defuerunt, qui ſuſtinuerint lucem eſſe formam ſubſtãtialem corporum lucentium, quapropter iſti conati ſunt aſſerere, quod omnia Aſtra habeant propriam lucem diſtinctam à luce Solis, alioquin omnia forent vnum tantum Aſtrum, quod Sol appellaretur, cum omnia forent conſtituta per vnam & eamdem formam ſubſtantialem, quæ lux diceretur. Huius opinionis meminere Auicenas lib. 6. Natur. quæſt.p.5.cap.2. D. Thom. 1. p. q. 67. art. 3. & Aegidius de Roma lib.2.Hexam. cap.15. cui viſi ſunt adſtipulari D. Damaſcen.lib.2. Fidei Orthodoxæ cap. 7. D.Auguſt.in epiſt. ad Voluſianum, & lib. 6. ſuper

per Geneſ. ad lit. Theodoretus ſuper Geneſ. q. 7. vt potè qui aſſeruerint, vel lucem eſſe ignem, vel eſſe ſubſtantiam quandam per ſe cohærentem, à Deo creatam in principio, cum dixit: *Fiat lux, & facta eſt lux*, vt per ipſam conſtitueret in eſſe omnia corpora lucida, tùm cæleſtia, tùm ſublunaria.

Cæterùm quod lux non ſit ſubſtantia, ſed qualitas afficiens corpora lucida, ab eiſque realiter diſtincta, docuit in primis Ariſtoteles contra Empedoclem, & alios Antiquos in 2. de Anima t. 69. quem poſtea ſequuti ſunt Alexand. de Aleſ. 3. p. q. 69. memb. 2. ar. 3. D. Thom. 1. p. q. 67. ar. 2. & in 2. d. 13. q. vn. art. 1. Scotus ibidem art. 1. & 2. ſub A. & B. & alij, quos referunt, ac ſequuntur Conimbricenſes 2. de Cęlo cap. 7. q. 2. ar. 1. Hi omnes etiam aſſerunt lucem eſſe formam accidentariam, conſequentem omnia corpora cæleſtia, ac proinde omnia Aſtra.

Alij denique concedentes propriam aliqualem lucem cuilibet Aſtro, & Planetæ, ſuperaddunt nihilominus omnia irradiari abundantiùs à lumine Solis, adeo vt videantur ſolum lucere de alieno, & non de proprio lumine, & hanc ſententiam putamus probabiliorem cum Conimbricen. citatis q. 3. ar. 3. ad tertiam & q. 4. art. 1.

Pro cuius vberiori declaratione, & totius quæſtionis ſolutione primo Notãdum eſt ex ſuperius dictis, Aſtra eſſe in duplici differentia alia enim dicuntur errantia, & alia fixa, non quod ſint alterius naturæ ſubſtantialis, at quod ratione motus diſcriminari conſpiciantur ab Aſtrologis, vt in præcedenti luculenter obſeruauimus. De prioribus ſatis dictum ibidem putamus; at de poſterioribus ſuperaddendum duximus numerum ſecundum, quod obſeruarunt periti, redigentes illum in mille, & viginti duo, quæ quouis anni tempore noſtris obtutibus ſeſe offerunt conſpicienda. Ex his etiam quadraginta octo ſibi effingunt ſenes, quas Conſtellationes appellant, eo quia vnaquæque habeat determinatum numerum ſtellarum, quo à cæteris diſtincta cognoſcatur, & ex his pariter diuerſas imagines conſtituunt, quarum duodecim ſtatuunt in Zodiaco, viginti, & vnam apparent in parte Septẽtrionali Celi octaui, id eſt in Emiſphærio Borreali, quindecim in alio Emiſphærio Auſtrali, quæ ſimul complent numerum quadrageſimum octauum Imaginum in quibus inſuper reperiuntur ſtellæ mille, & viginti duæ, ab eiſdem obſeruatæ. Quandoquidem in ſignis Zodiaci enumerantur Aſtra trecenta quadraginta ſex in figuris Emiſphærijs Borealis trecenta ſexaginta, & in conſtellationibus Auſtralibus trecenta, ac ſexdecim, quæ ſimul iuncta efficiunt numerum millenarium, cum binario.

Secundo Notandum, eſt quod imagines Zodiaci ſunt *Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpio, Sagittarius, Caprecornus, Aquarius, & Piſces*. Quarum aliquæ ſunt Septentrionales, & aliæ meridionales; aliæque aſcendentes, & aliæ deſcendentes vocantur. Septentrionales ſunt ſex ſcilicet, *Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo*, quæ ſic dicuntur, quia ab Æquatore in Septentrionem declinant. *Aries* eſt primum ſignum, ſiue imago Septentrionalis Zodiaci, tredecim ſtellis figurata, capite ad ortum reflexo, pedibus ferè Cetum attingens, ſicque appellatur ab effectibus, quos producit in Mundo, ſiquidem Sol, dùm eſt ſub ſigno Arietis menſe Martij, incipit terram impenſius calefacere, & quaſi de hyeme triumphans, algorem propellere, ad inſtar Arietis, qui eſt animal calidum, & belligerum. *Taurus* eſt ſignum, ſeù imago altera Septentrionalis Zodiaci, triginta tribus ſtellis exornata, inter quas micant in dorſo Pleiadæ, & Virgiliæ nuncupatæ, & in fronte, aliæ Hyadæ indigitatæ, ſicque vocitatur, quia Sol inſtar Tauri, qui eſt fortior Ariete, caloris conatus menſe Aprilis adauget. *Gemini*, tertia imago, ſiue ſignum Septentrionale Zodiaci, decem, & octo ſtellis inſignitur, pedes porrigens in viam lacteam infrà enixum, & Orionem; & ita appellatur, quia Sol menſe Maij in ipſo exiſtens, calore geminato efficit, vt ſtellus, & plantæ abunde germinent. *Cancer* eſt quartum ſignum, ſeù imago Septentrionalis Zodiaci, nouem ſtellis decorata, poſita inter Vrſas ad Septentrionem directè, & Hydram verſus Meridiem, circuli tropici medium diuidens, & ſub tali nomine manifeſtatur, quia menſe Iunij Sol, veluti Cancer, incipit à noſtro Emiſphærio retrocedere. *Leo*

quin-

Digitized by Google

quintum ſignum ſeptentrionale Zodiaci, viginti ſeptem ſtellis exornatur, ſub Vrſæ maioris pedibus, & cauda verſus meridiem conſpicitur, & tale nominatur ab effectu; ſicut enim Leo cæteris animantibus fortudine excedit, ſic Sol menſe Iulij maximam caloris efficacitatem oſtendit. *Virgo*, ſexta imago ſeptentrionalis Zodiaci viginti ſtellis conformatur, & ſic voluere nuncupari, quia menſe Auguſti terra nimio calore Solis aduſta, cùm nihil, aut parum producat, non parientis virginis refert ſimilitudinem. Meridionales imagines Zodiaci, ſic appellatæ, quia ab Æquatore verſus Meridiem vergunt, ſunt ſex, nimirùm *Libra*, *Scorpius*, *Sagittarius*, *Capricornus*, *Aquarius*, & *Piſces*. Vnde *Libra* prima imago Meridionalis Zodiaci, octo ſtellis conſtat, & ſic oſtenditur, quia menſe Septembris dies, ac noctes incipiunt adæquari, ſeù librari. *Scorpius*, eſt ſecunda imago meridionalis Zodiaci, viginti quatuor ſtellis conſlata; quæ menſe Octobris propter Solis elongationem à terra, frigoris aculeis ad inſtar Scorpij, dices percuti incipiunt. *Sagittarius* tertia imago meridionalis Zodiaci, triginta, & vna ſtellis inſignitur, & ſic vocatur, quia menſe Nouembris, frigoris ſagittis, animantia confodiuntur. *Capricornus* eſt quarta imago meridionalis Zodiaci, viginti ſex ſtellis decorata, ſicque indigitatur, quia menſe Decembris Sol, tanquam capra ad noſtrum Emiſphærium ſaltare videatur. *Aquarius* eſt quinta imago meridionalis Zodiaci quadraginta duabus ſtellis conſtans, & dicitur talis ob ingentes pluuias, quæ menſe Ianuarij decidere ſolent. *Piſces* ſexta imago meridionalis Zodiaci triginta quatuor ſtellis exornatur, & piſcium nomine oſtenditur, quia menſe Februarij piſces ob aquarum copiam ad maiorem multitudinem excreuiſſe videntur. Aſcendentes imagines, quibus Planetæ, ex Auſtro in Septentrionem, verſus noſtrum verticem aſcendunt, ſunt *Capricornus*, *Aquarius*, *Piſces*, *Aries*, *Taurus*, *Gemini*; deſcendentes verò, quibus Planetæ à vertice noſtro ex Septentrione in Auſtrum deſcendunt, ſuntque *Cancer*, *Leo*, *Virgo*, *Libra*, *Scorpius*, & *Sagittarius*. Denique harum imaginum Zodiaci, aliç ſunt Vernç, aliç Æſtiuç, aliç Autumnales, & aliç Hibernç, iuxta diuiſionem ſtationum, ac menſium quadrantum Anni ſecundum quod Sol tempore Vęris poſt Æquinoctium ab Æquatore in Septentrionem recedit, & ſic habentur priores tres Imagines, nempè *Aries*; *Taurus Gemini*; vel ſecundum quod Sol in Æſtate à Solſtitio ad Æquatorem reuertitur, & aſſignantur tres aliç conſequentes ſcilicet *Cancer*, *Leo*, *Virgo*: vel vt Sol in Autumno poſt Æquinoctium ab Æquatore in meridiem deſcendit, & ſic adnotantur *Libra*, *Scorpius*, ac *Sagittarius*: vel tandem ſecundum quod Sol, poſt Solſtitium hybernum, ad Æquatorem redit, & ſic habentur *Capricornus*, *Aquarius*, *Piſces*, & ita terminantur tranſitus, & reditus Solis per Imagines, ſiue ſigna Zodiaci.

Tertio Notandum, quod Imagines, quç extra Zodiacum in Septentrionali, ſeù Boreali plaga ſitç conſpiciuntur ſunt viginti, & vna, nimirum *Vrſa minor*, ſeptem ſtellis conſtans in modum plauſtri formata, ac ſemper ſupra noſtrum Horizontem conſpicitur; *Vrſa maior* viginti ſeptem ſtellis ornata, quarum ſeptem lucidiores plauſtrum maius efficiunt. *Draco* triginta, & vna ſtellis decorata, quæ inter vtramque Vrſam in modum caude Draconis tortuoſum gyrum exprimunt: *Cephaus* vndecim ſtellas complectens, pedibus ad Cynoſuræ caudam extenſis, ac toto reliquo corpore alicuius Draconis expreſſo, inter Cynoſuram, & Draconem, conſpicitur. *Bootes*, Vrſam maiorem ſequens, viginti ſtellarum poſitione, in formam Bubulu minantis plauſtrum, exprimitur. Inter eius crura eſt ſtella lucida primæ magnitudinis, quæ *Arcturus* nominatur. *Corona Ariadna*, octo ſtellis expreſſa inter Bootē, & Herculem Semicirculum format. *Hercules*, viginti octo ſtellis formata imago hominis curuati, cuius pes ſiniſter Draconis capiti, & dexter Bootis innititur. *Lyra Orphei*, ſiue *Fidicula* decē ſtellarū compacta imago, format lineam, ab Arcturo ad Ortū protenſā: *Olor*, ſiue *Cygnus* ex ſeptendecim ſtellis delineatur, & lyræ ad Ortū adiacens, in formā longiuſculę crucis apparet. *Caſſiopea* ex tredecim ſtellis conſtituitur petinde, ac ſedile, cui incūbit, brachia ad ſydera tendens. *Perſeus*, viginti ſeptem ſtellis conſtās, dextera enſē, ſiniſtra caput Meduſæ tenet.

He-

Heniochus, ſiue *Eriſtonius* eſt figura tredecim ſtellis exornata, Vrſæ minori ad Auſtrum obiecta, & Perſeo ad Ortum. *Serpentarius* viginti quatuor ſtellis decoratus, Herculi verſus Zodiacum ſubſternitur. *Serpens* eſt decem, & octo ſtellis inſignita imago, ſerpentarium cingens. *Sagitta* eſt ſydus quinque ſtellis minutis formatum, infra Olorem protentum. *Aquila*, in modum Vulturis, eſt nouem ſtellis efformata imago *Delphinus* eſt decem ſtellarum effectum ſydus, Aquilæ adhærens ad ortum. *Hinnulus* eſt figura quatuor habens ſtellas in capite paruas, & nebuloſas, ſita inter Delphinum, & Pegaſum; formam equi minoris repræſentans. *Pegaſus*, ſeù *Equs alatus*, eſt imago viginti ſtellis inſignita. Andromeda eſt figura viginti quatuor ſtellis conſtans, ante Caſſiopeam verſus Meridiem locata. *Trigonum*, ſic *Triangulus* eſt figura triangularis, extra caput Arietis, ex quatuor ſtellis delineata, & in hac terminantur imagines, ſiue figuræ circuli Borealis.

Quarto Notandum, quod in plaga meridionali, extra Zodiacum continentur aliæ quindecim figuræ, ſeù imagines, & ſunt quæ ſequuntur, nimirum *Catus*, ſiue *Balina* conſtans viginti duabus ſtellis, caput habens ſub Ariete, & caudam ad Aquarium protenſam. *Orion* triginta octo ſtellis inſignitur, collocaturque ſub Tauro, & Gemini. *Argonauta*, ſiue Arca Noè viginti tribus ſtellis conflatur. *Lepus* ſub Orionis pedibus, intra circulum tropicum, & antarcticum poſita, ex duodecim ſtellis effingitur. *Canis minor*, qui & *Canicula* vocatur, duabus ſtellis conſtat, quarum vna eſt in eius ventre, altera in collo. *Canis maior*, ſeù ſirius appellatus, conflatur decem, & ſeptem ſtellis, quibus cum Sol attingitur, calor intenditur. *Hydra* componitur ex viginti quinque ſtellis, longiſſimo tractu per Leonem; Virginem, & Libram porrectis. *Crater* eſt figura ſeptem ſtellarum in cauda Hydræ conſiſtens. *Centaurus* vigintiquatuor ſtellis figuratur, à parte priore hominis, & à poſteriore equi formam referens. *Lupus*, qui à Centauro confixus fingitur à Poëtis, eſt imago decem ſtellis delineata. *Aras* ſeptem ſtellis figuratur. *Corona Auſtrina*, *Sagittarij*, *vel Centauri*, aut *Rota Ixionis* etiam euulgata, eſt imago ſeptem ſtellis inſignita. *Piſcis Auſtralis* eſt figura, ſubiacens Aquario, duodecim ſtellis efformata. *Coruus* denique eſt imago, in modum auis depicta, decem ſtellis inter Craterem, & Centaurum conſtans, & hic ſiſtit tranſitus, quem facit Sol per plagam, ſeù Circulum Meridionalem, illuſtrando, & lucem addendo huiuſmodi ſyderum Imaginibus, ſiue Conſtellationibus. *Eridanus* fluuius eſt imago triginta trium ſtellarum formata in modum fluuij labentis, incipiens à ſiniſtro pede Orionis, & longo tractu verſus Auſtrum proſtenſa.

Quinto Notandum ex Doctore ſubtili in 2. d. 13. q. vn. art. 1. lucem non eſſe ſubſtantiam, ſed qualitatem afficientem corpora lucida, ſiquidem lux eſt per ſe ſenſibilis, intenſionem, & remiſſionem patiens in ſubiecto lucido, quæ nequeunt competere ſubſtantiæ; hæc nanque ſentitur ſolùm per accidentia, quibus ſubſtat, & non ſuſcipit magis, & minus, vt docet Ariſtoteles in Prædicam. cap. de ſubſtantia; & qualitati conueniunt huiuſmodi proprietates vt liquet ex eodem Philoſopho cap. de qualitate, & quali. Ex quo infertur, quod ſicut formas generabilium, & corruptibilium conſequuntur aliquæ qualitates actiuæ, ita formas corporum Cæleſtium habet conſequi aliqua qualitas actiua; non vlla ex qualitatibus primis, aut ſecundis actiuis, quia corporum cæleſtium formæ non ſunt obnoxiæ, generationi, aut corruptioni, igitur talis qualitas nequit eſſe niſi lux, & ſic lux quodammodo erit propria corporum cæleſtium, cuiuſmodi ſunt Aſtra, ac proinde omnia lucere debent magis, vel minus, ſecundum maiorem, vel minorem diſpoſitionem huiuſmodi corporum lucidorum.

Sexto Notandum ex eodem ibidem art. 2. latam eſſe differentiam inter lucem, & lumen. Nàm lux eſt qualitas manens in corpore lucido, lumen verò eſt ſpecies intentionalis lucis, quæ à luce profluens per medium ad oculos defertur, & per quam corpus lucidum, & ipſa lux perſpicitur, ac videtur. A lumine cauſatur ſplendor, qui eſt qualitas viſibilis, ex repercuſſione luminis ad corpus denſum, proueniens. Splendorem conſequitur fulgor, qui eſt qualitas, vel diſpoſitio ſecunda, qua mcdian-

ſtante tellure, ac ſplendet corpus terſum, ac politum, vt patet in ſpeculo, ac orbe cæleſti. Ex his infertur, quod cùm Aſtra omnia ſint corpora denſa, lucida, terſa, & polita, non tantum ſunt affecta luce ſed etiam emittunt lumen in his inferioribus, quo ipſa videntur cum ſua luce, & ſplendorem, ac fulgorem noctu diffundunt; adeò vt etiam de ſuo illuminent terram, & eius habitatores, & licet huiuſmodi illuminatio non ſic percipiatur, quia confunditur, & augetur à lumine Solis, non propterea neganda eſt ab eiſdem etiam ſuo pacto prodire, alioquin male diceret Moyſes Geneſ. cap. 1. Deum creaſſe ſtellas, vt vna cum luminaribus magnis præeſſent diei, ac nocti & lucerent ſuper terram, quod nemo ſanæ mentis dixerit nec dicere poterit.

Ex his ſit prima Concluſio. Aſtra omnia, ſiue errantia, vt ſunt ſeptem Planetæ, ſiue fixa, quæ ſupra recenſuimus in quatuor primis Notandis, ſunt prædita propria luce, diſtincta à lumine, ſeù luci Solis. Eſt fierè communis omnium Philoſophorum, & Aſtronomorum contra nonnullos Profeſſores Aſtrologiæ. Probatur prima pars primo ex Sacra Scriptura: nàm Geneſ. 1. dicitur: *Fecit Deus duo luminaria magna: luminare maius vt præeſſet diei, & luminare minus, vt preeſſet nocti, & ſtellas. Et poſuit eas in firmamento Cæli, vt lucerent ſuper terram*. Deinde primæ ad Corint. cap. 15. inquit Apoſtolus: *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas ſtellarum. Stella enim differt à ſtella in claritate*; atqui non ſequeretur hæc diſtinctio lucis, & claritatis, ſi potirentur duntaxat luce Solis, ſiquidem æqualiter reſpiciuntur ab ipſo, igitur dicendum eſt, illas habere propriam lucem diſtinctam à luce Solis ſecundo probatur, quia omnia Aſtra ſunt eiuſdem naturæ ſpecificæ vt probatum fuit in præcedenti quæſtione, ergo omnia debent habere eaſdem proprietates, cùm iſtæ conſequentur eſſentiam, & fluant ab ea, ſed lux eſt proprietas Solis, vt communiter conceditur, ergo & aliorum Aſtrorũ Tertio probatur, experientia enim conſtat huiuſmodi Aſtra lucere, & non luce Solis, ergo propria luce. Conſequentia tenet. Antecedens probatur, nàm meridiei tempore è profundiſſimis puteis Aſtra fixa colucere conſpiciuntur, ſed tunc à Sole illuminari nequeunt ergo à ſemetipſis lucent. Minor probatur, quia Sol tantum illuminat, quod reſpicit, at tunc non reſpicit illa Aſtra, cùm eis terga vergat, & à tergo ſit opacus, vt poſtulat corporis lucidi natura, ergo à Sole non illuminantur. Nec valet dicere, Solem Aſtris indirectè lucem tunc impertiri quo pacto complures aſſerunt Lunam ab ipſo in Eclypſi indirectè illuminari, quatenus ſcilicet Cęlum à Sole illuminatum, lumen in Lunam reflectit: Non valet inquam, quia ſic Aſtra non apparerent, vel non niſi exigua luce renidenentia, quod eſt contra experientiam. Secunda pars probatur, ſi lux ſtellarum, ſiue Aſtrorum eſſet eadem, ac lux Solis, ſequeretur omnia Aſtra eſſe ſemper æque illuminata, ſed hoc eſt contra experientiam, & Scriptura in principio allatam ex D. Paulo, ergo lux Aſtrorum non eſt lux Solis, ſed alia ab illa diſtincta ſaltem numero. Sequela maioris patet, ſiquidem Aſtra omnia ſunt æque diſpoſita ad recipiendam lucem Solis, & Sol æque attingit omnia Aſtra, ergo omnia æqualiter forent illuminata, quod tamen eſt falſum.

Secunda Concluſio. Aſtra omnia præter propriam lucem, illuſtrantur etiam lumine Solis. Eſt fiere communis omnium, cùm Philoſophorum, tùm Aſtrologorum. Probatur, tùm quia Luna deliquium patitur, ex eo, quod per interpoſitionem terræ impeditur nè feriatu r ab aſpectu, Solis, & ne fiat reflexio luminis: tùm quia ab Aſtrologis, beneficio Teleſcopij, obſeruatum fuit Venerem non ſemper eodem modo apparere, ſiquidem interdùm diu dua, ac ſemiplena, & interdum plena lumine ad inſtar Lunæ conſpicitur: idem aſſeuerant de Mercurio, qui circa Solem mouetur, at huiuſmodi deliquia nequeunt occurrere, niſi ob aſpectum varium Solis in huiuſmodi Planetas, igitur à Sole illuminari dicuntur: tùm etiam, quia omnia Aſtra ſunt corpora ſolida, & opaca, terſa, ac polita, proindeque reflexiua luminis ad inſtar ſpeculorum, ergo cùm omnia radijs ſolaribus feriantur, (ſiquidem eſt poſitus in medio Planetarum, vt commodius eos proſpicere valeat, & percurrit Zodiacum, vt totum firmamentum, in quo adſunt

ſtellæ

Digitized by Google

ſtellæ fixæ, viſitare poſſit) concludendum eſt, omnia pariter à Solis radijs mutuare lucem, eamque in nos diffundere, cùm noſtram beneficam vtilitatem proſpiciunt. Conſequens tenet ex adnotatis in quatuor prioribus Notabilibus.

Tertia Concluſio Aſtrorum omnium propria lux non eſt ſubſtantia, ſed qualitas ſenſibilis afficiens illorum corpora, ac eiuſdem rationis ſpecificæ in omnibus diſtributa. Eſt Scoti in 2.d. 13.q. vn.art. 1. & 2. ac multorum aliorum, quos retulimus in ſecunda ſent. Probatur prima pars, quia ſubſtantia non eſt ſenſibilis per ſe, vt communiter conceditur, at lux eſt per ſe ſenſibilis, vt patet ex Ariſtotele ſecundo de Anima t.69. & 70. & experientia quotidie comprobatur. Confirmatur, quia lux in aliquo eſt accidens, ergo in nullo eſt ſubſtantia, ſiquidem inquit Ariſtoteles primo Phyſic.t. 27. quod verè eſt, nulli accidit, nec accidere poteſt. Antecedens probatur, quia ſi lux in igne eſſet forma ſubſtantialis, & non accidens, ſequeretur omnia corpora lucida fore eiuſdem ſpeciei, quandoquidem daret eis idem eſſe ſubſtantiale ſpecificum, ſed hoc eſt manifeſte falſum, ſiquidem ignis diſtinguitur ſpecie à corporibus cæleſtibus, ſicut corruptibile differt ab incorruptibili, ergo dicendum lucem in igne eſſe accidens ſecunda pars probatur, quia lux cadit ſub ſenſu viſus, ergo eſt accidens viſibile, patitur intenſionem, & remiſſionem, ergo eſt qualitas; ſtat ſimul cum forma ſubſtantiali aeris, & aquæ, ergo eſt forma accidentalis, afficiens corpora lucida. Conſequentia tenent ex natura antecedentium à quibus inferuntur. Siquidem quod cadit ſub ſenſu eſt accidens, quod intenditur, & remittitur eſt qualitas; & quod afficit corpus lucidum eſt lux, vel lumen, ſicut quod afficit corpus album, vel nigrum eſt albedo, vel nigredo. Tertia pars probatur, quia eodem pacto lux afficit, ac manet in omnibus lucidis, ſiue talia ſint ſublunaria, ſiue cæleſtia corpora, quemadmodum albedo manet, & afficit omnia corpora alba, ſed albedo eſt eiuſdem rationis ſpecificæ, in omnibus quamuis ſubiecta eſſent diſtincta ſpecie, ergo eodem modo dicendum eſt de luce, licet corpora lucida diſtinguantur ſpecie.

Quarta Concluſio. Aſtrorum propria lux, & lumen, quo lucent ex illuminatione Solis, diſtinguuntur realiter. Colligitur ex Scoto in 2.d.13.q.vn. art. 2. Probatur, quia res realis, & res intentionalis diſtinguuntur realiter, ſed lux propria Aſtrorum eſt qualitas realis, & lux Solis reflexa in aſtra eſt qualitas intentionalis, ergo diſtinguuntur realiter. Maior probatur quia res realis eſt ſenſibilis, intentionalis, per ſe non eſt ſenſibilis, ſed tantum ratio ſentiendi ſenſibile, atqui res ſenſibilis, & non ſenſibilis diſtinguuntur realiter, ſiquidem ſunt in rebus realiter diſtinctis, ſenſibilis enim eſt in ſubiecto, vel obiecto, quod afficit, non ſenſibilis verò in medio, vel potentia in quibus recipitur, ergo de primo ad vltimum res realis, & res intentionalis diſtinguuntur realiter. Minor probatur, quia luce poſita ſupra ſenſum, viſus non ſequitur viſio, lumine verò poſito ſuper potentia viſiua cauſatur viſio, ergo lux eſt res realis, & lumen Solis cauſatum ex reflexione radiorum Solarium, eſt ſpecies lucis, & qualitas intentionalis. Conſequentia patet, quia ſenſibile reale, poſitum ſupra ſenſum, non facit ſenſationem ex Ariſtotele ſecundo de Anima t. 73. 75. & 116. at ſenſibile intentionale, appoſitum ſenſui, facit ſenſationem ex Comment. lib. de ſenſu, & ſenſato, vbi vult, quod neceſſe eſt lumen proprium eſſe in oculo, ad hoc vt recipiat ſpecies coloris, & videat, ergo lux eſt ſenſibilis realiter, & lumen intentionalis qualitas, ac proinde alia eſt lux propria Aſtrorum, & alia lux Solis, ſiue lumen cauſatum ex reflexione lucis eiuſdem in Aſtra. Confirmatur, quia lux propria Aſtrorum ſubiectatur in illis, cum ſit qualitas actiua conſequens formam ſubſtantialem corporum cæleſtium, lux verò Solis reflexa in Aſtra, recipitur in medio, & per ipſum medium peruenit ad oculos noſtros, ergo alia eſt lux Aſtrorum propria, & alias qua irradiata à Sole ad noſtros aſpectus perueniunt.

Quinta Concluſio. Partes omnium Orbium, nec lucent, aut ſplendent lumine proprio, nec lumine Solis. Colligitur ex Doctore ſubtili lib. 3. Meteorolog. q. 4. & in 2.d. 13. q. vn. art. 3. vbi enumerantur corpora, quæ poſſunt lumen reflectere. Probatur, quia corpora reflexiua luminis, ſiue proprij, ſiue alieni, debent eſſe denſa,

opaca,

opaca, lenia, polita, ac terſa, ſed partes Cœlorum, in quibus infixæ manent Stellæ, vel errantes, vel non errantes, carent denſitate, & opacitate, cùm ſint diaphanæ, & in ſemetipſis recipientes lumen quodcunque, ergo illud ad nos reflectere nequeunt. Maior patet ex Doctrina Perſpectiuorum, qui dicunt, viſionem fieri per lineam rectam, atqui ſi omne corpus lumen reflecteret, nulla viſio fieret per lineam rectam, verùm omnis fieret per obliquam, & reflexam, ſiquidem omnis radius perueniens ad viſum eſſet reflexus, ergo non omnia corpora ſunt reflexiua luminis, ſed tantum illa, quæ habent denſitatem, & opacitatem, lenitatem, ac terſitatem.

Objicitur primò contra primam Concluſionem. Luna omne lumen, quod ad nos tranſmittit, mutuat à Sole, ergo & reliqua Aſtra. Conſequentia tenet, quia omnia Aſtra ſunt eiuſdem rationis ſpecificæ, vt oſtendimus in præcedenti quæſtione, ergo cum non ſit maior ratio de vno, quàm de alijs, idem afferendum de omnibus, ac de Luna communiter fertur. Antecedens probatur ex Ecclypſi Lunæ, ſiquidem impedito Sole, per interpoſitionem terræ, nè radios vibret in corpus Lunare, priuatur quouis lumine Luna, & tota obtenebrata remanet. Deinde pro vario aſpectu Solis Luna apparet ſub diuerſis figuris, iuxta illud Apuleij. *Luna Solis æmula, noctis decus, ſeù corniculata, ſeù diuidua, ſeù pertumida, ſeù plena ſit, vario ignium face, quantò longiùs abit à Sole, tantò largiùs illuminatur*, ergo totum lumen, quo Luna ſplendet, ac lucet, mutuatur à Sole.

Reſpondetur negando conſequentiam; dato enim quod Luna affluentiùs luceret lumine Solis, quam cætera Aſtra, non ſequeretur, quod lumen omne, tùm Lunæ, tùm cæterorum Aſtrorum deberet eſſe lumen Solis; ſiquidem vt probatum eſt, omnia Aſtra, & etiam Luna, potiuntur proprio lumine, quamuis non omnia æqualiter illud nobis manifeſtent, cùm obfuſcentur maiori lumine, ſecundum quod magis, vel minus illud participent per mutuationem à Sole.

Vel dicendum, quod antecedens eſt abſolute falſum, nam & Luna pariter habet propriam lucem, quamuis exiguam, vt vix à nobis videri poſſit: & quia videtur magis lucere lumine Solis, quam cætera Aſtra, nonnulli iudicant, quod omne lumen ad nos tranſmiſſum ſit lumen Solis; at falluntur, quia ſæpè totus ipſius Orbis nobis apparet, cùm tamen à Sole tantùm dimidia pars plus, minus ſit illuminata; hinc Iſaias capite 30. dicit: *Et erit lux Lunæ ſicut lux Solis*; Et Ezechiel capite 32. ſubdit, loquens de temporibus Pharaonis à Deo conterendi: *Solem nube tegam, & Luna non dabit lumen ſuum*. En quomodo Lunæ tribuitur propria lux, diſtincta à lumine Solis, ac proindè apparet falſitas illius antecedentis, & illatum conſequentis, quod omne lumen Aſtrorum ſit habitum à Sole, & non à proprijs corporibus, ſicut ſuperiùs probatum eſt oppoſitum.

Objicitur ſecundò contra ſecundam Concluſionem. Si Aſtra acciperent lumen à Sole, interdum Ecclypſarentur ad interpoſitionem terræ, ſicut Luna, ſed hoc nondùm fuit obſeruatum in cæteris Aſtris, præter Lunam, ergo dicendum eſt, quod non recipiant lumen à Sole.

Reſpondetur negando ſequelam maioris; tum quia vmbra terræ nequit pertingere ad tantam altitudinem, vt ſit interpoſita inter Solem, & reliqua Aſtra: tùm etiam quia vt poſſent Ecclypſari deberent diſtare per ſemicirculum, hoc eſt per gradus centum octoginta, ex quibus conficitur diametrum oppoſitum Soli; cæterum Mercurius, & Venus ſolum diſtant per gradus viginti octo à Sole, & ſic nequeunt objici ſibi ex diametro, ac per conſequens nec Ecclypſari. Ob eaſdem rationes, neque ſtellæ fixæ poſſent pati deliquium, tùm quia magis diſtant à terra, quam Planetæ; tùm etiam, quia ob minorem diſtantiam, & inæqualem à Sole, non poſſunt ſibi opponi ex diametro, adeò & vna impediat lumen Solis, nè radios vibret in reliquas; mouetur enim ſuper Ecclyptica in minori diſtantia, quam ſit diametrum, ad omnes ſtellas fixas.

Dices, Lunam eſſe minorem Venere ſecundum Aſtrologos, & tamen Ecclypſat Solem, ergo & Venus poterit ipſum Ecclypſare.

Reſpondetur negando conſequentiam; ſiquidem Venus non tantùm diſtat à Sole, ſicut Luna, vt poſſit fieri circulus viſualis ex diametro ab ipſa ad Solem, ſicut accidit in Luna ad Solem, vndè licet Venus ſit maior Luna non propterea ſequi poteſt deliquium Solis, vt reſpicitur à Luna, quæ ob diſtantiam ſufficientem ſibi diametraliter obijcitur.

Obijcitur tertiò contra tertiam Concluſionem tùm quia lux eſt nobilior forma ſubſtantiali auri ex D. Auguſt. libr. 2. de Libero Arbitrio ergo lux non eſt forma accidentalis, ſed ſubſtantialis. Conſequentia tenet, quia nulla forma accidentalis eſt nobilior forma ſubſtantiali: tùm qualitas, præſertim ſubiecta ſenſibus habet contrarium, vt candor nigredinem, calor frigus, ſiccitas humiditatem atqui lux nullum habet contrarium, tenebræ enim quæ luci opponuntur, priuatiue non contrariè repugnant, ergo cum lux non ſit qualitas, concludendum eſt, quod ſit forma ſubſtantialis.

Reſpondetur negando conſequentiam, neque auctoritas Diui Auguſtini conuincit: quandoquidem lucem prætulit decori, ſeù pulchritudini auri, non verò formæ ſubſtantiali eiuſdem, ex quo infertur, lucem eſſe formam accidentalem, nobiliorem tamen forma accidentali auri, non autem ſubſtantiali illius: Ad ſecundam dico, veram eſſe maiorem de qualitate rerum generabilium, & corruptibilium, non verò de qualitate Corporis Cœleſtis, quod nulli ſubeſt generationi, & corruptioni, vt eſt lux. At ſi nomen lucis extendatur ad lumen, quod eſt eius ſpecies, maior eſt falſa de omni qualitate ſenſibili, vt patet in ſpeciebus ſenſibilibus, quæ ſimul manent in eodem organo, vt in ſubiecto, & verificatur tantum de qualitatibus realibus primis, ac ſecundis, cuiuſmodi non ſunt lux, neque lumen, cum ſint affectiones accidentariæ Corporum Cęleſtium.

Obijcitur quartò. Si lux eſſet forma accidentalis, ſequeretur accidens migrare de ſubiecto in ſubiectum, ſiquidem deſcendit de Cœlo ad Terram, & de corpore luminoſo ad opacum, atqui oppoſitum eſt communiter receptum in philoſophia, ergo potiùs dicendum eſt, lucem non eſſe formam accidentalem, verùm ſubſtantialem.

Reſpondetur negando ſequelam maioris, ſiquidem lux manet in corpore luminoſo, ſicut albedo in albo, & negredo in ſubiecto, quod afficit: Et cum probatur de lumine, conceditur equidem, cùm ſit ſpecies lucis, quæ non ſubiectatur in corpore luminoſo, ſed recipitur in medio, per quod poſtea peruenit ad potentiam viſiuam, & in ipſa recipitur, vt cum ea concurrat ad cauſandam viſionem lucis, & corporis lucidi: vnde infertur, quod illud axioma: *Accidens non migrat de ſubiecto in ſubiectum*, valet de accidente reali ac ſenſibili, non autem de intentionali, vt eſt lumen, quod eſt ſpecies lucis.

Obijcitur quintò contra tertiam partem eiuſdem Concluſionis, quia quæ ſunt eiuſdem ſpeciei non ſe impediunt, nec interturbant, ſed potiùs mutuis auxilijs ſe iuuant, vt patet de igne igni addito, ſed lux Solis ſua præſentia *obſcurat lucem* ſtellarum, vt ſpecies earum ad nos peruenire non poſſint, ergo huiuſmodi luces non erunt eiuſdem rationis ſpecificæ.

Reſpondetur maiorem eſſe veram ſi adinuicem comparentur, falſam ſi ſenſibilia eiuſdem ſpeciei reſpiciant eandem potentiam; nam experientia comperimus, quod ſenſibile excedens implet ſuis *ſpeciebus* organum potentiæ, vt ad ipſum peruenire nequeant ſpecies ſenſibilis minoris, vt patet de ſono excedente in ordine ad potentiam auditiuam, de odore exuberanti obiecto potentiæ olfactiuæ, & ſic de cæteris, quare non eſt mirum, ſi lumē Solis obumbret ſuis radijs aſpectum noſtrum, vt ad ipſum ſimul peruenire nequeant cæterorum Aſtrorum ſpecies viſibiles, cùm illud excedat horum lumen in magnitudine, & fortitudine. Cùm hoc tamen ſtat, vt aliquando etiam ſtellarum ſpecies, ſimul cum Sole, noſtros obtutus ferrant, & per eas videantur luces Aſtrorum, ac ipſa Aſtra, vt patet de aſpicientibus profundum putei, ſiquidem ſimul videntur ſtellæ cum Sole etiam in media die, in qua radij Solares per aerem fortiùs ſe diffundunt.

Obijcitur ſextò contra quintam Conclu-

cluſionem nam omnia corpora denſa, opaca, terſa, & polita poſſunt lumen reflectere, & ſic ſplendorem emittere, ſed partes Orbium, quæ non ſunt Aſtra, ſunt huiuſmodi, tùm quia Cœli non ſunt fluidi, vt aer, & aqua, ſed denſi, ac ſolidi, aliquam opacitatem præſeferentes; tùm etiam quia ſunt corpora homogenea, quorum partes ſunt omnes eiuſdem rationis, ergo ſicut Aſtra, quæ ſunt Cœlorum partes homogeneæ, ſunt lucida, & reflexiua luminis Solaris, ſic & reliquæ partes debent eſſe lucidæ, ac reflexiuæ luminis Solis.

Reſpondetur negando minorem. Ad primam probationem, concedimus omnes Cœlos eſſe quidem ſolidos, ac etiam aliqualiter denſos, non tamen, ſecundum omnes partes opacos, vt ſunt Aſtra, verùm ſecundum illas portiones, diaphanos, ac tranſparentes, vt lumen in ſe recipere quidem valeant, non tamen ad nos reflectere, & tranſmittere, ſicut faciunt Aſtra, quinimò ſinunt illud tranſire ad partem oppoſitam, & conuexam Orbium. Ad ſecundam probationem concedimus etiam eſſe corpora homogenea, cum hoc tamen ſtat, vt aliquæ partes ſint denſiores, ac opacæ, quæ lumen reflectere valent, & aliæ minus denſæ, ac diaphanæ ad inſtar cryſtalli, ac puriſsimi vitri, quæ licet ſint corpora denſa, ac ſolida, vt diſtinguuntur à *fluidis*, non tamen ita denſa, & opaca, vt lumen reflectere queant, niſi illis ad partem oppoſitam ſubducatur plumbum, quod tranſparentiam impediat, vt apparet in ſpeculis vitreis. Nec per hoc tollitur, quin ſint homogenea corpora, & partes homogeneæ, ab etherogeneis diſtincta, quandoquidem opacitas, ſeù denſitas, & raritas, ac diaphaneitas, cum ſint accidentia communia, non faciunt diuerſitatem ſpecificam, verùm numericam duhtaxat.

Vtrum omnia Aſtra patiantur deliquium, ſicut Luna, & ſcintillent, vt non Errantia faciunt?

QVÆSTIO III.

Qvamuis prior pars huius quæſtionis videatur ſoluta in præcedenti quæſtione, reſpondendo ad ſecundam obiectionem, tamen vt haberi poſsit clarior cognitio Ecclypſis, & an extendi poſsit extra Solem, & Lunam, denuò exagitare tentabimus prælibatam doctrinam, vt exinde ſatis fieri poſsit huic difficultati ſic vniuerſim propoſitæ.

Circa igitur hanc priorem partem non eſt concors Philoſophorum, ac Aſtrologorum ſententia, ſiquidem aliqui putant, ex eo, quod recipiunt lumen à Sole, vel ob interpoſitionem terræ, ſicut accidit Lunæ, vel ob interpoſitionem vnius Aſtri, inter aſpectum noſtrum, & aliud Aſtrum, ſicut contigit Soli per oppoſitionem diametralem Lunæ, nonnulla Aſtra pati poſſe deliquium luminis, vel Solis, vel proprij, ſiquidem ope teleſcopij obſeruatum eſt, non ſemper eodem modo apparere Venerem, ſed ad inſtar Lunæ, interdum falcata, modò ſemiplenam, & aliquando lumine plenam conſpici, & hoc idem euenire Mercurio, qui circa Solem peragit curſum ſuum obſeruarunt alij, igitur, cùm Ecclypſis non ſit aliud, quam priuatio luminis alieni, vel ex interpoſitione terræ vel alicuius aſtri oppoſitione, cenſuerunt, non ſolum Lunam, & Solem Ecclypſari, ſed etiam aliqua Aſtra ab illis diſtincta.

Verùm communior ſententia, & Ariſtoteli conſona, ſuſtinet nulla Aſtra, præter Solem, & Lunam, poſſe pati deliquium luminis, & Ecclypſari, quam vti probabiliorem, ac Doctori Subtili conformiorem, & nos ſequi volumus. Ita docent Conimbricenſes libro 2. de Cœlo capit. 7. quæſt. 4. art. 1. & 2. Roccus ibidem quæſt. 14. Maſtrius diſp. 2. quæſt. 5. numer. 169. Serbellonus diſp. vnica quæſt. 5. art. 1. §. 12. 13. & 14. Comptonus diſput. 2. de Cœlo ſect. 3.

Circa poſteriorem partem etiam adeſt lis, & controuerſia inter Doctores, nam vt refert Maſtrius loco citato nu. 163. Antiqui docuerunt ſcintillare, ſeù rutilare non conuenire cuilibet corpori lucido; nec omnibus Aſtris, ſed tantùm non errantibus, non verò Planetis, ſiue ſtellis errantibus, ſiquidem, vt innuit Ariſtoteles ſecundo de Cœlo t. 48. ſcintillatio cùm oriatur, vel ex imbecillitate potentiæ, ac diſtantia ſpecierum ſtellarum fixarum; vel

Digitized by Google

ex agitatione earundem ſpecierum in medio, qua de cauſa tremere videntur, vel ex rapidiſsimo Cœlorum motu, vt ſpecies fractæ, tremulæque proijciantur, propterea ſolùm ſtellæ fixæ, quæ, vel ob nimiam diſtantiam noſtris aſpectibus in ſe obijci non valent, vel ob agitationem medij, ac velocitatis motus Cœlorum earundem ſpecies ad nos transmitti tutò nequeant, ſcintillare, ac rutilare dicuntur. Ita Peripateticorum Schola, poſt Ariſtotelem, & nonnulli ex Aſtrologis, etiam Modernis, cenſuerunt, vt adnotarunt Conimbric. hic cap.8. quæſt.1. Amicus tract.5. q.7. dub.3. & alij.

Cæterùm alij obſeruarunt, quod non ſolùm ſtellæ fixæ, verùm nonnullæ ex errantibus, viſæ ſunt ſcintillare, ac rutilare. Ita Simplicius adnotauit de Mercurio, Serbellonus, loco ſupra citato, de Marte, & ex Recentioribus Aſtrologis, Simon Marius in præfatione Mundi Ioualis, vt refert Maſtrius citatus, fatetur ſe comperiſſe omnes Planetas, præter Lunam, tremere, ac rutilare.

Quid autem ſit reſpondendum nobis ad has difficultates, quibuſdam adnotatis de more, in concluſionibus aperiemus.

Primò igitur notandum eſt, Ecclypſim eſſe duplicem, vt obſeruarunt Aſtrologi, nempe Lunarem, & Solarem. Prior deſcribitur, quod ſit priuatio luminis Solaris in Luna, ob interpoſitionem terræ inter Solem & Lunam; quandoquidem Sol cum ſemper moueatur ſub Ecclyptica, accidit vt proijciat vmbram terræ ad partem Ecclypticæ diametraliter Soli oppoſitam, quam cum ingrediatur Luna, impeditur ne à Sole illuminetur, ſicque cauſatur Ecclypſis in Luna, cùm hæc ſit ex diametro Soli oppoſita. Huiuſmodi autem impedimentum non ſemper occurrit Lunæ, quamuis ſit oppoſita diametraliter corpori Solari, alioquin, in quouis plenilunio accideret Ecclypſis, verùm duntaxat cùm ambo ſunt in cauda, vel capite Draconis, ſiquidem tunc temporis ſolùm proijcitur vmbra terræ ſub Ecclyptica, & interponitur inter Solem, & Lunam mutuò ſe reſpicientes ex diametro, atque adeò ſolùm eò temporis accidit Ecclypſis Lunaris. Poſterior verò communiter manifeſtatur, quod ſit priuatio luminis Solis in terra ob interpoſitionem Lunæ ex diametro inter aſpectum noſtrum, & Solem; ſiquidem eò temporis Luna, cùm à parte nos reſpiciente, ſit opaca, impedit lumen Solis, ne ad aſpectum noſtrum peruenire poſſit, ac proindè quoad nos ſequitur priuatio luminis Solis, & Ecclypſatur. Hoc autem impedimentum accidit in nouilunio, ſed non ſemper, verùm duntaxat cùm ambo exiſtant in capite, vel cauda Draconis; ſiquidem tunc temporis ſolùm vmbra Lunæ proijcitur diametraliter ad terram, & impedit noſtrum aſpectum ne videat corpus Solare. Differunt autem iſtæ duæ Ecclypſes, quia prior eſt priuatio luminis Solaris in Luna, itaquod vbique, & æqualiter videtur in tota terra; at poſterior non ſic, quia Sol non priuatur ſuo lumine in ſe, ſed tantùm quoad noſtros aſpectus; & quia hi variantur ad variationem regionum terræ, hinc ſequitur, quod prius vni parti terræ, quam alteri poteſt apparere Ecclypſis Solis, & non ſimul omnibus habitatoribus terræ, ſicut accidit Ecclypſi Lunæ.

Secundò Notandum eſt, quod ad cauſandam Ecclypſim propriè dictam, cuiuſmodi eſt Lunaris, exigitur, nedum vmbra terræ interpoſita inter aſtra Ecclypſabilia, verùm etiam quod Aſtrum Ecclypſabile diſtet ab Ecclypſante ſex ſignis, hoc eſt centum octoginta gradibus, ſiquidem in huiuſmodi diſtantia tantum poteſt formari ſemicirculus diametralis, & ſuper ipſo radius viſualis oppoſitus, vt obſeruarunt Mathematici perſpectiui; ad cauſandam verò Ecclypſim impropriè dictam, qualis videtur eſſe Solaris, requiritur, vt Aſtrum Ecclypſans poſſit formare ſemicirculum diametralem cum Aſtro Ecclypſabili, ſiquidem in diſtantia ſic oppoſita duntaxat, poteſt conſiſtere radius viſualis ex diametro oppoſitus, adeòut vnum poſſit impedire lumen alterius, nè poſſit ad nos peruenire, exempla patent in Ecclypſi Solis, & Lunæ, quæ de neceſſitate exigunt tales conditiones. Ex his infertur, quod nullum Aſtrum, præter Solem, & Lunam, pati poſſit Ecclypſim, ſiue propriam, ſiue impropriam; tùm quia vm-

vmbra terræ nequit pertingere ad tantam altitudinem, vt impedire poſſit lumen Solis, à quo quodlibet Aſtrum illuſtrare ſolet: tùm etiam, quia nullum eſt in tanta diſtantia, vel ad Solem, & Lunam, vel ad ſeinuicem, vt inter ipſa formari, & conſiſtere valeat ſemicirculus diametralis, ac ſuper ipſo radius viſualis oppoſitus ab vno ad aliud, ita quod vnum, poſitum inter aliud, ac noſtros aſpectus, poſſit impedire lumen, quominus ad nos perueniat: patet enim in Mercurio, & Venere in diſtantia ad Solem, ſiquidem prior diſtat ab ipſo ſolùm per gradus viginti octo, poſterior verò per gradus quadraginta tres, & tamen deberent diſtare, vt impedire poſſent lumen Solis, gradus centum octoginta, in quibus tantum conſiſtere poteſt ſemicirculus diametralis, requiſitus ad radium viſualem oppoſitum: Idem, pluſue, minus poteſt dici de cæteris Planetis ſuper Solem exiſtentibus, vt non habeant diametralem diſtantiam, nec ad ſeinuicem, nec ad Solem, vt Ecclypſari poſſint, vel propriè, vel impropriè, & multò minùs affirmari poterit de ſtellis fixis, ob defectum earumdem conditionum, ſiquidem ſeruant ſemper eandem diſtantiam inter ſe, vel non ſufficientem in ordine ad Solem, quare nec illæ poterunt Ecclypſari ad ſeinuicem, nec vlla valebit Ecclypſare Solem.

Tertiò Notandum eſt, vt colligitur ex Ariſtotele in hoc 2. de Cœlo t. 48. ſcintillationem in ſtellis ex triplici cauſa oriri poſſe, vel ex varia refractione radiorum viſualium in medio, vaporibus interpoſitis: vel ex nimia diſtantia obiecti ab aſpectu noſtro: vel ex debilitate potentiæ viſiuæ, quæ radios viſuales nequit in tam longam diſtantiam vſque ad obiectum viſibile protrahere. Ratione primæ cauſæ, ex eo, quod minima corpuſcula, vaporeſque attracti obnubilant medium, impediunt nè radij lucidi poſſint rectà ad noſtros obtutus peruenire, verùm refracti, trementes, & quaſi vaccillantes, cauſant in Aſtro ſcintillationem, ſeù illum ſplendorem rutilum. Ratione ſecundæ oritur ſcintillatio apparens in ſtellis fixis, non quod ita ſint, ſed quia ob nimiam diſtantiam palpitant noſtri obtutus, & quodammodo cæcutiri videntur, cùm ad ſpecies emiſſas ab Aſtris diſtantibus acie firma perueniri non valent. Ratione tertiæ etiam ſtellæ ſcintillare videntur, cùm potentia viſiua, præ nimia debilitate, radios fortiores in illam immiſſos ſufferre nequit, ex quo ſequitur hallucinatio, ſeù lucis alienatio, in potentia quidem verè, ſed in obiecto viſibili apparenter. Hinc infertur primò, quod ſtellæ fixæ omnes ſcintillare dicuntur ob nimiam diſtantiam à noſtris aſpectibus, & eò magis, quò viciniores Horizonti exiſtunt, propter maiorem copiam vaporum eò aſſurgentium, à quibus impediuntur radij lucidi, nè rectà ad noſtros obtutus peruenire poſſint, & etiam ob debilitatem potentiæ viſiuæ, quæ acie firma non valet corpora lucida in tam magna diſtantia contemplari. Infertur ſecundò, quod non tantùm ſtellæ fixæ, verùm nonnullæ ex Errantibus ſcintillare videntur, tùm ex diſtantia, ac debilitate potentiæ noſtræ viſiuæ; tùm etiam ex refractione radiorum debilium in medio, vt nonnulli Aſtrologi obſeruarunt in Mercurio, & Marte, & alij in Saturno, ac Ioue. Infertur tertiò, quod nec Sol, nec Luna ſcintillare valent, tùm quia Luna eſt proxima noſtris aſpectibus, tùm etiam, quia Sol, licet magis diſtet, quam Mercurius, tamen habet radios fortiſſimos, qui refrangi nequeunt in medio, verùm rectà ad nos perueniunt, adeout nec in ſe, nec in nobis, ob huiuſmodi cauſas ſcintillare, ſeù rutilare poſſint.

Ex his fit prima Concluſio. Sol, & Luna patiuntur deliquium, ac Ecclypſantur, hæc propriè, & ille impropriè, ſeù reſpectu noſtri aſpectus: eſt communis. Probatur prima pars, quia experientia patet, quod huiuſmodi luminaria aliquando priuantur lumine, pluſuè minus, ſed priuatio luminis in Sole, & Luna dicitur Ecclypſis, ſeù deliquium ex primo Not. ergo Sol, & Luna patiuntur deliquium lucis, & Ecclypſantur. Secunda pars probatur, quia Ecclypſis propria eſt priuatio luminis in tota terra, impropria verò eſt priuatio luminis reſpectu habitatorum vnius, vel alterius regionis, in ordine ad noſtrum aſpectum, & non in ſe, hoc eſt in corpore lucido, ſed Ecclypſis Lunæ importat lucis priuationem in ſe, & in tota terra, Ecclypſis verò Solis non dicit priuatio-

nem lucis in ſe, cùm ſit fons lucis, neque in tota terra, verum reſpectu vnius, aut alterius regionis, quandoquidem deliquiũ, quod paſſus fuit Sol tempore mortis Chriſti in vniuerſa terra, fuit miraculoſum, ergo Ecclypſis Lunæ eſt propria, Solis verò impropria. Maior, & Minor clareſcunt ex 1. Not. Aſſumptum verò communiter tenetur à Sanctis Patribus Chryſoſtomo, Hieronymo, Athanaſio, Gaudenrio, Thoma ad illa verba Matthæi. *Tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram*, quos referunt, ac ſequuntur Conimbric. lib. 2. cap. 6. q. 2. art. 4. de Cœlo.

Secunda Concluſio. Nullum Aſtrum, præter Solem, & Lunam, pati poteſt deliquium, aut Ecclypſari, aut Ecclypſare aliud. Probatur, quia nullum Aſtrum poteſt priuari, aut lumine Solis, aut proprio, nec ob interpoſitionem vmbræ terræ, nec alterius Aſtri, vt accidit in Sole, & Luna, ergo nullum Aſtrum præter Solem, & Lunam poterit Ecclypſari, aut Ecclypſare. Conſequentia tenet, quia omnis Ecclypſis accidit, vel per interpoſitionem vmbrę terræ, vel alterius Aſtri, vt adnotauimus in 1. Not. Antecedens probatur, nam vmbra terræ pertingere nequit ad maiorem altitudinem, quam ſit Mercurij, & Veneris, ſed hi Planetæ nequeunt Ecclypſari à Sole, ob inſufficientem diſtantiam ab eo, in qua conſiſtere non poteſt diameter viſualis vtriuſque cum Sole, ergo licet ob priorem rationem pati poſſent deliquium luminis, tamen non poterunt Ecclypſari propter inſufficientem diſtantiam ab eo. Neque ob hanc eandem rationem poterunt Ecclypſare corpus Solare; & quamuis poſſent illum reſpicere ex diametro, non ſequeretur deliquium in Sole quoad nos, cum non habeant proportionem ſenſibilem ad circulum eiuſdem Solis, ſiquidem circulus viſualis Solis habet tantùm proportionem centuplam ad circulum viſualem Veneris, & maiorem ad circulum viſualem Mercurij, ac proindè vterque occultabit duntaxat centeſimam partem corporis Solaris, quæ reſpectu noſtri, in tanta diſtantia, animaduerti non poterit, ergo quamuis poſſent ex diametro poni inter viſum noſtrũ, & Solem, non poſſent illum Ecclypſare, neque ab eo Ecclypſari, quin ſemper ſuo illuſtrentur lumine. Neque ob eaſdem rationes Aſtra ſupra Solem poterunt pati deliquium luminis Solaris, neque proprij, tùm quia non poſſunt ſe reſpicere mutuò ex diametro, ob inſufficientiam diſtantiæ cum Sole, aut cum alio Aſtro, vt exinde formari poſſint circuli viſuales oppoſiti; tùm etiam, quia nec vmbra terræ, nec alterius poterunt interponi ad occultandum lumen Solis, aut alterius Aſtri noſtro aſpectui, ergo concludendum eſt, quod nullum Aſtrum, præter Solem, & Lunam poſſit Ecclypſari, aut Ecclypſare aliud.

Tertia Concluſio. Omnia Aſtra Fixa ſcintillant, & illa maximè, quæ ſunt proximiora Horizonti. Probatur quia ſcintillatio oritur, & ob maximam diſtantiam à noſtris aſpectibus, & ob refractionem radiorum viſualium in medio, antequam ad nos perueniant, ex adnotatis in 3. Not. ſed Aſtra fixa valde diſtant à nobis, cùm ſint in octaua ſphæra, & quæ ſunt proximiora Horizonti, refrangunt radios in medio, priuſquam ad nos perueniant, ob copiam vaporum inibi exiſtentium, ergo omnia Aſtra fixa ſcintillant, & eò magis illa quæ ſunt Horizonti proximiora.

Quarta Concluſio. Nonnulli Planetæ interdùm viſi ſunt ſcintillare, vt Recentiores Aſtrologi obſeruarunt & eò minus, quò ſunt proximiores nobis. Probatur prima pars, quia aliqui Planetæ, vt ſuperiores Sole, magis diſtant à nobis, quam inferiores, ſed Mercurius, & Venus aliquando viſi ſunt ſcintillare, vt teſtatus eſt Simplicius cum alijs Recentioribus Aſtronomis, ſicut refert Serbellonus diſp. vnica de Cęlo q. 5. art. 1. §. 2. ergo multò magis hoc fateri debuerunt de ſuperioribus, vt nonnulli aſſerunt de Marte. Conſequentia tenet, quia Planetæ ſupra Solem exiſtentes, magis diſtant à nobis, quàm qui ſub eo collocati ſunt. Secunda pars probatur, quia vbi eſt minor refractio radiorum in medio, & minor reſiſtentia vaporum exiſtentium in eodem, ibi eſt minor ſcintillatio, vt patet ex dictis in 3. Not. ſed Planetæ proximiores nobis, cum ſint fortiores in ſuo lumine, magis reſiſtunt medio refrangenti, quam qui magis diſtant, ergo illi minus ſcintillant, quam iſti ſuperiores. Conſequentia liquet, tùm quia quò obiectum minùs diſtat, minor eſt refractio radiorum, vt experientia comprobatur; tùm etiam, quia

Digitized by Google

ideò Sol non ſcintillat, etiamſi minus diſtet ab Horizonte, vbi ſolet eſſe maior copia vaporum oppoſitorum, quia ob radiorum fortitudinem, nullam patitur reſiſtentiam medij refrangentis, ac proinde ibi non poteſt eſſe vlla ſcintillatio, ergo Planetæ inferiores, his de cauſis, minùs ſcintillare valent, quam ſuperiores.

Obijcitur primo contra primam Concluſionem. Si Luna pateretur deliquium à Sole, hoc maxime eſſet ob interpoſitionem terræ inter eos, ſed huiuſmodi ratio non valet, ergo falſum eſt, Lunam pati deliquium à Sole. Maior patet ex definitione Ecclypſis Lunaris. Minor probatur, quia vmbra terræ, vt fatentur Aſtrologi, ac Perſpectiui, pertingit ad altitudinem Mercurij, & Veneris, atqui hi duo Planetæ, ob huiuſmodi interpoſitionem vmbræ terræ, non patiuntur deliquium luminis Solaris, ergo nec Luna tale deliquium ſubire debet propter eandem cauſam.

Reſpondetur negando Minorem. Ad probationem concedimus vtique vmbram terræ aſcendere poſſe ad altitudinem Mercurij, ac Veneris, at negamus interponi poſſe inter huiuſmodi Planetas, ac Solem ob inſufficientem diſtantiam graduum, qua de cauſa nequit fieri oppoſitio radiorum viſualium adinuicem, & per conſequens nec per vmbram terræ impediri poterit Sol, quominus irradiare, & illuſtrare illos valeat.

Obijcitur ſecundò, quia Luna eſt minor Venere, ſed hæc non valet Ecclypſare Solem, vt dicunt Aſtrologi, ergo nec Luna poterit ipſum obſcurare.

Reſpondetur negando conſequentiam, ſiquidem Ecclypſis Solis non naſcitur ab oppoſitione maioris ſyderis inter ipſum, & aſpectum noſtrum; verũ duntaxat, quia inter illos reperitur tanta diſtantia, vt inter ea conſiſtere valeat circulus viſualis vnius ad alterum; cùm igitur inter Solem, & Venerem poſitam inter aſpectum noſtrum ad Solem non ſit ſufficiens diſtantia graduum, vt in ea formari poſſit circulus viſualis ad Solem, ſicut inter Solem, & Lunam, hinc fit, vt Luna, quamuis minor Venere, ſuo circulo viſuali ad noſtrũ aſpectum, appareat maior Sole, atque ſic illum nobis occultet, non autem Venus, etſi magnitudine illam excellat.

Obijcitur tertio contra tertiam & quartam Concluſionem, quia ſi Aſtra ſcintillarent, hoc maxime eſſet, vel ob diſtantiam radiorum ſtellarum fixarum à noſtra potentia viſiua, vel ob debilitatem eiuſdem, quæ operatur, vt appareat, quod non eſt, vel ob refractionem radiorum in medio, qua redditur tremula potentia viſiua, vel per agitationem medij, aut per motum continuum Aſtrorum in eo diſcurrentium, aut ventorum, & vaporum illud commouentium, quibus ſpecies radioſæ fiunt tremulæ; vel denique ex rapidiſsimo Orbium, & Cœlorum motu, ex quo videntur noſtris obtutibus cauſari ſpecies, quaſi fractę, ac tremulæ, ſed ex nulla iſtarum cauſarum oriri poteſt ſcintillatio in aſtris, ergo Aſtra, vel non ſcintillant, vel hucuſque ignoratur cauſa. Maior patet ex diuerſitate opinionum. Minor probatur; prima enim non ſufficit, alioquin Saturnus magis rutilaret, quam Mercurius, cum magis diſtet à nobis, quod tamen non aſſeritur: aut omnia Aſtra æqualiter ſcintillarent, quia æqualiter elongantur à nobis, & tamen vnum apparet magis rutilum, quam aliud. Nec ſecunda iuuat, quia maiorem difficultatem quiſquam experitur in viſione alicuius obiecti ſublunaris diſtantis, quam in viſione Aſtrorum, quæ facillime videntur propter lucem, & tamen non oritur ſcintillatio. Nec tertia mouet, nam omnes Planetæ ſcintillarent, cum eorum radij refrangantur in medio priuſquam ad nos perueniant. Neque faceſsit quarta per eandem rationem, ſiquidem omnes ſtellæ erratiuæ æqualiter ſcintillarent, quia æqualiter in earum diſcurſu commouetur medium, quod eſſe falſum docet experientia. Neque demùm quinta ſufficit, quia Saturnus velociùs mouetur, quam Mercurius, qua de cauſa magis ſcintillare deberet, & nihilominus oppoſitum aſtruitur ab Aſtronomis, ergo cum nulla iſtarum cauſarum ſufficiat, dicendum eſt, vel non ſcintillare Aſtra, vel cauſam ignorari.

Reſpondetur negando Minorem, ſic vniuerſaliter prolatam, ſiquidem diſtantia, imbecillitas potentiæ, & refractio radiorum viſualium in medio, valde conducunt ad ſcintillationem, vt ſupra oſtenſum fuit. Neque probationes in contrarium

Digitized by Google

allatæ quicquam officiunt, quandoquidem neganda eſt prima ratio de Mercurio, & Saturno, nam Saturnus magis rutilat, quamuis non ſic appateat ob imbecillitatem alicuius potentiæ viſiuæ, peruenire non valentis ad percipiendas ſpecies viſuales Saturni, ſicut Mercurij, qui non ita elongatur ab ea, ac proinde hic percipitur magis rutilare, quam ille ab ipſa potentia debili, non verò ab alia validioris virtutis, quia hæc magis rutilare Saturnum, quam Mercurium deptæhendet; quinimò hunc forſan minimè ſcintillare percipiet ob minorem diſtantiam radiorum viſualium in ſua fortitudine ad ipſam peruenientium. Neque alia probatio iuuat, ſiquidem Aſtra, quæ ſunt proximiora Horizonti minus diſtant, quam quæ ſupra verticem noſtrum ſita ſunt, & illa magis rutilant, ſi non ob maiorem diſtantiam, hoc tamen præſtant ob vaporum copiam inibi exiſtentium, à quibus refranguntur radij viſuales. Ad ſecundam rationem in oppoſitum concedimus quidem potentiam viſiuam interdum fatigari poſſe magis circa viſionem alicuius obiecti ſublunaris, quam alicuius Aſtri, poſiti in æquali diſtantia, & tamen hinc indè non oriri ſcintillationem, non ratione debilitatis potentiæ viſiuæ, quia ſupponitur æqualis, ſed propter defectum lucis in ſublunari, quæ neceſſariò exigitur in obiecto, quod ſcintillare debet. Ad tertiam negatur ſequela maioris, nam radij viſuales vnius Planetæ ſunt fortiores, quam alterius radij, vel ob maiorem copiam lucis, vt apparet in Sole; vel ob proximiorem diſtantiam medio, qua de cauſa, vel non refranguntur, vel non æqualiter in medio, & hinc ſequitur, aut quod non ſcintillent, vt Sol, & Luna, aut non æqualiter, vt in cæteris apparet. Ex his clarè infertur, quod non benè quidam ex noſtris infringere tentauerit cauſas ſcintillationis ab Ariſtotele, & Sectatoribus aſſignatas, & alias adduxerit, vel ratione motus, vel ratione maioris, aut minoris diſpoſitionis Aſtrorum viſibilium ab eodem Philoſopho ſatis reprobatas.

(†)

Vtrum Aſtra ſuo lumine, aut alia occulta vi influant in hæc inferiora?

QVÆSTIO IV.

Qvamuis de influxibus Cœlorum luculenter ſatis egerimus in 1. Meteorologicorum diſp. 1. q. 8. & in 2. diſp. 1. q. 2. & 3. & in hoc lib. 2. de Cœlo diſp. 1. q. 2. reſtringendo influxus ad potentias rationales, vt minus videretur neceſſarium de illis amplius diſſerere, nihilominus, quia in præſentiarum agimus de actionibus Aſtrorum, eorumque inſtrumentis, quibus cauſant calorē, frigus, & alias qualitates in his ſublunaribus, non erit abs re de eadem materia denuò pertractare, vt quaſi reliquias colligentes, nihil in tactum, quod faciat ad propoſitum, relinquere videamur.

Pro huius propoſiti intentione, ſupponendo, quæ alias obſeruauimus in præcitatis locis ex Doctore Subtili, nunc adnotandum eſt primo ex eiuſdem doctrina, vt colligitur in 2. d. 14. quæſt. 2. & 3. inſtrumenta, quibus Aſtra operantur in his inferioribus ſunt potiſſimum tria ſcilicet lumen, motus, & influentia. De duobus prioribus ſatis diximus in 1. Meteorologicorum diſp. 1. quæſt. 8. nunc dicendum de tertio. Eſt igitur influentia qualitas ſenſibus minimè perceptibilis, mirè, & occultè operans, corporaque ſine vlla reluctatione penetrans, à lumine, motuque diſtincta, quod non obſcurè deprehenditur, quia producitur frigiditas, & humiditas in his inferioribus, quarum neque lumen, neque motus eſt cauſa; ſiquidem vt docet Ariſtoteles libr. ſecundo de Cœlo t. 42. lumen, & motus ſunt cauſæ caloris, & ſiccitatis, ergo nequeunt frigiditatem, & humiditatem producere, nam ſecundum Ariſtotelem in ſecundo libr. de Gener. & Corrupt. contrariorum effectuum contrariæ ſunt cauſæ, igitur cùm nequeant aſſignari alia inſtrumenta, quibus ab Aſtris cauſentur huiuſmodi qualitates diſparatę in his ſublunaribus, concludendum eſt illas originari neceſſariò ab aliqua eorum occulta vi, quæ influentia dicitur. Neque valet dicere, frigiditatem priuatiuè à lumine oriri poſſe, ſiquidē effectus poſitiuus, cuiuſmodi eſt frigus expoſcit cauſam poſitiuam, quæ non erit

erit alia, quam influentia cæleſtis. Præterea cùm intra terræ viſcera generentur metalla, lapideſque prætioſi, quæ lumine nequaquam motuque attingi minime videntur, inferendum eſt, dari debere aliam cauſam inſtrumentalem ab eis diſtinctam, & hanc eſſe influentiam.

Secundo Notandum eſt ex eodem ibidem calorem à lumine, & motu æquiuoce gigni (ſiquidem calor à calore vniuoce producitur) & non alia de cauſa, niſi quia eſt talis naturæ, & virtutis, ſicut magneti ferrum attrahendi, & ſuccino paleam alliciendi vis inexiſtit. Neque valet, inſtare, quod multa, quæ lumen emittunt, calorem nequaquam producunt, vt Luna, adamas, aliæque gemmæ, ſiquidem falluntur potiſſimum de Luna, quia vt inquit Ariſtoteles, Luna penes ſui luminis intenſionem, & remiſſionem maiorem, minoremue calorem gignit: in plenilunio enim noctes calidiores exiſtunt, ac in ſui decremento: Similiter gemmæ vt pote remiſſum lumen habentes, exiguum calorem etiam, & ferè inſenſibilem emittunt. Inſuper motui attribuitur caloris productio, eſt enim rarefactiuus, & rarefactionem comitatur calor, quemadmodum frigus vi condenſandi pollet, & frigiditas condenſationem inſequitur: cæterùm cùm motus formaliter loquendo, ſit reſpectus, nullique reſpectui inſit virtus actiua, dicendum cum Doctore ſubtili ſub lit. L. Aſtra agere per motum in hæc inferiora, non quod motus virtute actiua valeat, ſed quia habet rationem applicationis illorum, quatenus per motum tali, vel tali modo applicata varios moliuntur effectus, aut quia per motum confricationis atteritur aer, & rareſit, ac proinde ad eius rarefactionem incenditur, & cauſatur calor, & ignis interdùm, vt aliàs notauimus cum Ariſtotele hic t.42. in Meteorolog. Diſp. 1. q. 7. & 8.

Tertio Notandum ex eodem Scoto ibidem loco nuperrimè citato, quod ſi Cęli à motu ceſſarent, futurum eſſet, vt aliquæ actiones cauſarum ſublunarium pariter ceſſarent; nam per Cęlorum motum diuerſimode applicantur adinuicem, ac ex varietate applicationis varij effectus prodeunt, non tamen ceſſarent omnes, motus locales alteratiui, & ad generationem conducentes inſulſum enim, & ridiculum profectò videretur, ſi quis diceret, lapidem magnum, poſitum in medio aeris, Cęlis gradum ſiſtentibus non poſſe deſcendere, aut aquam igni expoſitam non caleſcere, vel ignem paleæ bene diſpoſitæ applicatum non poſſe eam adurere Igitur etiamſi Cęli non mouerentur, poſſent nihilominus à cauſis inferioribus per multa produci. Enim verò ſi Sacris Codicibus fidem adhibere velimus, inueniemus, quod Sol ad imperium Ioſue moram eſt paſſus, & non propterea cauſarum inferiorum actiones ceſſarunt, immò ſicut à Iudæis prælium agebatur, ita ab alijs alij motus locales, alteratiui, & generatiui poterant haberi, quoniam Solis ſtatio dumtaxat miraculoſa fuit, reliquæ autem actiones abſque miraculo fiebant.

Ex his ſit prima Concluſio. Aſtra, ſiue fixa, ſiuè errantia varios immittunt influxus in hæc ſublunaria. Eſt Scoti in 2. d. 14. q. 3. D. Thom. d. 15. q. 1. D. Dyoniſij de Diu. Hom. cap. 4. & D. Auguſt. 13 de Trin. cap. 4. Probatur primo auctoritate Ariſt. in hoc ſecundo lib. de Cęlo à t. 41. & ſequentibus. 2. Probatur nàm longa experientia exploratum habemus, lumen à Sole effundi, caliditatem, ac ſiccitatem produci, eiuſque acceſſu, & receſſu, ſeruato ordine ad alias partes perpulchra varietate, quatuor anni tempora adduci, quorum viciſſitudine, nunc arbores ſolijs viduantur, nunc amiciuntur, tellus modò illas, modò alias ſegetes parit, ac denuo fæcundatur ſeminibus, de quibus alias diximus, vt idem abſque neceſſitate bis repetere, non ſolùm pudeat nos, ſed aliorum cenſura, & correctione dignos reddat tertio comprobatur à Scoto loco citato ſub A. Accedente enim Sole, & alijs ſtellis calidis ad Zenith alicuius regionis, elementa ſuperiora ſcilicet ignis, & aer augentur, & inferiora ſcilicet terra, & aqua minuuntur & conuertuntur in ſuperiora, & econuerſo recedente Sole, & accedentibus ſtellis effectiuè frigidis, vt Saturnus, & Mercurius accedit, accidit generatio elementorum aquæ, & terræ, quæ conuertunt in ſeipſis aliquid de ſuperioribus, & augentur tantumdem, vt in huiuſmodi generationibus, & corruptionibus fiat compenſatio, & æqualitas in eis, atqui huiuſmodi viciſſitudines non poſſent ſine actionibus aſtrorum fieri in his inferio-

ferio-

Digitized by Google

ferioribus, quia elementa non ſunt æqualiter actiua in ſemetipſis, ergo dicendum eſt illas fieri virtute agentium ſuperiorum, nempe aſtrorum.

Secunda Concluſio. **Aſtra quæcumque, tàm errantia, quàm non errantia habent actionem in mixta inanimata; tùm imperfecta, cuiuſmodi ſunt impreſſiones Meteorologicæ, tùm perfecta, vt ſunt mineralia, & cætera, quæ gignuntur in viſceribus terræ.** Eſt Scoti loco citato ſub E. F. G. Prima pars remanet ſufficientiſſimè comprobata in libris Meteorologicorum, in quibus omnium Mixtorum imperfectorum examinauimus naturas, & affectiones. Secunda pars ſuadetur, quia metalla, gemmæ, & cætera eiuſmodi expoſcunt determinatas cauſas, cùm non oriantur in omnibus terræ partibus, verùm in quibuſdam regionibus dumtaxat, vt experientia teſtatur, ſed huiuſmodi cauſæ nequeunt aſſignari præter aſtra, ergo aſtra agunt in illa. Minor probatur, quia ſi aliæ aſſignarentur cauſæ, maxime forent Elementa in quibus errata conſpiciuntur, (ſiquidem inter cauſas ſecundas particulares actiuas, nulla aſſignari poteſt, quæ proportionem habeat cum talibus effectis) atqui elementa ſunt imperfectiora talibus mixtis, cum ex illis conſtent, veluti ex partibus. ergo nequeunt eſſe illorum cauſæ productiuæ, ac proinde eorum cauſalitas refundenda eſt in virtutes aſtrorum occultas. Conſequentia iſta clareſcit, ſiquidem lumen, & motus, quibus vt inſtrumentis agunt corpora cæleſtia, penetrare non valent abſtruſas terræ partes, in quibus gignuntur mineralia, & lapides prætioſi, ergo ſolùm pendent ab occultis influentijs Aſtrorum.

Tertia Concluſio. **Aſtra influunt ad omnium viuentium productionem, diſponendo materiam, vt ſit apta ad recipiendam hanc, vel illam animam, vel vt talis, aut talis educi poſſit de illius potentia, non tamen ad vllius animæ, etiam animalium imperfectorum productionem eorum virtus pertingere poteſt.** Eſt Scoti ibidem ſub H. & in 2. d. 18. q. vn. quoad ſecundam partem, quam ex eo probauimus abunde in lib. 2. de Anima Diſp. 3. q. 6. ſect. 3. conc. 3. Prima pars probatur primo auctoritate Ariſtotelis 2. Phyſicorum t. 26. *Homo enim hominem generat, & Sol.* Deinde probatur ratione, quia Cęli, ex communi aſſenſu, habent virtutem productiuam diſpoſitionum ad fætus efformationem idonearum, vt docet etiam Ariſtoteles 2. de Gener. & Corrupt. t. 51. & experientia perlucidum eſt in diuerſis regionibus diuerſa animalia, variaſque plantas oriri, ac partus humanos ſub diuerſa conſtellatione productos, varias ſortiri propenſiones, dùm ſibi nonnulla aſtra nocua ſunt, vel propitia. Vnde hic pacis amicus, ille ad bellum propenſus, hic egregijs virtutibus ornatus, ille vitijs infectus, hic ad felicitatis augem euectus, ille infortunijs exagitatus. Et comprobatur ex *Doctrina* Aſtronomorum, qui tradunt vnumquemque Planetarum fætui ſingulis menſibus miro ordine aſſiſtere, *Saturnum* videlicet primo menſe, Iouem Secundo, Martem tertio, Solem quarto, Venerem quinto, Mercurium ſexto, Lunam ſeptimo, Saturnum octauo, & *Iouem nono*. Verùm octauum menſem enaſſenti, *vt plurimum* eſſe infauſtum, quippe infantem tunc editum ob frigiditatem, noxiamque Saturni influentiam de medio tolli enarrant, ergo ex his clare infertur Aſtra influxus ſuos præbere, ſaltem diſpoſitiue ad omnium viuentium productionem corporalem. An, & quomodo influere poſſint in animas rationales, & earum potentias iàm ſupra diſputauimus in hoc eodem lib. *Diſp.* 1. quæſt. 2.

Quarta Concluſio. **Agunt Aſtra multa ad infirmitates humanorum corporum, & alia conducunt ad Sanitatem eorundem.** Eſt Doctoris ſubtilis ibidem ſub *L.* Probatur nàm Aſtra, nonnullas qualitates, ad infirmitates diſponentes, augent, vt patet de cane, qui auget calorem, tempore quo Sol feruet in Leone, vt inde oriantur febres acutæ, de Arcturo, à quo frigus valde creſcit in perniciem corporum humanorum, qua de cauſa facilius diſponuntur ad putredines, & exinde ad febres quartanas: ſimiliter alia remittunt huiuſmodi qualitates nociuas, vel alias cauſant, diſpoſitiuas ad conſeruationem Sanitatis, vt patet in Sole, qui pro varia coniunctione cum ſignis Zodiaci, & de Luna, quæ pro diuerſa mutatione, & aſpectu ad alia aſtra, varios, ac multiplices effectus in noſtris

cor-

Digitized by Google

corporibus pariunt, modo ad infirmitates, & modo ad ſanitates diſponentes, vt quotidie experiuntur mortales, adeout ſi quiſpiam vellet negare huiuſmodi influentias, eſſet potiùs verberibus, quàm rationibus corrigendus, & arguendus. Hinc infert Scotus, conueniens, & neceſſarium eſſet, quod bonus Medicus haberet ſcientiam Aſtronomiæ, quia abſque tali cognitione, poſſet propinare aliquo tempore medicinam, quæ interficeret, quæ tamen alio tempore liberaret.

Obijciuntur tamen multa contra has concluſiones, & primo contra primam quia ad hoc, vt agens operetur debet eſſe approximatum paſſo, ſed Aſtra non ſunt approximata his inferioribus, ergo non agunt, influendo in hæc inferiora. Nec valet dicere eſſe approximata per ſuam virtutem licet non per ſuam entitatem, quia huiuſmodi virtutes deberent continere in ſe caliditatem, & frigiditatem, quæ vt vniantur cum his inferioribus, deberent ſubiectari prius, & pertranſire per ſpatia aliorum Planetarum, ſed Planetæ non ſunt capaces caliditatis, & frigiditatis, aut alterius qualitates ſenſibilis, ergo neque quoad virtutem approximari poſſunt, vt agant in hæc inferiora.

Reſpondetur negando minorem, vniuntur equidem Aſtra his inferioribus per ſuas virtutes, & influentias. Et cùm probatur, quod huiuſmodi virtutes deberent continere caliditatem, & frigiditatem, quarum ſunt incapacia corpora cæleſtia Planetarum inferiorum, quæ haberent pertranſire, antequam poſſent vniri cum his inferioribus, reſpondet Scotus loco citato ſub K, *quod non oportet medium receptiuum talium virtutum eſſe capax actionis ſecundum eandem, rationem cum extremo, in quo perfectè dicitur eſſe alteratio, ſed ſecundum aliam rationem huius actionis alterius rationis, puta ſub ratione luminis, cuius bene Cœlum eſt capax*, & per lumen cauſare caliditatem, & per influentias occultas friditatem, ac alias qualitates ſenſibiles, quibus poſtea agant alterando, aut generando in ſuis inferioribus prout exigit natura cuiuſcumque rei ſublunaris.

Obijcitur ſecundo quia ſi Aſtra agerent in hæc inferiora, tolleretur contingentia in his ſublunaribus, ſiquidem ſunt agentia naturalia, ac proindè determinata ad vnum tantum agendi modum atqui hoc eſſet maximum abſurdum, ergo melius dicendum eſt, quod non agant in hæc inferiora.

Reſpondet Doctor ſubtilis, quod circumſcripto omni libero arbitrio humano, angelico, & Diuino omnia euenirent de neceſſitate, & nulla eſſet contingentia, nullaque eſſet in entibus potentia ad contradictoria: cum igitur aſtra non agant ſaltem directè in potentias rationales, vt ſuperiùs probatur eſt Diſp. 1. q. 2. & directè ſolum in cauſas, & actiones naturales, ſupereſt vt de neceſſitate in has influant, & cum hoc ſeruetur contingentia reſpectu actionum potentiarum liberarum.

Obijcitur tertio nàm eſtò Planetæ agant in hæc inferiora, hoc tamen concedere minimè cogimur de ſtellis fixis, ergo concluſio prima ſic vniuerſaliter prolata ſuſtineri nequit Antecedens probatur, quia diuerſitas effectuum, quæ Solet attribui ſignis Zodiaci, ſaluari poteſt vel penes acceſſum, & receſſum Solis, vel per diuerſum aſpectum plurium Planetarum ratione motus, quem habent ad Zodiacum, aut per diuerſum ſitum Solis ad ſtellas fixas, ergo quamuis concedi poſſit influxus ſtellarum errantium nequaquam cogimur admittere influxum Aſtrorum non errantium.

Reſpondetur negando antecedens, ſiquidem nomine Aſtrorum veniunt potiſſimum non errantes ſtellæ, vt non obſcurè depræhendi poteſt ex Sacro Codice Gen. cap. 1. vbi diſtinctas ab errantibus, nominat Moyſes dicens: *Fecitque Deus duo luminaria magna ideſt Solem, & Lunam, luminare maius, vt præeſſet diei, & luminare minus, vt præeſſet nocti, & ſtellas, & poſuit eas in firmamento Cœli, vt lucerent ſuper terram, & præeſſent diei, ac nocti, & diuiderent lucem, ac tenebras.* Cùm igitur omnia Aſtra cùm errantia, tùm non errantia poſuerit. Deus in Cœlis, vt effunderent ſuam lucem ſuper terram, & ſuis influxibus præeſſent diei, ac nocti, in quibus fiunt alterationes, generationes, & corruptiones in his ſublunaribus, non eſt cur errantibus concedere, & non errantibus influxus denegare debeamus abſque iniuria conditoris. Ad probationem

Digitized by Google

tionem negatur antecedens de omnibus effectibus vniuerſaliter loquendo, quinimo per variam coniunctionem Planetarum cum ſignis Zodiaci, varij moliuntur effectus in his inferioribus, quos Planetæ non cauſarent, ſi ſeorſim ab eis operari deberent, vt adnotarunt Aſtrologi, igitur falsò aſſumitur illud ſupplementum propter varios aſpectus, acceſſus, & receſſus erga Aſtra non errantia, vt proprijs influxibus illa viduare poſſint.

Vtrum Aſtra proprijs moueantur motibus?

QVÆSTIO V.

Circa hanc quæſtionem varia ſunt doctorum placita, vt obſeruarunt nonnulli Recentiores; nàm aliqui, cùm docuerint omnes Cęlos eſſe fluidos, & liquidos, ad inſtar aeris, & aquæ, ſuſtinent Aſtra errare, ac vagari per eorum regiones, vt aues in aere, ac piſces in aqua. Ita ex Antiquis Plato in Timæo, Cicero l. 2. de Natura Deorum, Seneca lib. 7. Naturali quæſtionum, quos ſequuti ſunt ex recentioribus Timplerus de ſtellis cap. 3. Probl. 1. Tyco Brahio, & ex PP. Origenes lib. 5. contra Celſum cap. 7. Iuſtinus Martyr in Reſpons ad q. 93. Orthodos. Chryſoſthomus hom. 6. & 13. in Geneſ. ac hom. 12. ad Popul. Antiochenum & Arabes pręcipui, nempe Ptolomeus, & Alpharagius apud Timplerum loco citato.

Alij diſtinguentes inter Aſtra errantia, & inerrantia, cenſuerunt hæc infixa eſſe Firmamento, vt potè ſolido, & moueri duntaxat ad illius motum, illa verò per liquidos Orbes Orbis ferri, & moueri, ſicut aues in aere & piſces in aqua. Ita nonnulli ex Recentioribus, quos ſequuti ſunt ſerbelonus de Cęlo diſp. vn. q. 2. att. 4. §. 62. vſque ad 72. ac Aſtrologi Moderni.

Alij demùm ſequentes Ariſtotelem in hoc ſecundo lib. à t. 43 vſque ad 52. docent omnes Cęlos eſſe ſolidos, ac Aſtra in eis infixa, ſiuè errantia, ſiuè inerrantia moueri tantum ad eorundem motus. Sic Ioſeph. lib. 1. Antiquit. Iudaicarum, Philo Iudæus lib. 1. de Gigantibus. Scotus in 2. d. 14. q. 2. ſub A. Conimbric. lib. 2. de Cęlo cap. 8. q. 1. Ruuius cap. 12. q. 1. Roccus q. 16. Maſtrinus diſp. 2. q. 4. att. 1. n. 128. Comptonus diſp. 1. de Natura Cęli ſect. 3. & 4. vbi affert multos Sanctos Patres ſuſtinentes hanc eamdem opinionem.

Pro cuius firmiori fundamento, ac clariori reſolutione huius quæſtionis, primo notanda & huc reuocanda ſunt ea quę animaduertimus in primo lib. de Cęlo diſp. 2. q. 4. pro ſtabilienda omnium Cęlorum ſoliditate, ac eliminanda Planetarum orbium fluiditate, & in hoc ſecundo lib. diſp. 2. q. 1. vbi oſtēdimus quod omnia Aſtra ſint eiuſdem rationis ſpecifice, ac numerice cum ſuis orbibus, quibus in fixa manent; quandoquidē ſicut ex priori doctrina neceſſario inferre debemus, Aſtra non poſſe vagari per regiones Cęlorum, vt aues in aere, & piſces in aqua, ita ex poſteriori concludendum eſt, Aſtra eſſe partes integrales homogeneas ſuorum Cælorum, ac eiſdem ſic firmiter affixas, vt cieri non poſſent ſine illis, quemadmodum nec partis integrales homogeneæ abſque ſuis totis, ex quibus componuntur; vt exinde veritatem eruamus, quod omnia Aſtra de neceſſitate moueri debeant ad motum ſuorum Orbium, & nulla ſine illis.

Secundò Notandum eſt, ex Doctore ſubtili in 2. d. 14. q. 2. ac ex alias notatis ad hoc propoſitum, Aſtra errantia, & inerrantia conuenire, & abinuicem differre. Conueniunt quidem quia omnia ſunt affixa ſuis orbibus; hæc vni Cęlo duntaxat ſcilicet Firmamento, quod & Cęlum ſtellatum appellatur, illa verò ſeptem Cęlis, qui Planetarum Orbes dicuntur, quandoquidem omnes Cęli ſunt ſubſtantiæ ſolidæ, & horum partes denſiores ſunt Aſtra, ſiue errantia ſint, ſiue inerrantia. Differunt verò, quia inerrantia Aſtra ſunt ita affixa ſuo Cęlo, vt ſeruent ſemper eandem diſtantiam ſecundum ſitum, & figuram, qua de cauſa fixa appellantur ab Aſtronomis. Errantia verò nec ſeruant ſemper eandem diſtantiam ad ſe inuicem, neque ad aſtra fixa, & hoc propter difformitatem motuum Cęlorum, quibus affixa exiſtunt; enim verò, cùm hi moueantur ſecundum diuerſam velocitatem, modò maiorem, modò minorem, penes ſitum, & magnitudinem maiorem, & minorem, accidit, vt aſtra, eiſdem infixa ſint magis, & minus diſtantia, non ſolum ad ſe inuicem, ſed

etiam

Digitized by Google

etiam ad ſtellas fixas, & ad terram, hoc eſt ad centrum terræ, circa quod circulariter voluuntur ſecundo differunt, quia aſtra inerrantia, ſparſim ſunt infixa per totam planitiem Cęli, (qua de cauſa forſan ab Aſtronomis, octauum Cęlum *Aplanes* vocitatur) Aſtra autem errantia in vna ſui Cęli parte, quæ deferens ab eis nominatur, ex eo, quod Planetam deferat, ſingula ſunt immobiliter affixa: imaginantur enim in quouis Planetarum Cęlo, adeſſe tres circulos, quorum duo Reuoluentes, & tertius inter eos poſitus deferens appellantur cum hoc diſcrimine, vt duo Reuoluentes eccentrici, ideſt extra centrum mundi, quoad vtramque ſuperficiem, concauam, & conuexam, deferens verò eſt quidem excentricus terræ, concentricus autem illis duabus ſuperficiebus deferentibus, ita quod illi duo reuoluentes ad quamcunque partem moueantur non ſequitur vacuum; ſemper enim ſpiſſior pars vnius eſt contra partem minus ſpiſſam alterius, & econuerſo; ſimiliter qualitercumque moueatur deferens inter iſtos duos Reuoluentes, ſuperiorem, & inferiorem, ex motione eius non ſequitur vacuum, neque ſciſſio, quia ſuperficies huius ſunt ambæ concentricæ ſuperficiebus, inter quas continetur, & mouetur. Hinc ſequitur, quod aſtrum fixum in vna parte illius deferentis, quandoque erit in Auge, quando ſcilicet illa pars deferentis, in qua eſt, directè ſupponitur ſpiſſiori parti inferioris reuoluentis, & ſupponitur parti minus ſpiſſæ ſuperioris reuoluentis, quia tunc maximè diſtabit à centro terræ, erit autem in oppoſito Augis, quando illa pars circuli deferentis, in qua fixum eſt Aſtrum, ſuper ponitur parti tenuiſſimæ inferioris reuoluentis, & ſupponetur ſpeſſiſſimæ parti ſuperioris reuoluentis, quia tūc minime diſtabit à centro terræ; vt clarius apparere poterit cuilibet inſpicienti figuram apud Doctorem delineatam.

Tertio Notandum eſt ex eodem ibidem, quod ad ſaluandas varias Planetarum apparentias, quas afferre ſolent Aſtrologi Moderni in aſtruenda opinione de fluiditate Cęlorum, opus erit addere alios circulos reuoluentes cum ſuis deferentibus, & forſan epicijclos, in quibus fixa ſint Aſtra errantia, nàm cum Mercurius habeat deferens, cuius centrum moueatur, & non circa terram, verum ex vna parte deſcribendo circulum paruum, ſicut patet in Almageſto Ptolomæi diſt.9. à cap. 7. vſque ad 11. Sequitur quod circulus Deferens non ſit concentricus reuoluentibus ſupremo, & infimo, & ideò neceſſe eſt ponere ad minus quinque circulos, quorum quatuor ſint reuoluentes, & quintus deferens, vt apparet in alia figura apud eundem, & præter iſtos neceſſe eſt etiam ponere epicijclos, qui non ſint orbes circundantes terrā, ſed parui circuli in determinata parte orbium circumdantium terram, & hoc, quia maior eſt eleuatio aſtri tunc, quàm aliàs, quæ ſaluari non poſſet eſſe ex ſolo diferente vt aliàs obſeruauimus in ſupra relatis quęſtionibus.

Quarto Notandum eſt ex Ariſtotele hic in t.48. latam eſſe differentiam inter motū conuerſionis, ſeù vertiginis, & motum volutationis, ſiue rotationis, quibus moueri poteſt corpus ſphericū, cuiuſmodi eſt quodlibet aſtrum: Nàm motus conuerſionis eſt quo mobile mouetur in orbē, abſque mutatione loci, & ad eandem partem, qualis eſt motus molę molitorię, cùm aquę impulſu in gyrum cietur. Motùs autem volutationis eſt, qui fit pariter in orbem, cum mutatione ſitus totius mobilis, qualis motus pilę, ſeù alterius corporis perfectè sphęrici, quando voluitur, ſeù volutatur ſuper corpore perfectè plano, ſiquidem ſecundum omnes ſui partes, in tali mutatione loci, videtur. Ex his infert Ariſtoteles, Aſtra non cieri proprio motu, ab eo quo mouentur ſui orbes, diſtincto: quandoquidem, cùm ſint corpora ſphęrica, haberent moueri altero horum motuum, quod tamen eſſe falſum manifeſtè conſpicitur, mutant enim locum, cùm modo in Oriente, modò in Occidente, aut Septentrione, vel meridie appareant, ac ſemper conſpiciantur ab eadem facie, vt patet de Luna, cuius imago maculoſa videtur, etſi appareat in diuerſis partibus Cœli, igitur concludendum erit, non moueri aliquo motu diſtincto à motu ſuorum Orbium, ſed vnumquodque cieri, ac ferri ad lationem ſui orbis.

Ex his ſit prima Concluſio. Aſtra omnia, quę ſunt in octaua ſphęra, quęque inerrantia vocantur ab Aſtrologis, mouentur dum-

dumtaxat motu illius Sphæræ. Eſt Scoti in 2. d.14.q. 2. ſub A. & communis. Probatur, quia ex conſenſu omnium Aſtronomorum ſydera inerrantia ſeruant ſemper eandem diſtantiam inter ſe, eundem ſitum, & figuram, ergo nullo motu cientur proprio, & nihilominus mouentur ab Oriente ad Occaſum, & econuersò ſicut ferri dignoſcitur firmamentum, in quo ſita ſunt, igitur dicendum eſt, eà huius motu tantum cieri. Conſequentia maioris tenet, ſiquidem ex eo, quod ſeruant eamdem diſtantiam, & eundem ſitum excluditur ab eis motus volutationis, & ex eo, quod appareant modo in Oriente, & modò in Occidente, ac econuersò aufertur ab illis motus conuerſionis, & ſubijciuntur alteri motui non proprio, & non niſi illi, quo mouetur eorum Orbis, ergo ſydera, ſiue Aſtra inerrantia nullo alio cientur motu, quàm ſui Orbis.

Secunda Concluſio. Aſtra errantia, cuiuſmodi ſunt Planetæ, mouentur tantum ad motum ſuorum Orbium. Eſt eiuſdem Doctoris ibidem, ac primum Ariſtotelis à t. 43. & ſequentibus, à quo illam deſumpſit. Probatur, quia ſi Aſtra mouerentur immoto Cęlo, & ad aliam partem, in qua eſt, commearet, vel ſibi nihil ſuccederet, vel aliquid aliud: ſi detur primum, tunc ſequeretur vacuum à quo abhorret natura ſi ſecundum admittatur, tunc ſequeretur, quod vel Cęlum illud eſſet rarefactibile, & condenſabile: vel poſſet ſcindi, ac iterum continuari: aut ſi nullum horum admittatur, ſicut nec admitti debet, ſequeretur ſaltem, quod ſtella mota eſſet ſemper ſimul cum alio corpore mouente, atqui hæc omnia eſſent multum abſurda in natura, ergo meliùs dicendum eſt, quod nullum Aſtrum moueatur immoto ſuo Cęlo cum eo: Conſequentiæ omnes ſunt manifeſtæ, quandoquidem Aſtra ſunt corpora ſolida, quæ occupant locum, & ſpatium, in quibus exiſtunt, igitur ſi ad vnius tranſitum à ſuo loco, nihil aliud ſuccederet, huiuſmodi locus remaneret vacuus, & ita daretur vacuum naturaliter. Similiter ſi aliquod aſtrum aliò ſe transferet, & non ſuccederet aliud corpus impleturum illius loci, vt ne ſit vacuum, deberet condenſari ad inſtar aeris, a quo abſceſſit aliquod corpus, & ſic eſſet rareſactibile, & condenſabile. Deinde ſi neque detur rarefactio, & condenſatio, ex eo, quod ſint corpora ſolida, & tamen vnum aſtrum migraret ad aliud Cęlum, hoc non poſſet accidere abſque illius ſciſſione, & poſt eius receſſum continuatione: & demum ſi aſtrum eſſet ſemper cum corpore mouente & tamen moueretur motu proprio, tunc duo corpora eſſent ſimul in eodem loco, quæ omnia ſunt abſurda in philoſophia. Minor probatur, quia omnia hæc illata faciunt Cęlos corruptibiles, & alterabiles contra illorum naturam, vt probat Ariſtoteles in primo de Cęlo à t. 20. & ſequentibus, ergo dicendum eſt, nec Aſtra errantia moueri, niſi ad motus ſuorum Orbium ſecundo probatur, nam Aſtra errantia ſunt partes integrales, homogeneæ, & eiuſdem naturæ ſpecificè, ac numericè cùm ſuis Orbibus; ergo implicat vt alio moueantur motu locali, quàm ſuorum Orbium Antecedens fuit probatum ſuperiùs in hac eadem Diſp. 2. q. 1. Conſequentia tenet, quia partes homogeneæ, ſicut ſunt continuæ in toto, ſic ſolum moueri poſſunt ad motum totius tertio probatur, quia corpora ſphærica, aut mouentur conuerſione, aut volutatione, tanquam proprijs motibus, ſed Aſtra errantia ſunt corpora ſphærica, quæ tamen neutro horum motuum moueri poſſunt, vt oſtendimus tertio Norab. ergo cum moueantur, nonniſi alieno motu, ideſt ſuorum Orbium moueri debent.

Obijcitur tamen multipliciter contra has duas Concluſiones ſimul, & primo ex Sacra Scriptura nàm nullibi reperitur, motum eſſe attributum Cęlis, paſſim verò ſtellis, quandoquidem Sol dicitur oriri, & occidere; exire ad inſtar ſponſi de thalamo ſuo, ab extremitate Cęlorum prodire; ſubſiſtere, & ſtare ſimul cum Luna, neque feſtinare ad occaſum, ſimilia dicuntur de ſtellis fixis, nempe de Hyadis, Pleiadis, Orione, Arcturo, & comitibus, ergo ſignum eſt, quod ſtellæ, & Aſtra, tàm errantia, quàm inerrantia à ſe moueantur, & non Cęli cum ipſis.

Reſpondetur negando conſequentiam: neque ſcripturæ allatæ excludunt Cęlorum motus, licet videantur attribuere motum duntaxat Aſtris; ſiquidem cùm hæc ſint partes integrales Cęlorum, eiſque affixæ inſeparabiliter implicat illa moueri ſeiun-

ctim

ctim à ſuis totis. Et quamuis dicantur moueri ſolùm Aſtra, vt partes nobiliores orbium, non propterea debent excludi aliæ partes, quæ illis ſunt continuæ, quemadmodum non excluderetur motus nauis, licet quis diceret Paulum iter feciſſe cum Barnaba versùs Cyprum, & inde mouiſſe greſſus ad alias partes in eadem naui.

Obijcitur ſecundo quia Planetæ inter ſe nunc coniunctionem ſubeunt, nunc oppoſitionem patiuntur, nunc altius in Cælum conſcendunt, nunc humilius ad terram ſe demittunt, nunc ante, vel retro, nunc ad dexteram, aut ſiniſtram feruntur, ſed hæc omnia non poſſent eis accidere, ſi per ſe, & abſque orbibus non mouerentur, alioquin, aut daretur vacuum, aut penetratio, aut ſciſſio Cælorum, quæ forent abſurda in natura, ergo conſultiùs dicendum eſt Planetas moueri per ſe, & non ad motus ſuorum orbium.

Reſpondetur negando minorem, ſiquidem huiuſmodi mutationes Planetæ ſubire valent in ſuis orbibus, & epicijclis cum ſint excentrici Terræ, & Mundo, & hoc abſque timore, vel vacui, vel penetrationis, aut ſciſſionis, vt ſupra probatum eſt cum Doctore ſubtili in ſecundo Not. & in primo huius operis in quæſt. de ſoliditate Cælorum.

Obijcitur tertio contra reſponſionem, nàm cùm Veneris maxima elongatio veſpertina à Sole ſit graduum 46. ſi matutina verò grad. 49. 9. ex Argoli Pandos. Sphær. & receſſus Mercurij à Sole in ſua maxima digreſſione ſit grad. 29. nequit explicari quomodo per epicijclos id fieri poſſit abſque penetratione Orbis ſolaris, aut quod tales epicijcli non ſe impediant cum Epicijclo Solis in talibus receſſibus, & acceſſibus, ergo vt non ſequantur huiuſmodi inconuenientia, dicendum eſt melius, & Cœlos eſſe fluidos, & quod Planetæ moueantur per ſe.

Reſpondetur negando conſequentiam; nec diſcurſus factus in antecedente mouere debet, quandoquidem Venus, & Mercurius cum moueantur in ſuis Epicijclis, ſitis in ſuis deferentibus, medijs inter duos reuoluentes, ac interdum inter quatuor excentricos, egrediantùrque è linea Ecclijptica ſex gradibus aſcendendo, & ſex alijs deſcendendo, non eſt mirum quin elongari, & recedere poſſint à Sole tot gradibus & hoc etiam abſque penetratione Orbis Solaris, vel impedimento Epicijclorum Veneris, & Mercurij cum Equicijclo ſolari, quia Sol non habet Epicijclum, cùm moueatur ſemper ſub Eclijptica, vel prope eam, & nunquam Egrediatur ab ea, vt videtur ſupponi in argumento, & motus Epicijclorum cum ſuis planetis inter circulos reuoluentes encentricos quocunque ſe vertant, ſaluat orbes ne ſcindi valeant, ac ne inter motum vnius per acceſſum, vel receſſum poſſit ſequi vacuum, vt explicuimus cum Scoto ſupra in tertio Not. & clariùs videri poteſt in figura ab eodem allata.

Obijcitur quarto quia cuilibet corpori naturali correſpondet proprius motus, diſtinctus à quocunque alio, ſed Aſtra ſunt corpora naturalia diſtincta à ſuis orbibus ergo &c.

Reſpondetur minorem eſſe falſam, ſiquidem ſunt partes deuſiores ſuorum Orbium, vt ſupra oſtendimus in quæſt. 1. huius Diſp. quæ tamen ſi poſſent ſeparari, & habere eſſe ſubſiſtentiæ, non eſſet eis denegandus proprius motus, quia ſic forent corpora naturalia ſimplicia, vt ſunt orbes, quorum nunc ſunt partes habentes tantum in eis eſſe exiſtentiæ, vt potè partes continui.

Vtrum Aſtra ſint Sphaericæ Figuræ?

QVÆSTIO VI.

Ab huius quæſtionis exagitatione poteramus equidem abſtinere, quippequæ videtur ſufficienter pertractata, ac ſoluta in duabus quæſtionibus ſupra diſcuſſis; quandoquidem cùm Diſp. 1. q. 4. huius libri concluſerimus Cœlum eſſe Sphæricæ figuræ, & Diſp. 2. q. 1. ſat ſuperque probauerimus omnia aſtra tam inerrantia, quàm errantia eſſe eiuſdem naturæ cum ſuis Orbibus, ac Cœlis, inferenda eſt violenta concluſio, quod etiam Aſtra ſortiri debeant eaſdem affectiones, quas poſſident orbes Cœleſtes, quibus ſunt affixa inſeparabiliter. Nihilominus, quoniam Ariſtoteles non eſt veritus oſtendere ſeiunctim, & figuram Cœli, & Aſtrorum ex diuerſis cauſis, non erit abs re, ſi non quoque eandem

dem

dem aggrediemur prouinciam, diſcutiendo denuò alijs rationibus, quod etiam ſufficienter reſolutum, ac comprobatum exiſtit.

Pro cuius maiori, ac meliori notitia, & euidentia, præter ea, quæ ſupra in præcitatis locis obſeruauimus, primò notandum eſt, ſphæram, & orbem, ſiue ſphæricum, & orbiculare, vt ad præſens ſpectat, pro eodem ſumi, quæ tamen poſſunt tripliciter attendi. Primo pro quadam Cęli parte, circulariter mobili, non ſeparata à toto, nec ſuppoſitaliter exiſtente, & ſic quodlibet Aſtrum infixum ſuo Orbi, & cum eodem circulariter mobile, vel circa centrum Mundi, vt ſunt aſtra erratia aliqua, & omnia inerrantia, vel circa proprium centrum, cuiuſmodi ſunt alia ex Planetis, poteſt dici orbis, ac ſphæra. Secundo pro corpore circulari ſuppoſitaliter exiſtente, ſiue in ſuo m tu ſit concentricum ſiue eccentricum Mundo, & ſic ſphæra Solis poteſt dici tripliciter orbis, quippequæ continet tres circulos, ſiue orbes partiales, quorum medius dicitur Deferens, eoquia diſert Solem, eccentricus, & duo alij eccentrici illum includentes, eccentrici, & concentrici, vt in præcedenti quæſtione declarauimus ex Doctore ſubtili. Tertio denique capitur, & attenditur pro orbe, ſiue corpore circulari ſuppoſitanter exiſtenti, concentrico Mundi, & ſic includit, nedùm aſtra inerrantia, verùm & errantia cùm ſuis orbibus, ſeù circulis neceſſarijs ad ſaluandum motum vnius Planetæ. Ad propoſitum hic non ſumitur ſphæra, & orbis ſecundo, & tertio modo, quia certum eſt, eſſe corpora ſphærica, à ſeinuicem realiter diſtincta, omnes Cęlos, ſed tantùm primo modo, quia cùm non ſint corpora per ſe exiſtentia, verùm partes corporibus prædictis adhærentes, meritò ambigi, & dubitari poteſt, an mereantur nomenclaturam ſphæræ, & orbis, ſiue ſphæricæ, & orbicularis figuræ.

Secundo Notandum eſt etiam ex aliàs obſeruatis, aliquod corpus dici ſphæricum, poſſe contingere dupliciter, vno modo ſumendo ſphæricum preſſe, nimirum pro corpore rotundo pleno, vnica ſuperficie contento; alio modo accipiendo ſphæricum large, nempe pro corpore vacuo, duabus ſuperficiebus clauſo, nimirum concaua, & conuexa, & ſic ſphæricum conuertitur cum orbiculari, & circulari; modò cum dicimus aſtra eſſe corpora ſphærica, non accipimus ſphericum primo modo, quia ſic clarum eſt non eſſe figuræ ſphæricæ, cùm ſint corpora affixa ſuis orbibus inſeparabiliter, quæ nequeunt nobis oſtendere plures facies ſecundum volutationem, vt accidit in corpore perfecte ſphærico, vt apparet in pilo lapidea ſuper plano voluta, ſed accipimus ſphæricum ſecundo modo pro orbiculari, ſeù circulari, cùm moueantur in gyrum vna cum ſuis orbibus, vel circa cētrum Mundi, vel *ſibi proprium*, vt aliàs dictum fuit. Cæterùm cùm motus ſit actus mobilis, & eiuſdem affectio intrinſeca, vt docuit Ariſtoteles pluribus in locis ſuæ Doctrinæ, inferendum eſt, quod ſi motus, quo cientur Aſtra ſit ſphæricus, & circularis; (verſatur enim circa medium) quod etiam Aſtra, quæ circa medium mouentur, debent eſſe circularia, & ita figuræ ſphæricæ.

Tertiò Notandum eſt, ex eodem Ariſtotele hic t. 59. & antea à t. 48. & ſequentibus, quod Aſtra ſunt eiuſdem naturæ cum orbibus, à quibus educuntur, & inter ſe comparata, quare ſicut ex natura ſphærica Cęlorum licet inferre naturam Aſtrorum etiam ſphæricam eſſe, ſic etiam ex figura vnius aſtri, neceſſariò concludendum eſt, omnia aſtra fore eiuſdem conditionis; cùm igitur experientia conſtet, *Lunam eſſe figuræ ſphæricæ*, ſiquidem apparet nobis eius facies arcualis, & circularis, idem dicendum erit de cæteris Aſtris, cùm errantibus, tùm inerrantibus, alioquin non eſſent eiuſdem naturæ inter ſe, & cum ſuis Cęlis, quibus infixa manent, quod hic ſupponitur ab eodem Ariſtotele in t. 59. & nos cum eodem pariter probauimus ſupra in hac eadem Diſputatione ſecunda quæſtione prima. Siquidem ſi de ſimilibus idem eſt iudicium, multò magis de iiſdem idem iudicium facere poſſumus.

Ex his ſit Concluſio. Aſtra quæcumque, tàm errantia, quàm inerrantia ſunt figuræ ſphæricæ, non preſſe, ſed large ſumendo ſphæricum. Eſt Ariſtotelis hic à t. 48. vſque ad t. 59. incluſiue. Probatur prima pars, quia corpus ſphæricum preſſe ſumptum eſt corpus rotundum, plenum, & vna tantum ſuperficie contentum ex Mathema-

thema-

Digitized by Google

thematicis, ſed Aſtra non ſunt huiuſmodi, ergo &c. Minor probatur, quia corpus ſphæricum voluitur ſuper plano, & plures oſtendit facies, vt experientia comprobari poteſt, ſed Aſtra non voluuntur, verùm ſemper eandem faciem nobis oſtendunt, vt patet de Luna, & Sole, ergo Aſtra non ſunt corpora ſphærica, ſi ſphæricum præſsè ſumatur. Secunda Pars probatur, tùm quia Aſtra ſunt eiuſdem naturæ cum ſuis orbibus; tùm quia mouentur ad motum ſuorum Orbium, ergo cùm Orbes ſint figuræ ſphæricæ, hoc eſt, circularis, & circulariter moueantur, idem dicendum eſt de omnibus Aſtris: tùm denique, quia vnum Aſtrum apparet euidenter eſſe figuræ ſphæricæ, largè ſumendo ſphæricum, ergo idem iudicium ſumendum eſt de cæteris. Antecedens eſt manifeſtum de Luna, quæ quomodolibet conſpiciatur, ſiuè plena, ſiuè ſemiplena, ſinè in nouilunio, ſiuè in ſui decremento, ſemper oſtendit eandem faciem circualem, vel arcualem, quæ indicat figuram ſphæricam largè ſumptam. Conſequentia patet, ſiquidem omnia Aſtra ſunt eiuſdem rationis ſpecificæ, vt probatum eſt ſupra in quæſt. 1. huius diſputationis, ergo affectiones formales, quæ conſequuntur vnum, & cætera comitari debent, ac proindè omnia cenſenda ſunt eiuſdem figuræ, ſicut Aſtrum Lunæ.

Obijcitur primò contra Concluſionem, quia affectiones externæ Aſtrorum pendent ab internis eorundem, ſed internæ ſunt alterius rationis ſpecificè, ergo & ſic erunt externæ, ac proindè non ſequitur, quod ſi vnum Aſtrum ſit figuræ ſphæricæ idem iudicium de cæteris fieri debeat. Maior patet, quia paſſiones externæ profluunt ab internis, & omnes oriuntur ab eadem forma ſubſtantiali, quæ ab eis indicatur à poſteriori: figura namque hominis, ideò diſcriminatur ab Aſini, vel Equi figura, quia virtutes, & animæ, in huiuſmodi figuras influentes, differunt eſſentialiter ab inuicem. Minor probatur, quia quædam Aſtra influunt in hæc inferiora caliditatem, quædam frigiditatem, quædam humiditatem, quędam ſiccitatem, quædam amicitias, & quędam inimicitias, & ſic de cæteris, quę omnia, cum ſint effectus differentes ſpecie, indicant in illis virtutes ſpecie differentes.

Reſpondetur negando Minorem. Ad probationem, concesſo antecedenti, negatur conſequentia, ſiquidem huiuſmodi accidentia, cùm ſint communia, & non propria, nequeunt indicare cauſas vniuerſales, cuiuſmodi ſunt Aſtra, alterius rationis ſpecificæ, quinimò ab vna, & eadem virtute prouenire effectus diſparati, nedùm poſſunt, verùm etiam de facto prodeunt, vt patet in Sole, qui ſua virtute producit effectus diſparatos, & contrarios forſan, licet non vi luminis, ſed per influentias virtuales, quas poſſidere credimus nonnulla, ſi non omnia Aſtra.

Obijcitur ſecũdò quodlibet corpus ſphęricum moueri debet circa proprium centrum, ſed Aſtra fixa non ſic mouentur, ergo non ſunt corpora ſphærica. Maior patet, nam corpora ſphærica ſunt circularia, quæ mouentur circa medium, & non ad medium, ſed medium, & centrum ſunt idem, vt docet Ariſtoteles pluribus in locis, ergo &c. Minor ſimiliter, quia cùm ſint omnia affixa vni Orbi, nempe Cœlo octauo, non habent centrum proprium pro medio ſui motus, ergo &c.

Reſpondetur maiorem eſſe veram de corpore ſphærico ſuppoſitaliter exiſtente, cuiuſmodi ſunt omnes Orbes, non autem de corpore ſphærico, exiſtente in alio, veluti pars in ſuo toto, qualia ſunt omnia Aſtra, ſiuè errantia, ſiuè inerrantia; ſiquidem cum ſint affixa ſuis Orbibus, & moueantur duntaxat motu ſuorum Orbium, non egent proprio centro; cientur enim circa centrum ſuorum Orbium.

De Terra, eiuſque affectionibus, & figura.

SVMMA IV.

HÆc eſt Summa quarta, & vltima huius ſecundi libri de Cęlo, & Mundo, in qua Ariſtoteles promittit ſe acturum de terra ſecundum locum, motumuè, aut quietem, & figuram. Diuidit autem eam in ſeptem Capita. In quorum primò de loco Terræ enunciat Antiquorum opiniones. In ſecũdò recẽſet eorũdẽ Antiquorũ ſentẽtias de

de cauſis quietis, & motus Terræ. In tertiò enarrat pariter de figura Terræ Antiquorum opiniones. In quartò affert eorum rationes de cauſa quietis, & quis illorum cenſuerit illam quieſcere. In quintò impugnat opinionem illorum, qui dicebant Terram moueri. In ſextò expendit locum, cauſamque quietis Terræ ſecundum propriam ſententiam. In ſeptimo denique cuius figuræ exiſtat Terra de mente propria oſtendit.

Quoad primum Caput, de loco Terræ acturus, in T. LXXII. ponit Antiquorum opiniones, quarum prior fuit Anaximandri, Anaximenis, Anaxagoræ, Empedoclis, & Platonis, qui agnoſcentes Cœlum, & totam hanc Mundialem Sphæram eſſe finitam, in medio locarunt Terram. Poſterior autem fuit Pythagoricorum, Italiamque incolentium, qui cognoſcentes medium Mundi deberi honorabiliori corpori, in eo collocarunt ignem, vt potè nobiliorem terra, quam tamen dixerunt eſſe Aſtrum circa ignem latum, per cuius motum dies efficiebatur, & nox, ac ſi foret Sol. Inſuper aliam huic contrariam ponebant Terram, quam *Amichtonam* Græcè appellabant, ideſt aduerſam, & priori contrapoſitam, & hanc à nobis conſpici non poſſe, ſiquidem inter illam, & noſtros aſpectus mediat terra noſtra. Probare nituntur Pythagorici hanc ſuam poſitionem rationibus, non ex apparentibus ſenſibilibus, vt Peripatetici faciunt, ſenſibilia ad intelligibilia reducentes, verùm ex intelligibilibus, ad quæ apparentia attrahebant, quibus vtuntur Pythagorici, & Platonici.

In T. LXXIII. adducit duas rationes probantes ignem, non autem deberi collocari in medio terram; ſiquidem corpori honorabiliſſimo, & nobiliſſimo debetur locus honorabiliſſimus, & nobiliſſimus, ſed ignis eſt huiuſmodi, non autem terra, ſimiliter medium eſt locus nobilior extremo; ergo ignis, & non terra, locandus eſt in medio Mundi. Maior patet quia locus, & locatum aſſimilari debent. Minoris prima pars eſt manifeſta, nam ignis ſua luce, efficacia agendi, & ſubtilitate ſubſtantiæ, redditur præſtantior terra. Secunda pars etiam clareſcit, & roboratur concluſio, nam medium eſt locus præſtantiſſimus, tùm quia vocatur Iouis cuſtodia, eo quia in eo reconduntur eius theſauri, vt cenſebant Pythagorici, vel quia dicitur Iouis carcer, in quo crucientur animæ malefactorum, præſtantiſſimus autem inter Iouis theſauros eſt ignis, & illo pariter crucientur animæ ſecundum etiam veritatem Catholicam, ergo ignis, & non terra, locandus eſt in medio Mundi.

In T. LXXIV. reſpondet ad vtranque rationem dicens, eas laborare æquiuocatione medij, nam aliud eſt medium magnitudinis, & aliud naturæ. Prius eſt illud è quo lineæ ad circumferentiam ſunt æquales. Poſterius verò dicitur *illud in quo* maxime viget virtus conſeruatiua totius: patet vtrumque in animali, ſiquidem vmbilicus dicitur medium magnitudinis, cùm ab ipſo ad circumferentiam lineæ perductæ ſunt æquales, cor autem eſt medium naturæ animalis; in ipſo enim eſt virtus conſeruatiua totius animalis. Ad propoſitum applicat vtrumque medium ad Cœlum, ſiue Vniuerſum *dicens*, centrum terræ eſſe medium *magnitudinis*, *ſiquidem* ab ipſo ad circumferentiam Vniuerſi lineæ ductæ ſunt æquales, cæterùm extremum poſitum ſub concauo Lunæ eſt medium naturæ, quia in ipſo viget virtus conſeruatiua Vniuerſi, & in hoc locatur ignis, & in illo terra. Differunt autem iſti loci, nam prior, in quo locatur terra, habet rationem determinabilis, vt eſt materia, & ob id non eſt nobilis, ſed vilis: poſterior verò, in quo degit ignis, habet rationem determinantis, vt eſt forma, & hac de cauſa dicitur nobilis, & honorabilis, ac præſtantior medio magnitudinis, ſicut forma eſt præſtantior materia. Vnde ad primam concedit ignem eſſe præſtantiorem materia, & ob id ſibi deberi locum nobiliſſimum, qui tamen non eſt medium magnitudinis, ſed naturæ, ſitum ſub concauo Lunæ, in quo eſt vis conſeruatiua Vniuerſi. Ad ſecundam dicit medium naturæ eſſe quidem cuſtodiam Iouis, ſiquidem in eo abſconditi manent theſauri, inter quos enumerandus eſt ignis, medium autem magnitudinis eſſe carcerem Iouis, verùm in eo non venit locandus ignis, ſed terra, quæ ignobilior igne eſt.

Quoad ſecundum Caput, in quo recenſet opiniones Antiquorum, loquentium de

cauſa

cauſa motus, & quietis terræ, in T. LXXV. dicit Pythagoricos, qui non ponebat terram in medio, ſed ignem, ſentire illam non quieſcere, verùm perpetua agitatione circa ipſum volui, & hoc aſſerebant non tantum de hac noſtra terra, ſed etiam de ſibi aduerſa, quam Antichtonam appellabant. *Alij* verò, ex eadem Secta Pythagoricorum, fingebant plures terras ferri circa ignem exiſtentem in medio, nobis tamen immanifeſtas, ex eo, quod inter aſpectum noſtrum, & illas interponebatur terra noſtra, à qua occultabantur illæ. Suadebant hanc ſuam poſitionem ex multiplici Ecclypſi Lunam ſupra Solares Ecclypſes, ſiquidem cum illæ accidant per interpoſitionem terræ inter Solem, & Lunam, totque interpoſitiones non poſſe euenire ab hac noſtra terra duntaxat, neceſſe fuit addere plures terras, quibus occultari poſſet lumen Solis ad Lunam, vt ſequi valerent tam multiplices Lunares Ecclypſes. Et quia ex hoc poſſet quis obijcere, poſitionem hanc occludere nobis æqualem viſionem Aſtrorum, ſic arguendo, ſi hæc terra eſt in medio, circa quam vnà cum ipſa etiam aliæ feruntur glebæ, & nos non ſimus in centro, ſed in circumferentia ipſius terræ, ac à centro diſtantes, ſequitur, quod non æquales ſemicirculos Aſtrorum videamus; diſtantia quippe à centro ad circumferentiam, differentiam facit in reſpiciendo Aſtra ſupra noſtrum Horizontem apparentia, atqui hoc eſt contra obſeruationes Aſtronomorum, qui dicunt tam in die breuiſſimo, quam longiſſimo eſſe ſemper ſignorum medietatem ſupra terram, & aliam medietatem ſub ea. Reſpondet propoſitione negando conſequentiam, ſiquidem dato, quod terra non ſit in centro Vniuerſi, ſed extra, vt potè excentrica, & nos ſimus in eius circumferentia, non propterea ſequitur in nobis inæqualis apparentia Aſtrorum, quia cum terra ſit inſenſibilis, veluti punctum indiuiſibile reſpectu magnitudinis Cœli ſtellati, diſtantia eius ad circumferentiam Cœli non faceret, quin videri poſſint omnia Aſtra exiſtentia ſupra noſtrum Horizontem, ac ſi eſſemus in centro conſtituti. Alij demùm conſtituunt terram iacentem quidem in centro, verùm ipſam moueri circa immobilem polum Vniuerſi, nempe circa Axem, quæ tranſit à vertice ad verticem Cœli, & ſecat medium etiam ipſius terræ, & hanc poſitionem deſumpſit Ariſtoteles ex Timæo Platonis, quamuis Simplicius dicat non eſſe de mente Platonis, vt ſibi ab eo attribuitur.

Quoad tertium Caput, in quo acturus eſt de figura terræ ſecũdum opiniones Antiquorum, in T. LXXVI. refert duas opiniones, quarum prima ponit terram rotundam; ſecunda verò planam, & latam ad inſtar timpani, maxime in illis partibus, in quibus habitatur, & ſuadet hanc ſuam poſitionem duabus rationibus. Et prima ſic, Sol enim dùm oritur, & occidit ſecatur à terra per lineam rectam, atqui hoc non eſſet, ſi terra eſſet figuræ rotundæ, & non planæ, ergo &c. Maior experientia clareſcit. Minor probatur per demonſtrationem mathematicam libr. 3. Geometriæ, quoties duo circuli ſe interſecant, eorum interſectio debet eſſe circularis, vt patet etiam in Ecclypſi Solis, & Lunæ, & clarius ſi duo numi ſe tangant pro medietatibus formabunt duas lineas circulares, ergo cum terra ſecet Solem pro medietate, & non appareat linea ſecans circularis, ſed recta, ſequitur ipſam non eſſe rotundam ex ea parte, qua interſecat Solem rotundum, verum latam, & planam. Reſpondet Ariſtoteles ad hanc rationem negando maiorem, ſiquidem decipiuntur in ſua experientia ob maximam diſtantiam Solis à terra, & magnitudinem circumferentiæ ipſius terræ, in quibus etiam circularia apparent recta, licet talia non ſint, patet in paruis circulis, qui ſi aſpiciantur à longe videntur recti, quamuis curui exiſtant; ex quibus infert deceptionem in caſu poſito, ſiquidem terra, quæ eſt minor circumferentia Solis, ſi iuxta ponatur ad ipſam, quamuis rotunda, & circularis, apparebit recta, & plana ob maximam diſtantiam inter ſe, licet reuera talis minimè exiſtat. Deinde ſecundam rationem proponit ad probandam figuram terræ debere eſſe planam, quandoquidem terra eſt immobilis, & perpetuò quieſcit, ſed nulla figura magis videtur aptior ad quietem, & immobilitatem ſeruandam, quam plana, & nulla magis diſpoſita ad motum, quam rotunda, ergo dicendum eſt, terram eſſe potiùs planam, quam rotundam, & circularem. Denique ſubdit, quoniam

Digitized by Google

de motu, & quiete terræ adſunt plures opiniones, ideò in ſequenti capite proponit ſe velle examinare earum dicta, & motiua.

Quoad quartum Caput recenſet Antiquorum dicta de cauſa quietis terræ, & ad eam meliùs firmandam mouet quæſtionem, cur terra non cadat, ſed immobilis ſemper exiſtat, cùm tamen ratio ſuadeat illam interdùm caſuram, quod oſtendere nititur in T.LXXVII. hoc pacto: Nam eadem eſt ratio totius, & partis, ſed ſi eleuetur in altum vna pars terræ, & dimittatur, certum eſt, eam deorſum caſuram ad ſuperficiem totius terræ, & adhuc inferius, ſi ab ea remoueretur prohibens, cur igitur idem iudicium non erit faciendum de tota terra, ſi eleuaretur infra locum aeris, ſicut modò continetur in ſuperficie concaua aquæ? Præterea ſi eleuatis particulis terræ infra aerem, antequam caderent ſuper terram, ſi quis ſubtraxerit terram ipſam, ferrentur deorſum, nullo reſiſtente, igitur cùm toti magnitudini terræ nihil ſit, quod reſiſtat, cur ei negandus erit caſus deorſum, cùm negari nequeat eiuſdem terræ partibus?

In T.LXXVIII. incipit proponere reſponſiones Antiquorum ad ſoluendas prædictas dubitationes. Et primo ponit opinionem Xenophanis Colophonij dicentis, terram ideò nõ caſuram, ſed immobilem permanſuram, quia ex parte inferiori eſt infinita, & in infinitum radicata, ac proinde omnem cauſam aufert dubitandi de illius immobilitate, ſiquidem in infinito nulla poteſt eſſe localis mutatio ad eam, qua infinitum eſt, partem. Sed enim hanc ſolutionem reprehendit Ariſtoteles auctoritate Empedoclis, quæ in forma redacta facit hunc ſenſum, infinitum eſt ignotum, ſed quæ dicta ſunt à multis Philoſophis de finitate Cœli, & terræ, ſibi fuerunt nota, alioquin abſque ratione loquuti fuiſſent, ergo dicendum meliùs cum illis, quam cum Xenophane, terram nulla ex parte eſſe infinitam.

Deinde in eodem textu ponit ſecundam reſponſionem Thaletis Mileſij aientis, ideò terram quieſcere, quia veluti lignum natat ſuper aquam, non verò ſuper aerem, cum nullum tale corpus ſit natum quieſcere in aere, verùm bene in aquis, vt patet de nauibus, ac alijs eiuſdem generis corporibus. In T.LXXIX. hanc reſponſionem reijcit tripliciter, tùm quia eadem dubitatio redit de aqua, à quo ſuſtineatur nè deorſum cadat cum ſit de natura grauium, ſicut terra: tùm ſecundo quia terra eſt grauior aqua, ſicut iſta aere, ſed hic impedire nequit aquam nè deſcendat, vt patet de pluuia findente aerem, ac deſcendente ſuper terram, ergo nec aqua prohibere poterit deſcenſum terræ: tùm tertio quia quælibet particula terræ poſita ſuper aqua deſcendit, ergo idem dicendum eſt de tota terra poſita ſuper tota aquę *moli, cùm idem* ſit iudicium totius, & partis.

In T.LXXX. videtur quodammodo excuſare hos Antiquos, ſed reuera illos reprehendit, dicens, quod iſti non reſponderunt ad quæſtiones iam propoſitas, vt veritatem adſtruerent, verùm duntaxat vt contradictionem ſuperficialiter euaderent. Ex quo innuit duplicem modum reſpondendi ad quæſtionem aliquam propoſitam, alterum ſuperficialem, qui eò *tendit ſolùm, vt* obiectiones propoſitas à contradicentibus, expediat, ſiue veritatem attingant, ſiue non, & hoc modo vtuntur communiter Diſputatores in publicis theſibus defendẽdis, & aſſimilantur Sophiſtis, qui volebant videri Sapientes, & non erant: alterum verò habentem pro fine ſolam veritatem rei, quæ inueſtigatur, & hic modus non ſiſtit greſſum in ſoluendis tantùm *obiectionibus* opponentium, verùm diligenter ſatagit, vt quaſcumque oppoſitiones, quæ vel à ſe, vel ab alijs fieri poſſunt, diluat, ac tollat, & hoc genere reſpondendi vtebantur Antiqui Sapientes, & etiamnum vtuntur nonnulli Recentiores, qui ſibi obijciunt, quouſque neruum difficultatum attingant, vt illam omninò de medio tollant, nec euaſiones quærunt, vt veritatem obſcurent, & obſtruant.

In T.LXXXI. ſubijcit reſponſiones ad propoſitas dubitationes Anaximenis, Anaxagoræ, & Democriti exiſtimantium vnicam cauſam quieſcendi ipſi terræ, eſſe eius latitudinẽ, qua detinetur ab aere nè inferius cadere poſſit. Et hanc ſuam reſponſionem nituntur ſuadere nonnullis coniecturis, & prima quia terræ latitudo operatur, nè aer inferus diuidatur. Secũda quia corpora lata videntur meliùs reſiſtere ventorũ flatibus, quam

quam alterius figuræ. Tertia quia aer ſubinſerus denſior euadit ad pondus terræ, ex omni parte illum præmentis, vt in alium locum moueri poſſit, ac proindè impedit etiam terram, ne deſcendere valeat; exemplum afferunt de aere incluſo in vtre, ſiquidem ſic conſtrictus, intra illius latera condenſatur, vt foras erumpere nequeat, & alium ſibi locum acquirere non poteſt: Cum igitur terra ſit lata, his de cauſis firmatur intra aerem, vt eo impediente quieſcere cogatur, nè cadere inferiùs poſſit.

In T. LXXXII. oſtendit latitudinem terræ non eſſe cauſam ſufficientem, vt terra quieſcere debeat, quandoquidem ita comprimeretur aer à terra nè alio diffluere poſſet, ſi foret figuræ ſphæricæ, ac ſi eſſet lata, latitudo enim terræ non comprimit, ac condenſat aerem, verùm eius magnitudo, igitur ſiuè terra ſit lata, ſiuè ſphærica impediri poterit ab aere eius deſcenſus; non ergo latitudo terræ erit cauſa illius quietis.

In T. LXXXIII. volens diligentiùs, at ſubtiliùs inueſtigare cauſam quietis, vel motus terræ, inquit dubitationem iam propoſitam dirigi ad eos, qui loquuntur de motu, vel quiete totius terræ, non de partibus tantum, ſiquidem de talibus loquentes, facilem haberent reſponſionem, aſſignando nimirum impedimentum totius terræ, quæ partes deſcendere non permittit. Verùm quia quæſtio de tota terra, ſupponit quæſtionem generalem de omnibus corporibus naturalibus, inquirendum eſt generaliter, an cuilibet corpori conueniat aliquis motus naturalis, vel nullus, & ſi nullus an ſaltem aliquis violentus? Cæterùm quoniam de ijs determinatum eſt in primo libro de Cœlo à t. 5. & ſequentibus, vbi diximus, cuilibet corpori competere motum naturalem, ac violentum, & hunc eſſe illo poſteriorem, adeò quod ſi nullus eſſet motus naturalis alicui corpori, nec violentus ei conuenire poſſet; remoto namque priori, & poſterius de neceſſitate remouendum eſt. Inſuper determinauimus, quòd nullo conueniente motu alicui corpori, nec naturali, nec violento, illud nullatenus moueri, quod eſt inconueniens in Philoſophia, ſiquidem omne corpus naturale eſt mobile, motus enim conſequitur illud tanquam paſſio ſuum ſubiectum. Si autem concedatur illi vterque motus, naturalis ſcilicet & violentus, & vtraque quies eidem conuenire poterit; naturalis enim motum naturalem, & violenta violentum motum comitatur.

In T. LXXXIV. ex his ſuppoſitis deducit quæſtionem particularem de tota terra, vt exinde arguere poſſit contra eos, qui dicebant, terram quieſcere violenter hoc pacto: Si quies in medio non eſt naturalis terræ, ſed violenta, ſequitur motum ad medium non conuenire ſecundum naturam; ſed per vim ob conuerſionem Cœli, vt quidam dicunt, non tantum de terra, verùm & de aere, & aqua, putantes per vim in vnum congregari, & ad medium ferri, conſulentes rerum omnium generationi, ſed quàm perperam dixerint hæc de huiuſmodi corporibus, & præſertim de terra, mox demonſtrabitur.

In T. LXXXV. arguit contra eos, qui dicunt, terram quieſcere in medio violenter ob Cœli motum circularem, qui non ſinit illam moueri, quandoquidem ſi terra taliter quieſcit violentata à Cœli motu, oportebit aſſignare cauſam, & locum vbi quieſcat naturaliter, ex iam ſuppoſitis, quia ſicut motus violentus ſupponit naturalem, ita quies violenta quietem naturalem, atqui impoſſibile eſt hoc oſtendere extra medium, igitur concludendum eſt, illam in medio naturaliter quieſcere.

In eodem textu introducit opinionem Empedoclis, iam ſuperius tactam, putantis ideò terram quieſcere, præter vim, quam patitur a Cœlorum vertigine, etiam ob eius latitudinem. & magnitudinem, quibus impeditur nè alio diuertere poſſit, & probat exemplo aquæ in cyatho poſitæ, qui ſi in gyrum moueatur, non ſinit aquam effluere, & deorſum ferri, quamuis ad locum deorſum naturaliter tendat.

In T. XXXVI. impugnat hanc ſententiã quoad vtramque cauſam, quia ſi cauſa quietis terræ eſt eius latitudo, & magnitudo, vel Cœli vertigo, hiſce ceſſantibus impedimentis, ſequitur alio ituram, ſiquidem eſt corpus naturale, cui naturaliter con-

conuenit aliquis motus, ſi non impediatur, tunc quæro quonam tendet terra ſic dimiſſa? non deorſum, quia ſecundum opinantes, medium ei violentum eſt neque ſurſũ, cùm ſit grauis de ſua natura, cui opponitur locus ſurſum: igitur cùm neceſſariò aliquem debeat petere locum, non poterit eſſe alius, quam inferus, ac proindè inferendum eſt malè eos dixiſſe, terram violenter quieſcere in medio ob prædictas cauſas. Præterea ſi dixeris terram non eſſe magis aptam moueri, aut quieſcere deorſum, quàm ſurſum, ſic arguit: *Sicut aer, quo coarctatur terra, non prohibet eius motum ſurſum, vt dicis, cur aer poterit ei prohibere motum deorſum? Siquidem aer ſuperus, & inferus ſunt eiuſdem rationis*, ergo ſi latitudo terræ circundata aere ſub, & ſupra non prohibet motum illi adeſſe ſurſum, vt conceditur, nec prohibere poterit motum ad locum deorſum, ac proinde non vi latitudinis eius terra quieſcet in medio.

In T. LXXXVII. ſpecia[t]im inſectatur Empedoclem formando argumentum ad hominem; nam cum elementa Mundi olim ſtabant ſegregata per litem, vt ipſe fatebatur, quæ nam quietis cauſa erat ipſi terræ? Non potes recurrere ad vertiginem Cœli, cùm nondum tunc temporis aderat Cœli motus illam detinens, nè moueri poſſet, ergo nec modò eius quies à te referri poterit in Cœli motum, quin potiùs conaberis fateri, ipſam quieſcere ob eandem cauſam, qua tunc quieſcebat, & ſic naturaliter, non verò violenter. Quemadmodum enim omnia habentia grauitatem ad medium confluebant, & in eo quieſcebant per ſuam naturam, & non per Cœli conuerſionem, quæ nondùm erat, & modò moueri, & quieſcere in illo debent, nullo Cœli motu coacta, cùm nunc minimè ſit illi propinquus, nec illam tangat, & tamen mouens, & motum debent eſſe ſimul, vt ſequi poſſit intentus effectus.

In T. LXXXVIII. arguit contra eundem à ſimili, nam ſicut ſe habet ignis ad extremum, ideſt ad locum ſurſum, ſic ſe habere debet terra ad medium; ambo enim ſunt corpora naturalia, quorum partes videtur ferri, illæ ſurſum, & iſtæ deorſum, ſed ignis mouetur ad extremum, ibique quieſcit, nulla Cœli vertigine coactus, vt ipſe fatetur, ergo idem dicendum eſt de terra, quod tēdat ad medium, & ibi quieſcat nulla Cœli conuerſione preſſa: De ſimilibus enim idem debet eſſe iudicium.

In T. LXXXIX. proſequitur idem argumento deſumpto ex natura grauis, & leuis, nam graue, & leue non ſunt talia dependenter à motu Cœli, ſed ſunt huiuſmodi naturæ, quia hoc eſt hoc, & illud eſt illud, independenterque à Cœli vertigine graue ad medium, & leue ad extremum ſunt ordinata, ergo naturaliter ignis ſurſum in extremo, & terra deorſum in medio, independenter à Cœli vertigine quieſcere debent. Antecedens ſuadetur, ſi Vniuerſum foret infinitum non daretur ſurſum, & deorſum, cum infinitum ſit indeterminatum, & non conſtet ex partibus determinatis, ergo cùm Vniuerſum ſit finitum, & ſurſum, ac deorſum ſint eius determinatæ partes, neque graue, & leue indifferenter ſe habeant ad illas, concludendum eſt, graue à natura eſſe determinatum ad locum deorſum, & leue ad locum ſurſum, *ac proinde ignis, cum ſit leuis, eſt determinatus ad ſurſum, & terra, quia eſt grauis, eſt determinata deorſum*.

Ex hoc textu elicitur, quod infinitum actu nequit coaleſcere ex partibus finitis, quare ſi tales per infinitam potentiam multiplicarentur in infinitum ſucceſſiue, & omnes in vnum actu redigerentur, non propterea conſtituerent infinitum actu, verum duntaxat potentiale, ad actum reductum, vt aduertimus in tertio Phyſicorum diſp. 3. q. 1. & hoc eſt valde notandum ab eis, qui ſuſtinent per nullam potentiam dari poſſe infinitum actu, vt diſtinguitur ab infinito in potentia.

Quoad quintum Caput, in quo probat immobilitatem terræ, in T. XC. prius recenſet poſitionem Anaximandri, qui aſſerebat, cauſam immobilitatis terræ eſſe ſimilitudinem diſtantiæ eius ad Cœlum; ex eo enim quod terra ſecundum ſe totam diſtat æqualiter à toto Celo, & partes terræ æque diſtant a partibus Cœli, propterea dicebat Anaximander terram reddi immobilem in medio Vniuerſi; quod enim collocatum eſt in medio, & æqualiter ſeſe habet ad extrema Cœli, nec eſt aptum moueri ad contraria ſimul, nec magis ſurſum, quam deorſum, aut dextrum, vel ſiniſtrum, vel

ante, aut retro, penitus immotum ſe habere debet; igitur cum terra, & eius partes ſic ſe habeant ad Cœlum, ac ad eius partes per æquediſtantem ſimilitudinem, concludendum eſt, inquit, illam eſſe immobilem in medio per ſimilitudinem.

In T. XCI. arguit primo contra iſtam poſitionem, quia licet lepidè videatur aſſerta, non tamen verè, quandoquidem ex ea ſequeretur de neceſſitate, quod omne poſitum in medio, ibi maneret immobile, & ſic ignis in medio poſitus in æquali diſtantia ad partes Cœli, ibi deberet quieſcere, ſed hoc eſſet falſum, tùm quia hoc non eſſet proprium, ac conueniens naturæ terræ, verùm duntaxat ex æquali diſtantia ad Cœlum; tùm etiam, quia ignis in medio maneret violenter, & ſic ibi non quieſceret naturaliter, ergo neque terra ibi quieſceret ex æquali diſtantia ad Cœlum.

In T. XCII. arguit ſecundo ad eandem poſitionem, quia terræ conuenit de neceſſitate quieſcere in medio, ergo non ex æquali diſtantia ad Cœlum. Conſequentia patet, ſi enim quies in medio de neceſſitate conuenit terræ, igitur ex propria natura, & non ex æquali diſtantia, quæ eſt relatio extrinſeca ipſi terræ. Antecedens probatur, quia terra non tantum quieſcit in medio, verum ad ipſum naturaliter mouetur, ergo eius quies erit ſibi naturalis, ſiquidem corpus ibi naturaliter quieſcit, quò naturaliter mouetur, ex ſuppoſitionibus factis ſupra in t. 83. & 84. Antecedens eſt notum, quia idem eſt motus totius, & partis, ſed vna pars terræ naturaliter ad medium, cum ſit grauis, ergo tota terra ad medium ferri debet.

In T. XCIII. confirmat rationem præcedentem, quod eſſe in medio ſit naturale terræ, nam non minus eſt locus naturalis igni extremum, quam medium terræ, ſed ignis in extremo naturaliter quieſcit, & non per æqualitatem ad Cœlum, ergo terra pariter naturaliter quieſcet in medio, & non per æqualitatem ad Cœlum. Vel ſi terra non eſt in medio naturaliter, ſed ſolùm per ſimilitudinem diſtantiæ eius ad Cœlum, cur idem non dicunt etiam de igne exiſtenti in extremo hoc eſt in concauo Lunæ? Contrariorum enim eadem eſt diſciplina, & terra, & ignis ſunt contraria, non ſolùm ratione locorum, ſed etiam ex parte qualitatum, quæ eos afficiunt, vt alias probatum eſt in primo libro.

In eodem textu roborat eandem rationem, & oſtendere nititur inſufficientiam argumenti Anaximandri, ſiquidem quærere cauſam de quiete, & non de motu elementorum eſt inſufficienter quærere, cùm ſit eadem difficultas de vtriuſque, quies enim eſt terminus motus, adeò, quod ſapit naturam eiuſdem; motum quippè naturalem ſequitur quies naturalis, & violentum violenta, igitur cùm tantum quæſierit de cauſa quietis terræ, & non de cauſa motus eiuſdem ad medium inſufficienter ſe egit, & non rectè probauit intentum.

In T. XCIV. arguit etiam inſufficientiam rationis Anaximandri, deſumptam ex illo principio: omne corpus poſitum in medio, cui non magis conuenit huc, & illuc moueri, in ipſo quieſcit; ſiquidem hoc non eſt ſimpliciter, & abſolutè verum per ſe, licet interdum poſſit eſſe verum per accidens, & non ex conditione talis diſtantię, verùm quia illi competit ex ratione ſuæ naturæ, vt patet de terra, cui per ſe conuenit quieſcere in medio, quamuis non diceret æqualem diſtantiam ad Cęlum, ergo cum quieſcat in medio per ſe, poſita etiam æquali diſtantia, huiuſmodi quies, ratione æquediſtantiæ, erit ſibi tantum accidentaria, & eſſentialis ratione propriæ naturæ, ac proindè cùm tacuerit quietem per ſe materiæ, & illam oſtenderit duntaxat per æqualem diſtantiam ad Cęlum, inſufficienter ſe geſsit in tali probatione.

In T. XCV. denique arguit contra poſitionem à ſimili de igne, qui ſi poneretur in medio, eſſet quidem æquediſtans à quouis Cęli puncto, ſicut aſſeritur de terra, & nihilominus ignis moueretur à medio ad extremum, ſi non foret impeditus, vel per rarefactionem quarundam partium, acquirendo ſibi maiorem locum, aut per condenſationem, redeundo ad locum minorem, ergo à ſimili, ſi medium non eſſet locus naturalis terræ, quamuis æquediſtaret à quouis Cęli puncto, poſſet moueri eo modo, quo ignis, quare conclu-

Digitized by Google

dendum eſt, terram manere, & quieſcere in medio, non ex æquali diſtantia eius ad Cœlum, ſed quia ſibi competit ex natura, qua grauis eſt, & naturaliter mouetur ad medium.

Quoad ſextum Caput, in quo acturùs eſt de loco, & cauſa quietis terræ de mente propria, in T. XCVI. mouet duas dubitationes, quarum prima eſt an terra exiſtens in medio moueatur; ſecunda an maneat, & quieſcat? Antequam reſpondeat ad primam repetit opinionem eorum, qui dicebant, terram eſſe poſitam quidem in medio Vniuerſi, & cum hoc volui, mouerique circa polum Mundi. Contra hanc poſitionem arguit, oſtendendo impoſſibilitatem huius motus terræ tribus rationibus, & prima ſic formatur: ſi terra exiſtens in medio, vel extra medium moueretur, huiuſmodi motus neceſſariò foret violentus, ſed hoc non eſt dicendum, ergo terra nequit moueri in medio exiſtens. Sequela maioris probatur, quia talis motus non eſſet naturalis, ergo violentus. Antecedens patet, quia partes terræ naturaliter mouentur ad medium, & non circa medium, vt experientia docet, ac proindè tota terra ſic moueri debet, cùm idem ſit motus totius, & partis, ergo huiuſmodi motus non eſſet naturalis, ergo violentus. Minorem probat, quia talis motus non eſſet perpetuus, cum nullum violentum ſit perpetuum, ſed hoc repugnat ordinationi Mundi, eiuſque ornatui, qui eſt perpetuus, vt alibi docuit idem Ariſtoteles, (licet falsò, ſiquidem in hoc errauit) ergo talis motus terræ non eſſet violentus, ac proindè non ſic moueretur terra.

In T.XCVII. ponit ſecundam rationem arguendo ad idem, nam ſi terra moueretur circa polum orbiculariter, haberet moueri etiam alio motu ab illo diuerſo, ſed hoc ſecundum admittit nequit, ergo neque primum. Sequela maioris patet, nam quicquid mouetur orbiculariter, excepta ſuprema ſphæra duplici cietur motu, vt patet in omnibus Planetis, quippequi mouentur motu diurno ab Oriente ad Occidentem, & inſuper motu proprio ab Occidente ad Orientem, ergo ſi terra cieretur circa medium, vel polum Mundi orbiculariter duplicem motum ſubire deberet. Minorem probat, quia tunc ſtellæ inerrantes nobis non ſemper orirentur, ac occiderent, cùm non eſſemus conſiſtentes ſemper in iiſdem locis, quæ tamen repugnant experientiæ.

In T.XCVIII. arguit tertiò eandem poſitionem, quandoquidem ideſt eſt motus totius, & partium, vt ſæpiùs inculcatum eſt, ſed partes terræ non mouentur circa medium Mundi, verum duntaxat ad medium, vt experientia teſtatur, ergo neque tota terra habet moueri circa polum, ſed tantum ad medium Mundi.

In T.XCIX. mouet vnam dubitationē, cùm idem ſit medium terræ, & Vniuerſi, quærit an grauia, quæ ad medium feruntur, ferantur ad ipſum, vt eſt medium terræ, vel Vniuerſi? Et reſpondet ferri ad ipſum vt eſt medium Vniuerſi, quod probat à ſimili, argumento deſumpto ex natura contrariorum, nam ita ſe habent grauia ad medium, ſicut leuia ad extremum, ſed hæc mouentur ſemper ad extremum Vniuerſi continentem medium, alioquin ſi mouerentur à medio poſſent contineri in ſuperficie terræ, ibique quieſcere, quod eſt manifeſtè falſum de quauis particula, quæ tendit ſemper ad extremum Vniuerſi, vt experientia comperi poteſt, ergo & illa pariter moueri debent ad medium Vniuerſi.

In T. C. ſubdit, quod grauium partes per accidens tendunt etiam ad centrum terræ, cùm ſit idem cum centro, ſeù medio Vniuerſi, & probat, quia ſi duo pondera æqualia dimittantur à circumferentia ad terræ medium, quamuis eſſent in punctis diſtantibus, non formabunt lineas parallelas, ideſt æquè diſtantes vſque ad terram, ſed deſcendent per duas lineas, deſcribentes in terra angulum acutum, & rectum in centro Vniuerſi, ergo ſignum eſt illa duo grauia moueri per ſe ad medium Vniuerſi, & ſolum per accidens ad centrum terræ, quatenùs per accidens concurrunt in idem medium.

In T.CI. denique reſpondet ad primam dubitationem per hanc concluſionem: Terra exiſtens in medio nullo pacto mouetur, ſed immobilis ibidem manet. Et quamuis concluſio ſit ſufficienter probata ex dictis contra opinantes, nihilominus illam confirmat argumento deſumpto ab experien-

rien-

Digitized by Google

rientia; nàm experimur, quod ſi aliquod pondus proijciatur in altum per lineam rectam, cadit perpendiculum per eandem lineam ſuper eodem puncto terræ, à quo fuit proiectum, ergo ſignum eſt terram fuiſſe minimè motam alioquin cecidiſſet ſuper eam procul ab illo puncto, à quo motum ſuſcepiſſet proiectionis, vt patet de pondere è naui in altum proiecto, ſiquidem cadit procul a loco ſuæ proiectionis, quia ipſa non manet fixa, ſed aliò mouetur.

In T. CII. Confirmat concluſionem, quia vnumquodque eo pacto quieſcit, quo mouetur, ſed terra ſuaptè natura mouetur ad medium, ergo ſic pariter quieſcere debet in medio. Maior patet, quia quies ſequitur ſuum motum, ſi eſt naturalis motum naturalem, ſi violenta violentum motum, ergo vnumquodque quieſcit, quomodo mouetur. Minor probatur, quia ex dictis iàm idem eſt motus totius, & partis, ſed partes terræ naturaliter mouentur ad medium, ergo, & tota terra naturaliter fertur ad medium. Minor probatur, quia quælibet pars terræ violenter moueretur à medio ad extremum, alioquin ſi naturaliter poſſet moueri à medio, duo motus ſimplices contrarij eſſent eiuſdem corporis ſimplicis, quod repugnare probauit in primo lib. de Cęlo à t. 7. & ſequentibus ergo quælibet pars terræ violenter moueretur à medio, ac proinde tota terra, igitur ſi partes terræ ſuapte natura feruntur ad medium, & ibi quieſcunt, ita inferendum de tota terra, quod exiſtens in medio nullatenùs moueatur, ſed ibi immobilis quieſcat.

In T. CIII. Denique roborat ſuam concluſionem de immobilitate terræ ex Doctrina Aſtrologorum, quandoquidem ſi aliter ſe haberet terra exiſtens in medio, diuerſimode, ſeſe nobis oſtenderent phænomena ſtellarum fixarum: non enim apparerent æqualis magnitudinis in Ortu, & in Occaſu, quantæ ſi in vertice fuerint. Deinde ſtellæ fixæ aſcendunt ſemper ab eadem terræ parte, & ad eamdem ſemper occidunt; ſimiliter ſigna Zodiaci ſemper videntur ſex ſupra terram, & ſex alia ſub ea, quæ omnia minime forent, ſi terra moueretur, & non eſſet immobilis, vt atteſtantur Aſtrologi, ergo neceſſario, vt hæc, & alia vitientur inconuenientia, dicendum eſt, terram in medio Mundi immobilem exiſtere & omnino quieſcere.

Quoad ſeptimum Caput, in quo probare intendit terram eſſe figuræ ſphæricæ, in T. CIV. ſtatuit hanc concluſionem. Terra neceſſariò eſt rotunda, & ſphærica, quam multis rationibus formare, ac firmare nititur, & prima ſic formatur, omne corpus, cuius partes circumferentiales æqualiter tendunt ad medium, maiores minores comprimendo, eſt rotundum, ac ſphæricum; nam figura rotunda eſt illa, à cuius medio ad circumferentiam, omnia extrema ſunt æqualia, ſed terra eſt huiuſmodi, ergo terra eſt rotunda, & ſphærica. Minor probatur, quia partes, quæ per breuiſſimas lineas tendunt ad medium ſunt æquales, ſiquidem, cùm lineę ſint breuiſſimę, vna non eſt longior alia, ac proinde debent eſſe æquales, ſed partes terrę, omnes ad medium per lineas breuiſſimas tendunt, omnes enim ſuapte natura, ac pondere æquali medium affectant, igitur per lineas breuiſſimas ad illud tendunt, ac proinde cum maiores minores comprimant, vt medium acquirant, & tangant, ſuapte natura conglobantur, & totum rotundum, ac ſphęricum faciunt.

In eodem t. declarat intentum, facta hac ſuppoſitione, quod omnes terrę eſſent abinuicem ſegregatę, & denuò haberent generare terram, ſicut quidam imaginantur licet diuerſimode à veritate, quę à nobis explicatur, equidem certum eſt, quod cùm omnes eſſent in potentia ad eius generationes, omnes pariter in vnum medium confluerent, & maiores minores naturaliter impellerent, donec ad ęquilibrium circa medium coirent, atque globum facerent, igitur cùm non aliter iudicandum ſit de eadem terra ab initio formata ac denuò genita, inferendum eſt illam eſſe modò rotundam, ac globoſam, quemadmodum foret, ſi de nouo eſſet genita.

In T. CV. Confirmat hanc primam rationem, quandoquidem ſiue partes terrę conſiderentur ęquales, in ęqua ique diſtantia ad medium conſtitutę, ſiue inęquales, ac inęqualiter diſtantes exiſtant, nihilominus omnes eadem vi, & inclinatione cum tendant ad idem medium mundi, ſicut

æqua-

æquales, & æqualiter diſtantes conſtituerent globum terræ, ita & inæquales inæqualiterque diſtantes in vnum coirent, & globum facerent, ſiquidem partes maiores impellerent minores ante ſe exiſtentes, vt omnes medium ſibi acquirerent, ideòque non minus iſtæ, ac illæ globum conficerent.

In T. CVI. Mouet dubium contra ſe, dicens, ſi terræ ſit conglobatæ, in medioque exiſtenti immobiliter, vt concluſum eſt, fiat additio alicuius ponderis in altero hæmiſphærio, tunc medium Vniuerſi, ac terræ non erit idem ex ea parte, qua facta fuerit additio illius grauis, vnde quæri poteſt, an terra ſic ſituata quieſcet, aut non? Si dixeris illam quieſcere, igitur dicam ego, non quieſcere in medio, quod eſſet contra ſuperius concluſa: ſi verò negaueris, ergo moueri poterit ad medium ſecundum illam partem, & ſic non erit immobilis ſecundum ſe totam, quod pariter eſſet contra declarata in præcedenti capite.

In T. CVII. Soluit dubitationem dicendo, terram quieſcere quidem ſecundum totum ſuum eſſe completum, quo affectat, atque poſſidet medium Mundi, moueri autem ſecundum partem grauem additam quouſque comprimat partem minorem, & ipſam pellendo acquirat ſibi centrum Mundi, in quo & ipſa quieſcet. Neque hoc dicere officit immobilitati terræ, quinimò neceſſe eſt, vt gleba exiſtens extra centrum Mundi moueatur ad illud, quouſque centrum terræ fiat centrum Mundi, & ſic tota terra quieſcat immobiliter in ipſo.

In T. CVIII. Remouet aliam dubitationem, aliquis namque poſſet dicere talem Doctrinam verificari de terra ſi ſit genita, vt dicebant nonnulli Antiquorum, non autem de eadem ſimpliciter conſiderata, propterea ſubdit, quod ſiue facta ſit terra, ſiue non, ſiue genita, ſiue ingenita dicatur, ſemper dicendum erit illam eſſe rotundam, & ſphæricam, ſiquidem cùm ſit natura ſua grauis, & grauia omnia tendant ad medium per angulos indiſtantes, & rectos, non poteſt fieri quin illius partes æqualiter diſtent à modo, & in vnum coeundo, faciant corpus rotundum, & ſphæricum, quamuis non ſit facta, & genita talis. Conſequentia tenet, quia omne corpus, cuius partes ad conſimiles angulos feruntur, & non parallelæ, eſt ſphæricum, ergo cum terra ſit natura ſua talis, vt eius partes non ſint parallelæ, ſed ad conſimiles angulos ferantur, concludendum eſt illam eſſe ſphæricam natura ſua. Quod notanter dicitur propter montes, & valles, quæ impedire videntur rotunditatem terræ, ſiquidem quamuis hoc accidat, nihilominus terra debet denominari rotunda, tùm quia ex natura ſua eſt apta eſſe circularis, & ſphærica; tùm etiam, quoniam pro maiori parte exiſtit talis.

In T. CIX. Affert ſecundam rationem pro rotunditate terræ, deſumptam ex his, quæ apparent ſenſui, nempe ex ecclypſi Lunæ, quæ accidit per interpoſitionem vmbræ terræ inter Solem, & Lunam, nàm Luna in ſuis ecclypſibus, ſiue totalibus, ſiue partialibus apparet ſemper figuræ circularis in linea diciſionali, ſed nequit eſſe talis naturæ, & figuræ ratione Solis, vel ſuipſius, ergo de neceſſitate hoc euenit ei ratione rotunditatis terræ. *Maior* patet ad ſenſum. *Minor* probatur, quia licet Luna in mutationibus menſtruis videatur aliquando ſemicircularis, aliquãdo circularis propter varios aſpectus radiorum Solarium, tamen linea deciſionalis non eſt circularis, ſed recta, verùm in Ecclypſi huiuſmodi linea deciſiua eſt ſemper arcualis, & rotunditatem præſeferens, ergo licet in mutationibus menſtruis poſſit variare figuram ratione Solis, tamen in ecclypſibus non poterit videri arcualis, & ſphęricam figuram indicans, niſi ob rotunditatem, & ſphęriciratem terrę, ac proinde hinc etiam probatur à poſteriori rotunditas eiuſdem terræ.

In T. CX. Ponit tertiam rationem ad ſuã Concluſionem probandam, ſumpto argumento ex Aſtrorum apparentia; quandoquidem ſi terra eſſet plana, & non rotunda, qui habitant in regionibus ad Vrſam, & Septentrionalibus viderent eaſdem ſtellas, quas vident Incolæ Auſtri, & econuersò hi viderent ſemper ſtellas vergentes ad Vrſam, ſed hoc eſt falſum, quia procedentibus ab Aquilone verſus Auſtrum non apparent ſupra horizontis circulum Aſtra, quæ ante apparebant, & quæ ad Aquilonem aſpiciebantur, occultari incipiunt, & paulatim ſeſe eis oſtendunt, quæ ad Auſtrum

ſtrum micant, ſimiliterque euenit illis, qui ab Auſtro ad Aquilonem progrediuntur, ergo ſignum eſt, quod ſuperficies terræ non ſit plana, ſed rotunda, alioquin omnes ſimiliter eadem Aſtra ſemper viderent.

In eodem t. infert ex hiſce, terram non ſolum rotundam eſſe, verùm & paruæ magnitudinis exiſtere, alioquin non ſic ſtatim diuerſæ fierent Aſtrorum apparentię, & ſic patet, quod tàm pręppopera loci mutatio & varia Syderum oſtentatio paruitatem terrę, ac eius rotunditatem ſimul teſtantur.

In T. CXI. Roborat terrę paruitatem ex dictis Mathematicorum, aſſerentium inter columnas Herculeas, & Calpem, mediare vnum mare tantùm, quo coniunguntur principium, & terminus vniuerſę terrę, ac proinde non eſſe tàm magnam intercapedinem inter vtrumque extremum, non videri exiſtimare incredibilia valdè, de quo coniecturam valde bonam ſumunt, ex eo quod vtraque regio generat Elephantos eiuſdem naturę, proprietatis, & morum, quę non poſſent tuto aſſerere, ſi foret inter illas regiones tàm magna diſtantia, ſiquidem haberent diuerſas influentias, & animalia diuerſas proprietates, & naturas.

In T. CXII. Confirmat paruitatem terrę, ex teſtimonio Mathematicorum, qui metientes circumferentiam terrę teſtantur non excedere quadraginta millia ſtadia, quę conficiunt quinquaginta millia milliaria Italica, quę magnitudo ad Aſtrorum quantitatem comparata non poteſt eſſe magna. Et hęc de textu huius ſecundi libri de Cœlo, & Mundo.

De Natura, & affectionibus Terræ.

DISPVTATIO III.

MVndialem globum partiti in Mundum Cęleſtem, & Elementarem, iàm diximus in primo libro huius operis de Cęlo, & Mundo de Cęleſti hactenus egimus in ſuperioribus Diſputationibus, nunc de Elementar. agendum nobis eſt in pręſenti. Et licet de quolibet elemento, tàm in generali, quàm in particulari nonnullas quęſtiones, & ſatis luculenter, pertractauerimus in primo lib. Meteorologicorum, nihilominus cùm de eiſdem multa ſuperſint enucleanda, alias prout faciant ad intentum noſtrum, in preſentiarum diſcuſſioni, pro viribus ſubijciemus. Cęterùm quoniam inter omnia elementa, Terra, veluti aliorum fundamentum, potiſſimum locum obtinet, propterea ſequendo etiam Ariſtotelis ordinem textualem, de illa primùm nobis agendum erit, inueſtigando naturam, & affectiones eius, tùm intrinſecas, tùm extrinſecas Natura enim dignoſſitur partim per diffinitionem, & cauſas à priori, partim verò à poſteriori per eius affectiones, cuiuſmodi ſunt magnitudo, & figura, ſitus, ac ſtabilitas, quę complent, oſtenduntque globum terrenum de his igitur inſtituenda eſt pręſens hęc tertia Diſputatio, & primum de natura Terrę mouetur difficultas, vt ſequitur.

Vtrum Terra ſit elementum Solidum, & opacum, à Deo immediate ex nihilo conditum? & ſphericum?

QVÆSTIO I.

TErram eſſe corpus ſolidum, & opacum eſt ita manifeſtum ſenſibus, vt non niſi proteruiendo hoc quiſpiam negare poterit, verùm cùm non ſit ita notum, an fuerit ex nihilo à Deo creata, vel ex prima materia ab ipſo educta ſicut alia corpora ſimplicia, propterea ſub dubio à nonnullis exagitatur quęſtio, in alterutram partem adducendo Doctores: quandoquidem quidam Theologi, quos ſine nomine refert Timplerus in ſua Apſychologia cap. 4. de Elementis Probl. 5. cenſuerunt, Terram, ſiue globum terrenum fuiſſe a Deo immediate ex nihilo conditum, dicente Moyſe Gen. cap. 1. *In principio creauit Deus Cœlum, & Terram*, cùm igitur creare ſit rem ex nihilo condere, ac producere, in eſſe reali, propterea non immeritò potuerunt dicere terram fuiſſe à Deo ex nihilo conditam, & non ex materia prima eductam, ſicut cętera elementa, & Cęlum ipſum, quod nihilominus dicitur creatum.

Cęterùm alij extendendo nomen creationis

tionis ad eductionem , & productionem Diuinam immediatam, ex aliquo præſuppoſito , dixerunt Terram , ſeù globum terrenum fuiſſe eductum , ſeù productum ex materia prima , quæ tamen fuit producta ab ipſo per creationem propriè ſumptam ex nihilo itaquod ſenſus locutionis Moſaicæ ſit iſte: *In principio creauit Cœlum , & Terram* mediate , hoc eſt , mediante materia prima , ex nihilo producta , eduxit formas Cęli, & Terræ , ſiue produxit Cęlum , & Terram : & hanc opinionem putamus veriorem , quam etiam docuimus in Phyſicis lib. 1. diſp. 4. q. 2.

Pro cuius declaratione , & fundamento reſolutionis totius quæſtionis primo notandum eſt , materiam primam ex Ariſtotele primo Phyſicorum t.82. eſſe ſubiectum primum vnicuique rei generabili , & corruptibili , ex quo cum alio aliquid fit cum inſit , vt ſatis abundè explicuimus in eodem primo Phyſicorum Diſp. 3. q. 1. ex quo inferendum eſt , quod cùm terra ſit res generabilis , & corruptibilis , ſicut cætera elementa vt probat Ariſtoteles tertio de Cœlo t.52. & 53. ſecundo de Gener. & Corrupt. Sum. 2. & tertia & lib. 1. Meteorologicorum Sum. 1. cap. 2. illam præſupponere materiam primam , in qua , ſaltem ſecundum partes , gigni poſſit , & corrumpi , vt generantur , & corrumpuntur cætera elementa .

Secundo Notandum eſt , Terram deſcribi per hoc , quod ſit elementum graue , ſolidum , & opacum , in infimo Mundi loco collocatum , cuius natura , præter ea , quæ hic ponuntur , dignoſcitur ex cauſis , à quibus à priori demonſtratur , & ex affectionibus , quæ illam conſequuntur , à poſteriori . Eius namque cauſa efficiens eſt Deus , ſi loquamur de totali globo terreno; finalis , vt ſit fulcrum , & ſuſtentaculum , nedum cæterorum elementorum , verùm etiam corporum animatorum , & inanimatorum , ac denique commodum domicilium animalium , quæ in inferiore Mundo degunt , & viuunt : Materialis prima materia , ex qua educitur eius forma , quæ gerit vicem cauſæ formalis, nobis quidem innominatæ , & incognitæ , quæ tamen repræſentatur per illam globi terreni artificioſam ſtructuram , à Diuino omnium Opifici ſupremo in medio Mundi conditam. Affectiones verò eius ſunt in duplici diſcrimine , aliæ enim ſunt intrinſecæ , vt magnitudo , & figura ; aliæ autem extrinſecæ , cuiuſmodi ſunt ſitus , & ſtabilitas . Magnitudo eſt duplex ſcilicet ſimplex , & compoſita . Simplex , vel eſt perimeter , hoc eſt linea circularis circumdans totum globum terræ , quæ peripheria à Grecis , ſeù circumferentia à latinis appellatur , vel diameter , hoc eſt , linea recta diuidens totam terram in duas meditates . Compoſita eſt ſuperficies , & ſoliditas ſuperficies , vel eſt plana , hoc eſt , latitudo inter circumferentiam clauſa , vel conuexa , qua totus globus obtenditur , & cooperitur . Soliditas eſt totum corpus terræ trina dimenſione , ideſt longitudine , latitudine , & profunditate conſtans . Figura verò eſt rotunditas terræ , de qua fuſiùs inferiùs . Affectiones eius extrinſecæ ſunt ſitus , ideſt , eiuſdem globi in medio Mundi collocatio , veluti illius centrum ; & ſtabilitas , nempe eiuſdem globi in ſuo loco naturali conſiſtentia , & immobilitas . ***Ex his omnibus patet*** maniſeſtè , quid , quantum , & quale ſit elementum terræ , & cuius naturæ , ſiuè intrinſece , ſiue extrinſecè exiſtat .

Tertio Notandum eſt , Terram conſiderari poſſe , vel in ratione elementi , à cæteris diſcreti , vel in ratione globi terreni . Si priori modo attendatur , certum eſt terræ non conuenire affectiones , quæ intrinſecæ appellantur , ſiquidem cùm hæ conſequantur figuram , & elementa ſecundum ſe conſiderata careant figura , vt probat Ariſtoteles in tertio de Cœlo à t.65. ac ſequentibus , conſequenter carere debent affectionibus , figuram comitantibus & licet Ariſtoteles probauerit in hoc ſecundo lib. à t. 104. vſque ad finem , terram eſſe ſphæricam , ac proinde figuram habere , intelligendum eſt , eam ſibi conuenire ratione loci , aut medij continentis , vt ab eodem expenditur in præcitatis locis , non autem quatenus elementum ſimplex exiſtit , ab aliiſque diſcretum , quia ſic eſt expers cuiuſcumque figuræ . Si autem poſteriori modo ſpectetur , cum globus terrenus coaleſcat ex duobus elementis , adinuicem glutinatis , vt adnotauimus in primo lib. Meteorolg. Diſp. 1. q. 10. cùm probabiliori ſententia , dicendum eſt ſibi competere , non ſolùm ſuprapoſitas affectiones , ac de-

ſcri-

ſcriptionem, verùm potiſſimum eſſe rotundum, ac ſphæricum, adeoquod, ex iuxta poſitione aquarum ad partes inæquales terræ, redditur æqualis circumferentia totius globi, vt exinde lineæ omnes ducibiles ad centrum Mundi ſemper erunt æqualis longitudinis, ac proindè globus euadit perfectè ſphæricus.

Quarto Notandum eſt, globum terrenum ambiri, complectique à rotunditate Cęli, & à Stellis, quæ in eo exiſtunt, circulari motu attingi, cum circa ipſum ferantur, nullo vacuo relicto, vt ſuperius demonſtratum eſt cum Ariſtotele; vnde hinc deduci neceſſe eſt, quod etiam globus terrenus ſit rotunditate præditus, alioquin impeditus maneret motus circularis globi cæleſtis, & ſtellarum in ipſo degentium, vacuumque relinquerent in eis partibus, quę rotunditate carrerent, quod ſenſui patere poterit, ſi ſphæra lignea, ſua circumferentia, ducatur circa figuram triangularem, vel quadratam, aut quadrangularem, ſiquidem inter angulum, & angulum, ac circumferentiam corporis circularis neceſſario daretur locus vacuus, ac perinde idem ſuccederet in motu circulari corporis cæleſtis, ſi globus terrenus foret alterius figuræ, quàm ſphæricæ, & rotundæ; quare vt vitetur vacuum, à quo valdè abhorret natura, concludendum eſt, Deum condidiſſe globum terrenum in eadem figura, qua Cęlum eſſe ſtructum videmus.

Ex his ſit prima Concluſio. Elementum terræ, vt ſolidum, & opacum exiſtit, fuit à Deo immediatè conditum, ſimul cum Cęlo, non ex nihilo per creationem, ſed ex materia prima per generationem. Colligitur ex Doctore ſubtili in 2.d.15.q.vn. & d. 17.q.1. vbi probat formas Cęlorum, & Elementorum non eſſe creatas ex nihilo, ſed eductas à Deo de potentia paſſiua materiæ. Probatur primo ex lib. Sapientiæ cap. 11. vbi ait Salomon: *Non enim impoſſibilis erat omnipotens manus tua, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuiſa.* Sed quod producitur ex materia inuiſa, non propriè creatur, verùm generatur, ſiquidem materia eſt ſubiectum vnicuique rei generabili, & corruptibili ex primo Phyſicorum t. 82. ergo orbis terrarum eſt à Deo conditus per generationem, & non per creationem propriè dictam ſecundo probatur, quia corpus naturale omne eſt generabile, & corruptibile, cùm conſtet ex materia, quæ eſt principium generationis, & corruptionis ex Ariſtotele primo Phyſic. t. 80. & 81. & 8. Metaph. t. 4 & 9. Metaph. t. 17. ſed elementum terræ eſt corpus naturale, vt communiter conceditur à Philoſophis, ergo eſt generabile, & corruptibile, ac proindè non creabile.

Secunda Concluſio. Elementum terræ, ſi per ſe conſideretur à cæteris diſcretum, eſt quidem circulare, non autem perfectè rotundum, ſi verò ſpectetur, vt vna cùm elemento aquæ conſtituit vnicum globum terrenum, eſt perfectè ſphæricum, ac rotundum. Eſt eorum Doctorum, quos retulimus l. 1. Meteorologicorum q. 10. Probatur prima pars primo tùm quia ex Ariſtotele tertio de Cęlo à t. 65. & ſequentibus elementa ſunt expertia figurarum, igitur, & figuræ rotundæ, ſeù ſphæricem perfectæ tùm etiam, quia licet Philoſophus in hoc lib. à t. 104. vſque ad finem Concluſerit contra Antiquos, terram eſſe figuræ ſphæricæ; non eſt locutus de ſphærico perfecto, vt elicitur & eius rationibus ibidem factis, ſed de imperfecto, vt coincidit cùm circulari, ſicut demonſtrauit etiam ſupra de rotunditate Cęli, ergo elementum terræ, vt ſecernitur à cæteris, eſt quidem circulari, non verò rotundum. Secundo probatur, quod habet cauitates, & montoſitates, non eſt perfectè ſphæricum, & rotundum, ſed elementum terræ eſt huiuſmodi, vt patet ad ſenſum de vallibus, & montibus, ergo &c. Maior probatur, quia illud dicitur propriè ſphæricum, cuius ſuperficies exterior eſt ſine aliqua aſperitate, & à cuius medio ad eandem lineæ ducibiles ſunt æquales, at quod habet cauitates, & montoſitates nequit eſſe huiuſmodi, ſiquidem montes faciunt aſperitates in ſuperficie exteriori, & valles prohibent ſimul cum montibus, ne lineæ ducibiles à medio ad circumferentiam ſint ęquales, ergo quod habet cauitates, & montoſitates nequit eſſe perfectè ſphericum, & rotundum. Secunda pars probatur, quia globus terrenus ex aqua, & terra compactus continetur ſub vna ſuperficie exteriori circulari, à cuius pun-

punctis lineæ, ducibiles ad centrum terræ ſunt ſemper æquales ex quauis parte ducantur, ergo globus terrenus ex terra, & aqua compactus eſt perfectè ſphæricus, & rotundus. Conſequentia tenet ex definitione figuræ Sphæricæ, ac rotundæ. Antecedens probatur, quia aqua, terræ iuxta poſita in eadem ſuperficie contenta, cauitates replet, & montoſitates adæquat, ergo globus terrenus ex terra, & aqua compactus continetur ſub vna ſuperficie exteriori à cuius punctis ad centrum mundi, ſeù terræ lineæ ducibiles erunt vndequaquè ſemper æquales. Confirmatur, quod ſphæricæ contiguum eſt, & circa quod ſphæricum mouetur, neceſſe eſt tale fore etiam ſphæricum ex Ariſtotele in hoc ſecundo lib. de Cœlo t. 30. ſed globus terrenus, ex aqua, & terra compactus, eſt huiuſmodi, ſiquidem aqua, & terra ſub vna ſuperficie contentæ, tangunt vndequaque ſuperficiem aeris, & hæc ſuperficiem ignis, & omnes continentur ſub Cœli ſuperficie concaua, quæ circulariter mouetur circa huiuſmodi globos ſeinuicem tangentes, ergo ſi aer eſt ſphæricus propter ignem, & hic propter corpus cæleſte, quæ ſe tangunt, etiam globus terrenus cum tangat corpus ſphæricum aeris, & circa ipſum circulariter feratur corpus cæleſte ſphæricum, de neceſſitate quoque erit ſphæricus. Alias rationes, & quidem efficaces, affert Ariſtoteles à t. 104. vſque ad finem libri, ad probandam hanc ſecundam partem Concluſionis, quas quiſque videre poterit in cap. 7. Paraphraſis textualis, pro nunc nobis ſufficiant iàm allatæ.

Obijcitur primo contra primam Concluſionem quia Geneſ. cap. 1. inquit Moyſes; In principio Deum creaſſe Cœlum, & Terram, atqui creatio eſt productio ex nulla præſuppoſita materia, ſed ex nihilo realiter, ergo terra non eſt immediate à Deo condita per generationem, verùm per creationem duntaxat.

Reſpondetur, maiorem eſſe veram accipiendo creationem largè, nempè pro productione alicuius de nouo, ſiue ſit ex nihilo, ſiue aliquo præſuppoſito, quia ſic ſtat cum generatione, ſiue productione eductiua formæ de materia prima, à Deo ex nihilo condita, falſam verò loquendo de creatione preſſe ſumpta, ſiquidem vt dicitur ſapientiæ cap. 11. Manus omnipotentis creauit orbem terrarum ex materia inuiſa, quæ non eſt niſi materia prima, ſeù informis, & inuiſa appellata, in Sacra Scriptura, & ſi fiat ſermo de hac creatione ſtrictè accepta, minor eſt vera, & Concluſio falſa, cùm materia fuerit ſubiectum generationis terræ, à Deo per generationem, conditæ.

Obijcitur ſecundo contra ſecundam Concluſionem probando, terram per ſe ſumptam eſſe perfectè ſphæricam, nàm omne corpus cuius partes circumferentiales æqualiter tendunt ad *medium, eſt perfectè ſphæricum*, ſed partes, circumferentiales terræ, vt diſcernitur à cæteris elementis, æqualiter tendunt ad medium mundi, quod eſt centrum terræ, ergo terra ſeorſim conſiderata ab aqua, ſibi contigua, eſt perfectè ſphærica. Maior patet, quia ſphęricum, ſiue rotundum perfectum eſt corpus, à cuius medio ad circumferentiam, ſi ducantur lineę ſunt omnes æquales Minor probatur, quia partes circunferentiales, ad medium tendentes per lineas breuiſſimas, ſunt omnes ęquales, ſiquidem vna non eſt longior alia, cum omnes ſint breuiſſimæ, ſed omnes partes circumferentiales terræ, per lineas breuiſſimas, tendunt ad medium mundi, nàm omnes ęque illud affectant, ergo partes circumferentiales terræ, tendunt ad medium mundi, ac proinde terra debet *eſſe corpus* perfectè ſphæricum.

Reſpondetur negando minorem, ſiquidem in vallibus, & montibus partes circumferentiales non ęqualiter tendunt ad medium terrę, cùm vna longius abſit à medio. Ad probationem dico, lineas ducentes partes circumferentiales terrę ad medium, eſſe quidem breuiſſimas omnes, quia rectę, & parallelę, quę dicuntur breues ad differentiam linearum circularium, ad inuicem concurrentium, quę longiores appellantur; non eſſe autem breuiſſimas, quoad longitudinem, quia vna poteſt eſſe longior alia. Et licet omnes partes terrę ęqualiter affectent coniungi medio, hoc eſt verum tantum in potentia, non autem in actu, ſicque exinde ſequitur, terram poſſe eſſe perfectè ſphęricam, non verò modo talem exiſtere.

Obijcitur tertio quia corpus, quod ſphęrico

rico contiguum eſt, & ipſum debet eſſe ſphęricum, alioquin non eſſent contigua, quia non per omnia ſe tangerent, ſed elementum terrę eſt contiguum elemento aquę, quod eſt perfectè ſphęricum, ſiquidem ſuperficies aquę ſphęrica eſt ex Ariſtotele in hoc 2. lib. t. 30. & t. 31. ergo ex terra debet eſſe pariter ſphęrica, ac eſt aqua.

Reſpondetur maiorem eſſe veram de contiguitate duorum corporum ſecundum omnes partes, non verò ſi ſe tangant tantum ſecundum aliquas, quia ſic vnum poterit eſſe perfectè ſphęricum, alio imperfectè exiſtente, vt patet de duabus ſphęris ligneis, quarum vna ſuperponatur alteri, ſi inferior in aliqua parte deficeret. Ad propoſitum ſic ſe haberent elementa terrę, & aquę, ſi hoc illi ſuperponeretur, & illud ambiret, ſiquidem terra cum deficiat in illis partibus, quę valloſę, & montoſę apparent, comparatę ad eas, quę ſunt ęqualis circumferentiæ, non poſſet adæquatè tangere omnes partes concauitatis aquę, atque proinde ſuperficies concaua aquę, quamuis ſphęrica non poſſet arguere ſphęricitatem perfectam ſuperficiei conuexę ipſius terræ, cùm hæc ſecundum omnes partes circumferentiales minimè contigua foret partibus aquę. Neque ſuppoſitio, quàm facit Ariſtoteles de ambitu aquę circa terram vrget, cùm loquatur conditionaliter, ſit rem ſe habere, vt patet ex contextu, vbi inquit, *Si enim aqua eſt circa terram*: En quomodo conditionaliter, & dubie loquitur? vt nobis innuat quidem ſphæricitatem terrę, ſi totaliter ambiretur à ſuperficie concaua ipſius aquę, non verò ſimpliciter, & abſolute, cùm ſuperficies terrę in quibuſdam partibus ſit inæqualis, vt dictum eſt.

Vel dicendum minorem eſſe abſolute falſam, ſiquidem aqua eſt minor terra, ac propterea non poteſt illam ambitu ſuo continere, neque illi contiguari ſecundum omnes eius partes, verùm duntaxat ſecundum aliquas, adeò vt ex duobus elementis vnus fiat globus, qui ſub eadem ſuperficie contineatur, contiguuſque ſit elemento aeris, à quo etiam ſphæricus oſtendatur. Neque iuuat opponere, quòd Ariſtoteles demonſtret, ſuperficiem aquæ eſſe ſphæricam; quandoquidem loquitur, vel de globo terreno compacto ex aqua, & terra, cuius ſuperficies eſt ſphærica, vt probatum eſt, vel ſi loquatur de aqua, vt ſecernitur à terra, intelligendum eſt de ſphæricitate in aptitudine, vt ibidem oſtendit apertè, non autem de ſphæricitate in actu, ſicut nos loquimur, quia ſic aqua non eſt ſphærica, niſi cùm contineatur vna cum terra ſub eadem ſuperficie, & ex eis ſit compactus globus terrenus.

Obijcitur quartò contra ſecundam partem eiuſdem concluſionis; tùm quia nos oppoſitum concluſimus in primo lib. Meteorolog. diſp. prima q. 10. Concluſione 4. ex eleuatione montium, ac depreſſione vallium quæ conſpiciuntur in globo terreno ex terra, aquaque compacto tùm etiam, quia huiuſmodi globus non habet idem centrum magnitudinis cùm centro Vniuerſi, ſiue grauitatis terræ, ergo lineæ ductæ ex ſuperficie huius globi ad centra diuerſa non erunt æquales, ac proindè non poterit eſſe perfectè ſphæricus.

Reſpondetur negando conſequentiam. Neque oppoſitiones adductæ trahunt nos in contradictionem, quandoquidem in præcitato loco Meteorologicorum, accepimus globum, quamuis compactum ex terra, & aqua, ſecundum partes ſingulas, ſecundum quas aliquæ ſunt inæquales in elatione, & depreſſione, vt ſupponit argumentum; in præſenti verò ſumimus globum terrenum ſecundum partes vniuerſales penes quas, & ſimiles, globus continetur ſub vna, & eadem ſuperficie, continente vtrumque elementum, eſtque centrum vniuerſi, à quo ad circumferentiam lineæ ducibiles ſemper ſunt æquales, & hunc dicimus eſſe exactè ſphæricum, illum verò imperfectè rotundum, modò contradictio eſt ad idem, ſecundum idem, ſimiliter, & in eodem tempore. Neque ſecunda oppoſitio quicquam faceſſit, quia licet globus terrenus priori modo ſumptus non habeat idem centrum magnitudinis cùm Vniuerſo propter elatas, ac depreſſas terræ partes, vt ſupponitur, ac opponitur in citato loco; verùm hoc dici nequit de globo poſteriori modo accepto, ſiquidem elementum aquæ, appoſitum terræ, replet ſuas cauitates, & adæquatè partes elatas eiuſdem, adeò vt comprehendantur ſub vna, & eadem ſuperficie æquabiliter, à cuius par-

partibus ad partes circumferentiales vniuerſi, lineæ ſi ducantur erunt ſemper ęquales, ac proinde fiet, vt ſit vnum, & idem centrum magnitudinis, licet non grauitatis, & globi terreni ac Vniuerſi, nullaque ſit contradictio in Doctrina à nobis tradita hic, & in Meteoris.

Obijcitur Quinto ſi globus terrenus eſſet ſic exactè, ac perfectè ſphæricus, ſequeretur Solem in ſui Ortu, & Occaſu debere apparere nobis in ſuperficie arcuali, cum dimidia illius pars ſectatur ab eo, ſed falſitas patet ad ſenſum, quia apparet ſecundum ſuperficiem diuiſam rectam, ergo dicendum eſt globum terrenum non eſſe ſic exactè ſphæricum. Sequela maioris probatur à ſimili de Luna ecclypſante Solem ſecundum medietatem, ex eo enim quod Luna eſt corpus ſphæricum, cum obſcurat medietatem Solis, facit ipſum apparere in tali diuiſione ſecundum figuram arcualem, ergo ſic deberet apparere Sol in Ortu, & Occaſu, ſi globus terrenus ipſum diuidens eſſet perfectè ſphæricus, quod tamen eſt falſum.

Reſpondetur concedendo ſequelam maioris, & eius probationem, ſiquidem ſecundum veritatem dùm Sol in ſui Ortu, & Occaſu ſecundum medietatem nobis abſconditur, lineam deciſionalem habet in figura arcuali, licet propter nimiam diſtantiam recta nobis appareat, quandoquidem curua, à remotis conſpecta, recta apparent nobis, quàmuis in rei veritate curua exiſtant, ſic reſpondet Ariſtoteles in t.76. Soluendo rationes Antiquorum, qui negabant rotunditatem terræ.

Vel dicendum negando ſequelam maioris, globus namque terrenus nil facit, ad hoc quod Sol Oriens, & Occidens apparere debeat ſecundum lineam deciſionalem arcalis, ſiue circularis, vel rectus, ſiquidem hoc habet ab Horizonte noſtro, qui cùm cadat, ſuper planitie figuræ circularis Solis, ipſum diuidit ſecundum lineam rectam, ſecundum quam in rei veritate à nobis videtur, dùm Oritur, & Occidit; circulus enim cadens ſuper planitie alterius circuli ipſum diuidit, ac ſecat per lineam rectam in duas medietates ſemicirculares, vt demonſtrant Mathematici. Neque iuuat exemplum de ecclypſi Solis per Lunam, quia non ſecat Solem per lineam circularem ſuper ipſo cadendo, ſicut faceret globus terrenus ſi illum ſecaret, ſed ſolum per iuſta poſitionem planitiei Lunaris ad planitiem Solis, quare mirum non eſt, ſi Sol in ſui ecclypſi appareat circularis penes lineam deciſionalem, cum diuidatur per lineam circularem Lunæ illi iuxtà poſitam, non autem per lineam circularem globi terreni, quia Solem ſecaret ſuper ipſo cadendo ad inſtar circuli ſuper planitie alterius circuli.

Vtrum Terra, ſiuè Globus terrenus in medio Vniuerſi, vt in ſuo loco ad inſtar puncti exiſtat?

QVÆSTIO II.

Terram non eſſe locatam in medio Mundi vt in centro ſuæ magnitudinis, ſuſtinent nonnulli, alioquin deberet eſſe tota cooperta aquis; ſiquidem ſecundum ſuas partes exteriores vndique foret æqualiter diſtans à Cœlo, & aquæ non haberent, vndè plus fluerent ad vnam partem, quàm ad aliam, cùm non magis inuenirent locum decliuiorem in vna parte, quàm in alia, cuius oppoſitum quàm falſum ſit patet ad ſenſum. Cæterùm ſi ſermo ſit de centro grauitatis, affirmant terram eſſe collocatam in medio Mundi, adeò vt vnum & idem ſit centrum terræ & Mundi. Ita Albertus de Saxonia lib. 2. de Cœlo q. 25. art. 1. quem videtur ſequutus Antonius Ruuius lib. 3. de Cœlo cap. 8. q. 2. aſſertione 1. & 2.

Alij oppoſitum docent de centro grauitatis Mathematicè conſiderato, illudque concedunt ſi phyſicè attendatur. Ita ſalas p. 2. tract. 10. Diſp. 6. ſect. 3. Hurtado de Cœlo diſp. 3. ſect. 5. ſubſect. 2. Arriaga, & alij, quos refert, ac ſequitur Maſtrius diſp. 4. de Cęlo q. 4. art. 2. nu. 108. & 110. contra Ruuium, & Albertum de Saxonia citatos.

Alij verò ſumentes terram pro globo terreno ex ipſa terra, & aqua compacto, aſſerunt illum conſiſtere in medio vniuerſi, quoad vtrumque centrum, magnitudinis, & grauitatis. Ita Conimbricenſes lib. 2. de Cęlo cap. 14. q. 3. art. 2. Fernelius in ſua Coſmotheoria lib. 1. cap. 1. Timplerus in ſua Apſychologia cap. 4. Probl. 8. VVitte-

clin-

chindus in ſua ſphæra p. 93. & 94. ac ſequentibus ab eodem Timplero relatis.

Circa ſecundam partem pariter diſſident Doctores; nam aliqui ſuſtinent terram, relatam ad Cœlum ſtellatum, habere rationem puncti phyſicè conſiderati, non autem mathematicè ſumpti.

Alij verò vtrumque abſolutè negant, cũ globus terrenus tantæ magnitudinis exiſtat, vt comparatus etiam ad Aplanem, ſeù Firmamentum nullo pacto rationem puncti ſubire poſſit. Ita nonnulli, quos ſine nomine recenſet Clemens Timplerus loco citato Problemate nono.

Quid autem ſit nobis reſpondendum ad vtramque difficultatem, (de quarum priore alias nonnulla tetigimus in Meteoris lib. 1. diſp. 1. q. 10. quæ præſertim conducere poſſent ad eius ſolutionem) quibuſdam prænotatis, noſtram aperiemus ſententiam: Quapropter igitur.

Primò Notandum eſt, hic non ſumi terram, vt conſtituit vnum globum imperfectè ſphæricum, ab aqua ſeiunctum, ſed pro globo terreno ex ipſa, & aqua compacto: Neque pro iſto, vt complectitur ſingulas eius partes ſeorſim conſideratas, quia ſic eſt imperfectè rotundus, vt alias adnotauimus, verùm quatenus ſub vnica ſuperficie concaua, & conuexa ambit omnes partes vniuerſales vtriuſque elementi, quia ſic eſt corpus exactè ſphæricum, cum ab eius partibus circumferentialibus ad omnes circumferentiales partes Vniuerſi, ſi ducantur lineæ rectæ ſemper erunt æquales, ſicut etiam æqualiter diſtabunt eius partes circumferentiales ab illius centro magnitudinis, & hunc globum terrenum, ſic acceptum, dicimus eſſe collocatum in medio Vniuerſi, cùm omnes eius partes circumferentiales æqualiter diſtent à partibus circumferentialibus Vniuerſi.

Secundò Notandum, ex obſeruatis alias in Meteoris libr. 1. diſp. 1. quæſt. 10. corporum grauium duplex poſſe aſſignari centrum ſcilicet magnitudinis, & grauitatis. Prius dicitur eſſe illud punctum, à quo omnes lineæ rectæ, ductæ ad circumferentiam, ſunt æqualis magnitudinis. Poſterius verò eſt punctum, per quod facta diuiſione alicuius lineæ, partes eiuſdem ſunt æqualis ponderis. Exemplum ſit in pila plumbea, quæ ſi diuideretur per octo partes æquales, haberet idem centrum & magnitudinis, & grauitatis, ſiquidem partes eſſent æquales in magnitudine, & pondere. Si verò pila eſſet compacta ex duabus medietatibus, quarum eſſet plumbea vna, & altera lignea, haberet quidem centrum magnitudinis, cùm partes eſſent æquales in magnitudine, grauitatis autem nequaquam, quia partes plumbeæ plus ponderarent, quam ligneæ. Ex his infertur, globum terrenum, cùm ſit compactus ex terra, & aqua, quæ ſunt difformes in grauitate, vt docet Ariſtoteles lib. 4. de Cœlo à t. 27. & 32. ac ſequentibus, habere quidem centrum magnitudinis compenetratum medio Vniuerſi, non autem centrum grauitatis, ſi quidem partes globi onuſtæ aquis non æquè ponderant, ſicut eiuſdem partes aquis exoneratæ, ac proindè reſpiciunt diuerſa centra grauitatis; cæterum cum omnes contineantur ſub vna ſuperficie, vndique æqualiter diſtante à ſuperficie circumferentiali concaua Vniuerſi, ſequitur vt omnes reſpiciant idem centrum magnitudinis in medio Vniuerſi; ſicque fit vt globus terrenus, quoad magnitudinem ſit locatus in medio eiuſdem Vniuerſi.

Tertiò Notandum eſt, globum terrenum eſſe ſicut punctum reſpectu Cœli, poſſe dupliciter intelligi, vno modo ſumendo globum abſolutè, & punctum mathematicè; alio modo accipiendo globum comparatè ad Cœlum, & punctum phyſicè. Si priori modo attendatur, globus terrenus nequit eſſe punctus reſpectu Cœli, cùm ſit diuiſibilis, & habeat magnitudinem conſiderabilem, vt docent Mathematici Geographi, punctus verò expers magnitudinis, & indiuiſibilis mathematicè. Si verò poſteriori pacto conſideretur, vtique globus terrenus poterit habere rationem puncti phyſicè ſumpti, in comparatione ad Cœlum ſtellatum; tùm quia ſi poneretur infra latitudinem Cœli ſtellati, quamuis eſſet lucidus, vt Aſtrum, ob ingentem diſtantiam ab aſpectu noſtro, aut non videretur à ſtellis diſcretus, aut tam exiguus appareret, vt eſſet ſicut punctus in ſuperficie fixus: tùm etiam, quia ſicut minima ſtella eſt maioris magnitudinis, quam globus terrenus, (ſi fidē Mathematicis opticis adhibere velimus,) & multæ nos latent

ob longiſſimam diſtantiam à noſtris aſpectibus, quantò magis nos latere poterit huiuſmodi globus terrenus, & ad inſtar puncti vix videri, ſi ad Cęlum ſtellatum comparetur? Ex quibus infertur, quod globus terrenus in medio Mundi locatus, ſit tam exiguæ magnitudinis, vt in comparatione ad tam ingentem molem Vniuerſi, rationem puncti, ſaltem phyſicè ſumpti, ſubire poſſit.

Ex his ſit prima Concluſio. Globus terrenus eſt collocatus in medio Vniuerſi, vt in centro magnitudinis, non autem grauitatis, Eſt contra Doctores relatos in prima & tertia ſententia. Probatur prima pars, quia globus terrenus eſt perfectè rotundus, ac ſphæricus, adeò vt à centro magnitudinis Vniuerſi ad omnes partes circumferentiales, lineæ ducibiles ſint æqualis magnitudinis, vt probatum eſt in præcedenti quæſtione, ergo centrum magnitudinis Vniuerſi eſt pariter centrum magnitudinis huiuſmodi globi terreni. Conſequentia patet ex definitione centri magnitudinis. Secundò probatur, quia globus terrenus ſi non ſit collocatus in medio Vniuerſi, igitur erit ſitus extra medium, ſed hoc non eſt dicendum, ergo erit in medio illius. Conſequentia eſt notiſſima. Minor probatur, nam ſi extra medium collocatus exiſtat, aut eſt in plano Æquatoris, aut in Axe Mundi, aut inter Axem, & planum Æquatoris, ſiquidem extra medium Vniuerſi nullus alius locus aſſignari poteſt, in quo vt in centro locari poſſit, cum ſit de ſua natura grauis, ſed in nullo iſtorum locari poteſt, vt latè demonſtrant Aſtrologi, & præſertim Vvitechindus in ſua Sphæra p. 94. & ſequentibus, relatus à Timplero in ſua Apſychologia cap. 4. de Elementis Problemate octauo ergo de neceſſitate debet eſſe collocatus in medio, ideſt in centro magnitudinis Vniuerſi. Secunda pars probatur, quia centrum grauitatis eſt punctus diuidens partes corporis grauis æqualis ponderis ex ſecundo Not. ſed in globo terreno compacto ex terra, & aqua nequit dari punctus, qui ſit centrum magnitudinis ſimul, & grauitatis, ergo globus terrenus nequit eſſe locatus in medio Vniuerſi, vt in centro ſuæ grauitatis. Minor patet, quia partes aquæ minus ponderant, quam partes terræ, cum ſint minus graues, vt docet Ariſtoteles in libro quarto de Cœlo t. 27. & 32. cum habeant aliquid leuitatis admixtum, partes verò terræ ſint ſimpliciter graues, ac leuitatis omnis expertes, ergo medium magnitudinis eiuſdem globi, nequit eſſe etiam medium grauitatis illius, ac proindè non erit locatus in medio Mundi, vt in medio grauitatis eiuſdem globi terreni.

Secunda Concluſio. Globus terrenus, exiſtens in medio Vniuerſi, vt in centro ſuæ magnitudinis, ſi comparetur ad Cœlum ſtellatum, eſt ſicut punctus *Phyſicus*, non verò Mathematicus. Eſt communis omnibus Philoſophis, & *Mathematicis*. Probatur prima pars, quia globus terrenus eſt centrum Vniuerſi, cum ab ipſius partibus circumferentialibus, ad partes circumferentiales illius, lineæ rectæ ſi ducantur vndique erunt æquales, ſed centra habent omnia rationem puncti, ſiue Phyſici, ſiue Mathematici, *ergo globus* terrenus, comparatus ad *Cœlum ſtellatum*, & Vniuerſum habebit rationem puncti, non Mathematici, vt mox probabimus, ergo Phyſici. Secundò probatur, quia quælibet ſtella fixa, & minutiſſima, eſt maior in magnitudine tota terra, vt ab Aſtronomis demonſtratur, ſed quæuis illarum ita minuta apparet, vt in comparatione ad totum Cœlum, videatur ſubire rationem puncti Phyſici, ergo multò *magis id* iudicandum erit de tota terra, ſeu globo terreno, in comparatione ad Cœlum ſtellatum. Secunda pars probatur, quia punctus Mathematicus eſt expers magnitudinis, & indiuiſibilis formaliter, ſed globus terrenus abſolutè ſumptus, non eſt expers magnitudinis, & indiuiſibilis, ergo nequit eſſe ſicut punctus Mathematicus. Maior patet ex definitione puncti Mathematici. Minor verò eſt notiſſima ad ſenſum, & etiam apud Geometras, qui fatentur ambitum circumferentialem terræ dimetiri viginti ſeptem millibus, & quingentis milliaribus Italicis, & quinquies mille quingentis Germanicis, ergo cum globus terrenus non ſit expers magnitudinis, & indiuiſibilis, dicendum eſt non poſſe ſubire rationem puncti Mathematici, verùm duntaxat Phyſici, vt probatum eſt.

Obij-

Obijcitur primò contra primam Concluſionem, quia quod eſt fundamentum Vniuerſi, non eſt in eius medio collocatum, ſiquidem fundamentum non eſt pars media, ſed vltima pars ædificij, vt experientia teſtatur, atqui globus terrenus eſt fundamentum Vniuerſi, quandoquidem ſuper ipſo fundatum eſt totum ædificium Mundi, ergo nequit eſſe in medio Mundi ſitus, & locatus.

Reſpondetur negando maiorem Vniuerſaliter, ſiquidem idem poteſt eſſe medium, & fundamentum ad aliud, & aliud comparatum. Ad probationem dicimus, veram eſſe de ædificio non ſphærico, cuiuſmodi ſunt ædificia domorum, nauium, & aliarum rerum artificialium, falſam verò de ædificijs ſphæricis, ſiquidem in ijs, idem eſt medium, & fundamentum, media, & vltima pars, quæ vocatur centrum, & baſis totius corporis ſphærici. Modò cùm globus terrenus ſit perfectè ſphæricus, bene poterit eſſe ſimul fundamentum, ſuper quo recumbit tota moles Vniuerſi, & medium, ſiuè centrum Mundi, à quo lineæ rectæ, ductæ ad circumferentiam Vniuerſi, ſunt æquales magnitudinis.

Obijcitur ſecundò, quia ſi globus terrenus eſſet ſituatus in medio Mundi, ſequeretur terram, & aquam eſſe nobiliſſima elementorum, ſed hoc eſt omninò falſum, cùm terra ſit fex omnium elementorum, ergo &c. Sequela maioris probatur, nam ideò cor obtinet medium humani corporis, & Rex medium Regni, quia illud excellit cætera membra, & hic cæteros habitatores in dignitate, & nobilitate, ergo ſi globus terrenus, compactus ex aqua, & terra ſituatus ſit in medio Vniuerſi, ſequitur terram, & aquam excellere aerem, & ignem in nobilitate, & dignitate; quod tamen eſt falſum, quia ignis eſt nobilior cæteris.

Reſpondetur negando ſequelam maioris. Ad cuius probationem dicimus non eſſe ſimile de corde in humano corpore, & Rege in Regno; ſiquidem hæc ponuntur in medio, vt poſſint commodiùs, & faciliùs agere influendo, hic in omnes partes Regni, & illud in omnia membra corporis humani; terra verò, & aqua in medio Vniuerſi locantur, vt faciliùs pati poſsint à cæteris elementis, & elementatis recipiendo eorumdem ſuperfluitates: modò agere arguit quidem nobilitatem, & excellentiam in agente, non verò pati, & recipere in patiente.

Obijcitur tertiò contra eandem, probando globum terrenum non eſſe collocatum in medio Vniuerſi, vt in centro ſuę magnitudinis, quia ſi demitterentur aqua, & terra per eamdem lineam rectam, ratione ſuarum grauitatum, affectarent idem centrum grauitatis, demiſsiùs tamen terra deſcenderet, quàm aqua, cùm ſit grauiſsima, & hæc tantum grauis, ergo globus, ex terra, & aqua confectus, non obtineret idem cētrum magnitudinis, ſicut nec grauitatis, atqui centrum grauitatis terræ eſt centrum magnitudinis Mundi, ergo globus terrenus non eſt in medio Vniuerſi, vt in centro magnitudinis. Antecedens conceditur à nobis in libr. 1. Meteorologicorum diſp. 1. q. 10. reſpondendo ad primam obiectionem, & gloſando illam regulam Clauij in cap. 1. ſuæ ſphæræ poſitam. Conſequentia tenet, quia ratione terræ lineę ductæ à centro ad circumferentiam eſſent longiores, quam illæ, quæ ducerentur ratione aquæ cuius centrum eſſet eleuatiùs centro terræ. Aſſumptum pariter communiter conceditur ab omnibus.

Reſpondetur negando conſequentiam, ſiquidem ſupponitur in antecedenti terram, & aquam conficere duos globos, ſicut reuera faciebant in primordio ſuæ conditionis; verùm ſuppoſitio eſt falſa, cùm poſt ordinationem Diuinam conglobatæ exiſtant ſub eadem ſuperficie, qua de cauſa, cùm vna nequeat demiſsiùs deſcendere, quam alia, reſtat vt ſit vnum, & idem centrum magnitudinis Mundi, ac huius globi terreni, ex aqua, & terra confecti, ac proindè exiſtat in centro Mundi, vt in medio magnitudinis Vniuerſi.

Obijcitur quartò. Nam ſi terra, quoad centrum ſuæ magnitudinis eſſet in medio Vniuerſi, ſequeretur illam debere eſſe totam coopertam aquis, cuius oppoſitum tamen experimur, ergo potius dicendum non exiſtere in medio Vniuerſi quoad centrum ſuæ magnitudinis. Sequela maioris probatur, nam cum ſit ſphæricæ figuræ, vndiq; quoad ſuas partes exteriores æqualiter diſtaret à Cœlo, & aquæ non habe-

rent vnde plus fluerent ad vnam partem, quam ad aliam, cùm non magis inuenirent locum decliuiorem in vna parte, quam in alia, ergo deberet eſſe tota cooperta aquis.

Reſpondetur conſequentiam, cum ſua probatione habere locum, ſi terra foret vnicus globus ab aqua diſcretus; modò cum teneamus vtramque conficere vnicum globum ſub eadem ſuperficie contentum, ſicut non valet conſequentia, ſic nec illius probatio quicquam faceſſit, aqua non habente vnde plus fluere poſſit extra lineam, ſuperficiemque, circumferentialem illius globi, ex ipſa, & terra confecti.

Obijcitur quintò contra ſecundam partem eiuſdem concluſionis, quia omne graue tendit ad centrum ſuæ grauitatis, & in illo exiſtit, ac quieſcit, vt probat Ariſtoteles in textu de partibus terræ, quarum vna compellit aliam, vt tandem centrum, quod affectant, omnes acquirant, ſed globus, ex terra, & aqua compactus, eſt grauis, ergo omnes eius partes tendunt ad centrum grauitatis, quod eſt medium Mundi, & in illo quieſcunt, ac proinde totus globus, cùm idem ſit locus totius, & partis ex Ariſtotele in hoc 2. libr. de Cœlo t. 98. 99. & 100.

Reſpondetur maiorem eſſe veram de omnibus grauibus, habentibus eandem grauitatem æquabilem, falſam ſi habeant grauitates diſformes, & inæquabiles, quia non tendunt ad vnum, & idem centrum grauitatis, verùm ad diuerſa; modò globus terrenus, quamuis ſit totus grauis, quia tamen eius partes ſunt diſformes in grauitate; (terra enim eſt grauiſſima, & aqua minus grauis) non poterit propterea obtinere vnum, & idem centrum grauitatis in medio Mundi, ſed aliud, & aliud ratione partium; & cùm huiuſmodi partes ſint in vnum conglobatæ, ſequitur neutram habere poſſe exiſtentiam in medio Mundi, vt in centro grauitatis, verum duntaxat in illo, vt in centro magnitudinis.

Obijcitur ſextò contra ſecundam Concluſionem, quia Luna non ſe habet ſicut punctus reſpectu Cœli ſtellati, & tamē Luna eſt minor terra, ſiue globo terreno, ergo multò minùs terra, ſeu globus terrenus poterit ſe habere ſicut punctus reſpectu Cœli ſtellati. Maior patet, quia Luna à nobis videtur diuidua, & habens magnitudinem, ergo non ſe habet ſicut punctus. Minor ſimiliter, quia terra interpoſita inter Solem, & Lunam hanc ecclypſat, & obſcurat, quod non accideret ſi Luna non eſſet minor terra, ſeù globo terreno.

Reſpondetur totum eſſe verum de puncto mathematicè ſumpto, non verò phyſicè accepto, quia ſic Luna, & globus terrenus, ſi ponerentur in Aplane, aut non viderentur à nobis, aut vix ſicut punctus apparerent; ob ingentem diſtantiam, & exiguitatem magnitudinis in comparatione ad Cœlum ſtellatum; quare maior eſt neganda, loquendo de puncto phyſicè conſiderato, & de Luna attenta in comparatione ad magnitudinem Cœli ſtellati, quia poteſt ſubire rationem puncti.

Vtrum Terra, ſiue Globus Terrenus in medio Vniuerſi ſine omni fulcro, & baſi immobiliter exiſtat, & quieſcat?

QVÆSTIO III.

Circa priorem partem huius quæſtionis nulla apparet controuerſia, ſiquidem terra, cum ſit vltima Mundi pars, & infra ſe nullum aliud corpus, cui inniti poſſit, ſuſtineaturque, habeat, ſequitur de neceſsitate illam detineri ſuapte natura, in infimo Mundi loco abſque omni fulcro, & ſuſtentaculo. Verùm circa poſteriorem eiuſdem partem fuit olim Antiquorum opinio, vt refert Ariſtoteles in hoc ſecundo libro de Cœlo Sum. 4. capit. 2. t. 75. exiſtimantium terram circulariter cieri circa medium Vniuerſi, quam opinionem; (ni meliùs dixerim errorem contra ſenſum) non multis ab hinc annis receſuerunt Copernicus, Gulielmus Gibertus, Galilæus, & alij ex Mathematicis Modernis, relati à Maſtrio de Cœlo diſp. 4. quæſt. 4. art. 3. numer. 112. aſſerentes, ipſam moueri circulariter, nedùm circa medium, verùm ſpatio viginti quatuor horarum cieri ab Ortu in Occaſum, immotis manentibus ſphæris Cœleſtibus. Andreas Cæſalpinus in ſuo Peripato. libro 3. quæſt. quarta, & Baſſonus libro primo de Cœlo Intent. 3. art. 6. ibidem relati negant ei motum tam celerem, & velocem viginti quatuor horarum, tribuuntque illi alium tardiſſi-

diſſimum pariter ab Ortu ad Occaſum ad inſtar illius, quem ab Occaſu in Ortum aſſeruit Ptolomæus conſpici in Cęlo ſtellato.

Verùm oppoſita ſententia de omnimoda immobilitate Terrę eſt ſic canonizata in Philoſophia, & Theologia, poſt Ariſtotelem in hoc ſecundo libr. de Cęlo ſumm. 4. cap.5. vt contraria de mobilitate locali, & circulari ſit penitus confiĉta in Eccleſia Catholica, per Decretum Sacræ Congregationis Indicis, emanatum Romæ ſub die 5. Martij 1616. damnata per Sacram Scripturam, pluribus in locis adducendam, confutata in omnibus Scholis Philoſophicis, & Theologicis, profligata rationibus, euerſa experientijs, ac ſenſibus, & demùm tanquam periculoſa in fide ferè ab omnibus iudicata. Ab hac recedentes igitur & nos, communem de immobilitate terræ, eiuſque quiete in medio Mundi cum Ariſtotele loco citato conformare conabimur quibuſdam de more prænotatis.

Primò ergo notandum eſt, terram exiſtentem in medio Mundi moueri poſſe, intelligi poteſt tripliciter, vel motu terminato ad qualitatem, vel ad quantitatem, vel ad vbi, hoc eſt dictu, aut motu alterationis, aut augmentationis, & diminutionis, aut ſecundum locum. Si de duobus prioribus ſit ſermo, certum eſt moueri poſſe, ſiquidem habet contraria ſibi applicata, nempe aquam per humiditatem quæ contrariatur eius ſiccitati, aerem per caliditatem, quæ opponitur illius frigiditati, à quibus alterari poteſt per receptionem qualitatum contrariarum, & diſconuenientium ſuæ naturæ; ſimiliter ſecundum partes augeri, diminuique poteſt, per eleuationem môtium, & depreſſionem vallium, vt experientia teſtatur, quandoquidem vbi erant cauitates, nunc adſunt planities per caſum alicuius montis; & vbi aderat planities modò apparet elatio per eleuationem alicuius collis. Si verò fuerit intellectus de motu ſecundum locum, hoc poterit accidere, vel ſecundum motum rectum, vel ſecundum circularem, itaut tota terra moueatur ſecundum ſuam grauitatem deſcendendo ad ſuum centrum, vel tota circa centrum proprium, & intrinſecum cieatur, vel cieatur circa extrinſecum, & alienum, qualiter eſſet medium, vel centrum Mundi, & de hoc potiſsimùm motu circulari eſt difficultas in præſenti quæſtione; ſiquidem de recto nequit eſſe diſsidium, cùm hic agatur de tota terra exiſtente in medio Mundi, ſub quo nullus alius reperitur locus in quem poſſet recta deſcendere.

Secundò Notandum eſt, terram moueri circa centrum Vniuerſi, in quo collocata exiſtit, poſſe tripliciter intelligi, vel motu diurno ab Oriente ad Occidentem, aut retrogrado ab Occidente ad Orientem, aut medio, ſeù meridionali ab Auſtro ad Septentrionem, nō enim reperiri poteſt aliud ſpatium, ſuper quo fieri poſsit motus circularis circa centrùm Mundi: Non enim moueri poſſet motu diurno ab Oriente, ad Occidentem, quia ſic nec poſſent ſaluari oppoſitiones, & coniunctiones Planetarum, nec Ecclypſes Solis, & Lunæ, quæ fiunt per motum circularem cœleſtium corporum, quæ tamen quieſcerent, ſi terra circulariter moueretur motu diurno ab Oriente in Occidentem: Neque motu tardiſsimo cieri poſſet ab Occidente in Orientem, quia cum non moueatur circulariter ex ſua natura, non poſſet reperiri Motor, à quo raperetur: aer enim, & ignis cum ſint ſuapte natura leues non poſſent illam trahere ad motum circularem, ſed tantum ad motum ſurſum: Et licet contingit illos moueri circulariter per coniunctionem, quam habent cum corpore cœleſti, hoc non poſſet accidere, quia tunc quieſcerent omnia corpora cœleſtia, vt fatentur Aduerſarij, Neque tandem moueri poſſet motu circulari ab Auſtro ad Septentrionem ſuper polos proprios, quia tunc non ſemper appareret polus eleuatus, cuius oppoſitum docet experientia, ſupereſt igitur, vt concludamus non poſſe terram, aut globum terrenum cieri circulariter circa centrum, ſed manere, & quieſcere immobiliter in medio Vniuerſi, vt docet Ariſtoteles, & cum illo ſecunda ſententia.

Tertiò Notandum eſt ex Ariſtotele lib.3. de Cœlo t.18. & 19. motum, & quietem ſe conſequi pariformiter, itaquod motum naturalem conſequitur quies naturalis, veluti perfectio mobilis, & motum violentum quies violenta, ſed non tanquam per-

perfectio illius, quod vi detinetur; & ratio diſparitatis eſt, quia motus naturalis eſt ſecundum inclinationem mobilis ad locum in quo quieſcit, & cum nil aliud affectet, dicitur perfici in tali conſiſtentia, & quieſcentia; verùm quia motus violentus eſt contra inclinationem mobilis ad locum, vbi vi detinetur, non poteſt perfici à tali conſiſtentia, & quieſcentia, ſiquidem aſſectat, ac deſiderat locum, quò naturaliter tendit, modò deſiderium, & ſpes non eſt ſine imperfectione aliqua: Si verò reperiatur mobile, quod cieatur, nec ſecundum inclinationem, nec contra ad aliquem locum, ſi quandoque quieſceret in illo, oportebit dicere, illud nec perfici, nec imperfectionem recipere à tali quiete, ſed neutraliter ſe ibidem habere, ſicut neuter eſſet motus per quem moueretur. Ad propoſitum, cùm terra, ſeù globus terrenus naturaliter tendat ad medium Mundi, vti graue ad ſuum locum, ſequitur ſi illud fuerit aſſequutus, quod ibi naturaliter quieſcet, conſiſtatque, vltimamque perfectionem ſe recepiſſe, per talem quietem, demonſtret, alioquin ſi moueatur, ob alium finem, quem non poſſidiſſet, oſtendere deberet, quem tamen hucuſque adæquatè ſaltem, non potuerunt excogitare Aduerſarij: Cæterùm quia Cœlum, nec naturaliter, nec contra, aut præter naturam mouetur, ſed tantum neutraliter, dato, & non conceſſo, quod quieſcat, vt delirant Aduerſarij, nullam perfectionem, aut imperfectionem poſſet ſibi acquirere, aut timere, verùm neutraliter ſe habere per talem ſomniatam quietem. Ex his infertur, quod quemadmodum propter aliquā perfectionem acquirendam, (quæ tamen nulla eſt) non eſt aſſerendum, Cœlum potius quieſcere, quam moueri circulariter, terramque moueri ab Oriente in Occidentem motu diurno, ſic non eſt deneganda quies, & immobilitas terræ in medio Mundi, vbi locata exiſtit, ni velint tali perfectione illam deſtituere, quæ per quietem naturalem ſibi naturaliter conuenit.

Quartò Notandum eſt, Cœlos moueri à Deo, mediantibus Intelligentijs, vt ſupra concluſum fuit, non vt per tales motus quicquam perfectionis ſibi acquirere debeant, verùm vt per ſuos influxus, perfectionem in his ſublunaribus diffundant ad omnium viuentium, & potiſſimum animantium vtilitatem, quam certò amitterent, ſi perpetuò quieſcerent: motus enim licet non ſit cauſa effectiua qualitatum diſponentium hæc ſublunaria, vt in proprios effectus erumpere valeant, eſt tamen conditio ſine qua non, ſiue cauſa adductiua, vt inquit Doctor Subtilis in 2. d. 14. quæſt. 3. ſub A, & L, agentis ad actionem, vt fuſiùs probauimus in Meteoris libr. 1. diſp. 1. quæſt. 7. per totam. Ex quo infertur, quod quando mobile non mouetur ad aliquid ſibi acquirendum per motum, verùm potiùs ad aliquid communicandum alijs, ita tamen quod motus eius ſit cauſa finalis, dicendum eſt, quod in tali perfectiùs eſt moueri, quam quieſcere, ſicut per oppoſitum quieſcere, diceret perfectionem in eo, quod moueretur propter ſe, quia non motus, ſed quies, in tali loco acquiſita, eſſet ſibi cauſa finalis, vt ad eum moueretur. Huic mobili aſſimilatur globus terrenus exiſtens in medio Mundi, vt in loco naturali, illi verò Cœlum exiſtens in ſuperiori Mundi parte, ac proindè melius, & perfectius erit aſſerere, Cœlum cieri circulariter, & terram quieſcere ad horum ſublunarium vtilitatem, quam terram moueri, & Cœlum quieſcere ad nullam perfectionem capeſſendam, nec ſibi, nec alijs, quicquid dicant Aduerſarij.

Ex his ſit prima Concluſio. Terra, ſiue globus terrenus ex ea, & aqua *compactus*, in medio Mundi localiter exiſtens, ibidem quieſcit immobiliter, *vt nullo pacto* circulariter cieatur, nec ab Oriente ad Occidentem, & econuerſò, neque à Meridie, ſiue ab Auſtro ad Septentrionem, quieſcente Cœlo. Ita Ariſtoteles in hoc ſecundo libro de Cœlo Sum. 4. cap. 2. 5. & 6. contra Antiquos, & communis conſenſus Philoſophorum, ac Theologorum contra Copernicum, Galileum, Gibertum, & alios paucos ex Mathematicis Recentioribus. Probatur prima pars ex Sacra Scriptura, varijs in locis, in quibus tribuitur motus Corporibus Cœleſtibus, & immobilitas terræ; nam Pſal. 103. inquit Dauid. *Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuā, non inclinabitur in ſæculum ſæculi*. Eccleſiaſtæ capit. 1. ſubditur: *Terra autem in æternum ſtat: oritur Sol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur*, *ibique renaſcens gyrat*

gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem &c. ex quibus locis ſumpſit fundamentum Sacra Congregatio Indicis in decreto 5. Martij 1616. *damnandi opinionem de mobilitate terræ, & immobilitate Solis, quam Nicolaus Copernicus de Reuolutionibus Orbium Cœleſtium, & Didacus Aſtunica in Iob docent, tamquam falſam, Diuinaque Scripturæ omninò aduerſantem his verbis: Ideò nè huiuſmodi in perniciem Catholicæ Veritatis opinio vlteriùs ſerpat, cenſuit dictos, Nicolaum Copernicum, & Didacum Aſtunicam ſuſpendendos eſſe donec corrigentur. Librum verò Patris Pauli Carmelitæ omninò prohibendum, atque damnandum; alioſque omnes libros pariter idem docentes, prohibendos, prout præſenti decreto omnes reſpectiuè, prohibet, damnat, atque ſuſpendit.* Rationem autem, quare illos tantum ſuſpenſione mulctauerit, & hos damnauerit, reddit Sacra Congregatio ibidem, *quia iſti conati ſunt oſtendere, præfatam doctrinam de immobilitate Solis in centro Mundi, & mobilitate Terræ, conſonam eſſe veritati, & non aduerſari Sacræ Scripturæ, non verò illi.* Ex quo infertur, quod huiuſmodi opinio ſic malè olet in Eccleſia Catholica, vt eius Auctores, & Fautores diù loco conſiſtere non patiatur, aut ſaltim eorum opera lucem videre minimè permittat, nè veritatem in Scripturis Sacris inſpiratam labefactare pertentent. Confirmaturque huiuſmodi reſolutio ex alijs Scripturis, in quibus relucet immobilitas, & ſtabilitas terræ; nam in Pſalm. 7. inquit Creator Omnipotens: *Ego confirmaui columnas eius*, & in Pſalm. 92. expreſſius ſubditur: *Deus firmauit Orbem terræ, qui non commouebitur*, & libr. 1. Paralipom. capit. 16. ait: *Ipſe fundauit Orbem terræ immobilem*, ergo cùm in Sacro Codice veritas Catholica de immobilitate terræ, & mobilitate Cœli apertè demonſtretur, quemadmodum abſque errore oppoſitum ſuſtineri non poteſt, ita maiori cum fundamento ſtabilita conſiſtit noſtra concluſio. Secundò probatur ad maiorem euidentiam etiam ratione, nam ſi terra moueretur circulariter circa centrum Mundi, in quo locata exiſtit, aut hoc eſſet naturaliter, aut violenter, aut neutraliter, ſed nullum iſtorum eſt dicendum, ergo &c. Maior patet à ſufficienti diuiſione motuum. Minor probatur: Non poteſt dici ipſam moueri naturaliter circulariter, ſiquidem vnius corporis ſimplicis eſt tantum vnicus motus ſimplex ſecundum naturam ex Ariſtotele primo lib. de Cœlo, & Mundo t. 7. & 10. ſed terra eſt corpus ſimplex, cum ſit vnum ex elementis, & naturaliter mouetur motu recto ad centrum, vt potè corpus graue, ordinatum ad medium ex eodem Ariſtotele ibidem t. 5. & 6. & in hoc ſecundo libr. t. 79. ac alibi pluries, ergo nequit moueri naturaliter circa medium: Neque violenter, quia non poſſet aſſignari mouens extrinſecum, à quo in gyrum cieri poſſit; ſiquidem non poſſet eſſe Cœlum, à quo circulatiter mouetur ignis cum violentia ob adhæſionem ſuæ ſphæræ Corpori Cœleſti, quia ſecundum oppoſitam ſententiam Cœlum eſſet immobile neque aqua, quia hæc ſimul cum terra conſtituit vnum globum ſub eadem ſuperficie contentum, & non eſt maior ratio de vna, quam de alia, neque aer, quia cum natura leuis exiſtat, mouetur ſurſum, & non circulariter, vt ſecum poſſit rapere globum terrenum, niſi & ipſe violenter cieatur in gyrum ab igne, hic autem nequiret ſi moueri ab alio, quam à Cœlo, quod ponitur immobile, ergo cum nullum inueniri poſſit mouens extrinſecum, à quo ferri poſſit terra circulariter, reſtat vt nec violenter tali motu moueatur. Neque tandem neutraliter, quia huiuſmodi Motor non poſſet eſſe niſi Angelus, ſiue Intelligentia exequens mandatum Dei, atqui, vt ex Sacris Scripturis liquet, Deus fundauit, ſtatuit, & firmauit Orbem terræ immobilem, ergo neque ab Intelligentia neutraliter moueri poteſt, quare per rationem concludenda eſt immobilitas terræ in medio Mundi. Secunda, tertia, & quarta pars, quod non moueatur ab Oriente ad Occidentem motu diurno, nec ab Occaſu in Ortum motu tardiſſimo, neque ab Auſtro in Septentrionem ſuper polis Mundi, remanent ſufficienter probatæ in ſecundo Notabili, ergo de primo ad vltimum, terram, ſiue globum terrenum immobiliter exiſtere, & localiter quieſcere in medio Mundi neceſſario concludendum eſt.

Digitized by Google

Secunda Concluſio. Terra, ſeù globus ex aqua, & terra compactus, exiſtens in medio Mundi, moueri poteſt motu alterationis, & augmentationis, ac diminutionis ſecundum partes. Eſt communis. Probatur prima pars, quia terra ſecundum partes eſt alterabilis de frigida in calidam, tempore æſtiuo, & tempore hyemali de ſicca in humidam; tum quia de facto eſt applicata contrarijs, ſi quidem aqua eſt humida, terra autem ſicca, aer eſt calidus, & humidus, terra verò frigida, & ſicca, quæ ſunt contraria; tum etiam quia alteratur continuè à calore, & lumine Corporum Cœleſtium, alijſque influentijs occultis, quas frequenter recipit, ergo Terra, ſiuè Globus terrenus mouetur ſecundum partes motu alterationis. Secunda pars probatur de motu augmentationis, & diminutionis, quandoquidem terra augetur per eleuationes Collium, & Montium vbi videbatur planities, & adæquatio, & minuitur per caſum Montium, & receptionem eorumdem inter cauitates, vt legitur in Hiſtorijs Mundi, & paſſim etiamnum experientia teſtatur ruinas, & euerſiones, quæ non multis ab hinc annis acciderunt ex terremotibus, ergo Globus terrenus mouetur, quamuis exiſtat in medio Mundi, motibus alterationis, & augmentationis, vel diminutionis.

Obijcitur primo contra primam Concluſionem. Terra, exiſtens in medio Mundi, eſt corpus naturale, ergo habet in ſe principium motus, ergo de facto mouetur, alioquin tale principium eſſet fruſtra, non motu recto, cum ſupponatur eſſe in medio, ergo circa medium, & motu circulari.

Reſpondetur concedendo totum diſcurſum, nimirum, quod terra ſit corpus naturale, & habeat in ſe principium motus, & negatur illa conſequentia, ergo de facto mouetur, neque indè ſequitur, eſſe principium fruſtra, quia reducitur ad actum in ſuis partibus, ſi extrahantur à centro; quippequæ mouentur motu recto ad medium, & non circulariter.

Obijcitur ſecundò, quia terra de facto mouetur continuè circulariter, ergo concluſio, & reſponſio præcedens nequit ſuſtineri. Antecedens probatur, quia Cœlum quieſcit, & ſtellæ Cœli ſucceſſiuè nobis oriuntur, ac occidunt, ſed huiuſmodi apparentiæ nequeunt nobis euenire, niſi per motum circularem terræ, ergo terra mouetur circulariter. Conſequentia tenet, quia huiuſmodi apparentiæ nequeunt prouenire nobis, niſi ex motu Cœli, vel terræ, ergo ſi Cœlum non mouetur, ſed quieſcit, ſequitur illas euenire ex motu terræ. Maior probatur, tùm quia ideò mobile mouetur, vt ſibi aliquid acquirat, quo indiget, atqui Cœlum non eget terra, à qua aliquid ſibi acquirere poſſit; licet bene econuersò terra indiget Cœlo, ex quo acquirere ſibi poſſit influentias Cœleſtes: tùm quia nobilior eſt quies, quam motus, cum ſit eius finis ergo illa debetur Cœlo, vt potè corpori nobiliori, & iſte terræ, tamquam minus nobili, tùm denique, quia facilius eſt moueri corpus paruum, quam ingens, & magnum, ergo cùm terra ſit minimæ magnitudinis reſpectu ingentis magnitudinis Cœli totius, rationabilius erit, quod terra moueatur ab Oriente ad Occidentem, vt ſaluari poſſint apparentiæ ſtellarum, quam Cęlum, quieſcente terra.

Reſpondetur negando antecedens. Ad probationem neganda eſt maior, & minor, immò ſtellæ oriuntur, & occidunt nobis per motum Cęli ſtellati, & Planetarum, vt aliàs diximus. Ad primam probationem maioris dicimus maiorem eſſe veram de mobili ſublunari, non autem Cęleſti, quia hoc non mouetur ob indigentiam ſui, ſed horum ſublunarium à quo gubernantur, vt docet Ariſtoteles libro primo Meteorologicorum cap. 2. Sum. 1. vbi inquit: *Eſt autem ex neceſſitate continuus quodammodo iſte Mundus*, ſupple inferior, *ſuperioribus lationibus, vt omnis ipſius virtus inde gubernetur. Quare accidentium circa ipſum ignem, & terram, & cognata his, ut in materia ſpecie eorum, quæ fiunt cauſas oportet putare: cauſa autem, vt vnde motus principium eorum, quæ ſemper mouentur*, ideſt Cęlorum, *virtus cauſa ponenda*. En quomodo Cęlum, ſi mouetur non eſt ob indigentiam ſui, ſed vt communicet ſuas influentias terræ, & igni, aquæ, & aeri, his merè paſſiuè ſe habentibus. Ad ſecundam

dam dicimus ſimiliter verùm eſſe antecedens de quiete conſequente motum naturalem, ordinatum ad acquirendum aliquid mobili indigenti, quia talis eſt finis motus, & mobilis, non tamen de illa, quæ conſequeretur motum ordinatum ad aliquid acquirendum alijs, non verò ipſi mobili, quia talis cum ſit ignobilior motu, non poteſt eſſe finis ipſius motus, quinimò motus eſſet finis mobilis. Prior competit mobilibus ſublunaribus, non verò cæleſtibus, quæ non mouentur, vt ipſis acquirant ſibi locum, vt illa, verùm vt his tribuant influxus etiam in ſuis locis quieſcentibus, poſterior autem nulli, quia vt inquit Ariſtoteles loco citato, corpora cæleſtia non mouentur in finem habendi locum, cum ſint ſemper in fine. Ad tertiam verum eſt antecedens, ſi fuerint paria huiuſmodi mobilia, & apta ad eundem motum recipiendum: modo non ſic ſe habent Terra, & Cęlum reſpectu motus circularis, quinimò ſunt mobilia diſparia, ſiquidem terra, cùm ſit natura grauis, eſt inepta ad motum circularem, & velocem, Cęlum verò, quamuis ſit expers leuitatis, oppoſitæ grauitati, eſt tamen aptum ad motum circularem rationi figuræ diſpoſitiuæ, & quia mouetur ab extrinſeco Motore, qui habet tàm validam actiuitatem in mouendo, & nulla ſibi obſiſtat grauitas, quæ illud retardare valeat, ſicut terræ, licet ſit magnitudinis incomparabiliter maioris ipſa, poterit nihilominus velociſſimè cieri, atque nobis exhibere appatentias illas ſtellarum, terra permanente, & quieſcente immobiliter in medio Mundi.

Obijcitur tertio quia corpori ſphærico debetur motus circularis, vbicumque reperiatur, ſed terra eſt corpus ſphæricum, ergo, licet in medio Mundi exiſtat, ſibi debetur motus circularis, & nonniſi circa medium Mundi. Maior patet, quia figura ſphærica eſt apta ad motum circularem, ergo ſi de facto non moueretur circulariter exiſtens in medio Mundi, fruſtra eſſet talis aptitudo.

Reſpondetur, maiorem non eſſe vniuerſaliter veram, ſiquidem figura, cùm ſit quædam relatio ordinis partium in toto, nequit determinare motum, neque ſpeciem motus, cum hæc habeatur per terminum ad quem, & ille à principio intrinſeco mobilis, vt aliàs dictum fuit in quinto Phyſicorum, & primo de Cęlo de mente Ariſtotelis; vnde quàmuis verùm ſit, quod motus circularis exigat mobile ſphæricum, & circulare, vt aptiùs perficiatur, non tamen è conuersò, quia mobile ſphericum, ſi calluerit grauitate, ad medium, ſi verò leuitate, ad extremum, per lineam rectam, mouebitur. Cùm igitur terra ſit corpus graue, & ſuaptè natura ordinata ad motum deorſum, per lineam rectam, quàmuis ſit figuræ ſphæricæ, non propterea obligabitur ad motum circularem, alioqnin vnius corporis ſimplicis eſſent duo motus ſimplices, quod eſt contra Ariſtotelem in primo de Cœlo Sum.2.t.7.& ſum.6.t.23. vbi habet hoc pro impoſſibili. Et hæc de Diſputatione, quæſtione ac de toto lib.2. de Cœlo, & Mundo dicta, ſufficiant.

ARISTOTELIS
DE COELO, ET MVNDO.
LIBER III.

TOtum hoc opus eſſe inſtitutum ab Ariſtote: de corporibus ſimplicibus, tùm Cęleſtibus, tùm ſublunaribus adnotauimus in principio, quare pro ſubiecta materia adiecimus corpus ſimplex in cōmuni; vndè cùm in duobus præcedentibus libris egerit Philoſophus de Corporibus ſimplicibus Celeſtibus, in duobus ſequētibus ſe acturū pollicitur de ſublunaribus, quę sūt quatuor elemēta, nēpe terra, aqua,

Aęr,

Aer, & Ignis, ac de Affectionibus illa comirantibus, præſertim de Graui, & Leui, cum hoc ordine, vt prius conſideret naturas eorum in hoc tertio libro; & poſtea illorum paſſiones in quarto libro ſequenti; ſiquidem paſſio ſupponit ſubiectum à quo fluit, vt ſæpè ſæpiùs aliàs diximus, & demonſtrauimus.

Hic Liber tertius diuiditur in octo Summas, in quarum prima recenſet, recapitulando Summatim ea, de quibus egit in primo & ſecundo libro de Cœlo, & quæ dicturus eſt in duobus ſequentibus libris, & eſt veluti exordium huius ſecundæ partis totius operis. In ſecunda adducit ſententias Antiquorum de Generatione, & Corruptione Rerum naturalium. In tertia arguit dicentes, non dari indiuiſibile. In quarta oſtendit, non omnia, ſed aliqua corpora naturalia generari poſſe. In quinta exponit cauſas generationis in compoſitis. In ſexta demmonſtrat dari generationem, & corruptionem in elementis. In ſeptima expendit modum generationis, & corruptionis prædictæ. In octaua refellit Antiquorum ſententias de mutua elementorum generatione.

De Ordine ſeruando in hoc Tractatu de Elementorum Generatione, & Corruptione.

SVMMA I. CAPVT VNICVM.

IN hoc capite tria facit; primo epilogat iàm dicta in duobus libris præcedentibus. Secundo recenſet quæ dicere intendit in hoc tertio libro tertio adducit rationem ſuæ propoſitionis.

Quoad primum in T. I. fatetur ſe demonſtraſſe in primo & ſecundo libro naturas Corporum Cæleſtium, motus eorum, & affectiones Aſtrorum cum ſuis mutationibus, & quod huiuſmodi omnia ſint ingenerabilia, & incorruptibilia, contineanturque ſub hoc nomine primi Cęli, hoc eſt, ſub priori parte totius machinæ Mundialis, quæ de corporibus ſimplicibus Cęleſtibus inſtituta fuit ab eodem.

Quoad ſecundum in eodem textu proponit ſe velle agere de ſubſtantijs natura conſtantibus, effectibus, paſſionibus, & affectionibus earum, quæ omnia continentur in poſteriori parte totius Vniuerſi, cuiuſmodi ſunt ignis, & terra, atque illis cognata nimirum aer, & aqua, veluti ſubſtantiæ participantes, tamquam media de extremis, naturas, & qualitates eorum. Paſſiones autem ſunt opera, & motus vniuſcuiuſque iſtorum, & aliorum, quorum cauſæ ſunt hæc elementa ſecundum virtutem, qualia ſunt animalia, plantæ, & cætera compoſita ex his.

Quoad tertium in eodem textu, cauſam adducit huius ſuæ intentionis, quia ad Philoſophum naturalem attinet determinare de natura ac de natura conſtantibus, & de conſequentibus naturam, ſed hæc elementa, cùm ſint ſubſtantiæ naturales, conſtant natura, ideſt materia, & forma, & habent multas paſſiones conſequentes eorum naturam, vt ſunt generationes, corruptiones, alterationes, augmentationes, diminuctiones, & inſeinuicem tranſmutationes, ergo de his omnibus agendum eſt in hoc libro, cum ſit pars Philoſophiæ naturalis. Et quoniam quiſpiam dicere poterit, hic non debere agere de elementis, cùm de illis iterum acturus ſit in ſecundo lib. de Generatione, & Corruptione, occurrendum eſt per interemptionem conſequentiæ, quandoquidem aliter examinat hic elementa, ac in libro de Generatione, & Corruptione; nàm in hoc libro conſiderantur, vt ſunt partes integrales totius vniuerſi, & vt in ſe generabilia, & corruptibilia, in illo verò, vt ordinata ſunt ad generationem Miſtorum; vnde hic habent rationem ſubiectorum partialium, illic verò, vt cauſæ expendentur.

Quare concludit, quod ſicut de primo Elementorum conſtituentium vniuerſum, ideſt de Cęlo, actum eſt in primis duobus libris, conueniens eſt vt in duobus ſequentibus agamus de reliquis elementis, quæ ad illius conſtitutionem faciunt.

De Generatione, & Corruptione Rerum ſecundum opiniones Antiquorum.

SVMMA II. CAPVT VNICVM.

IN T. II. huius capitis ſoluit initio proponit quæſtionem de exiſtentia generationis, & corruptionis, an nimirum detur in his

his quatuor elementis ſcilicet igne, aere, aqua, & terra & in compoſitis ex his, ſiquidem aut generatio omninò nulla eſt, aut ſolùm in his rebus eſt? Antequam reſpondeat de mente propria adducit opiniones Antiquorum, quandoquidem illi, qui prius de veritate philoſophati ſunt, in multis diſcrepantes fuerunt, ac etiam in generatione, & corruptione horum elementorum, nàm Meliſſus, & Parmenides negabant omninò generationem, & corruptionem, dicebantque etiamſi prima facie videbantur res oriri, & interire, tamen in rei veritate nil horum euenire. Mouebantur autem ad hoc aſſerendum, quia de rebus naturalibus datur ſcientia, atqui hæc eſt tantum rerum immortalium, & impoſſibilium aliter ſe habere, non igitur res naturales poterant generationi, & corruptioni obnoxiæ exiſtere.

In eodem t. reprǣhendit hos opinantes dicens, quod quamuis in aliquibus entibus reperiatur ingenerabilitas, & incorruptibilitas, nempè in Deo, Intelligentijs, & corporibus cæleſtibus, tamen errauerunt in eo, quod putabant, huiuſmodi entia ſciri per ſcientiam naturalem, ſiquidem horum contemplatio ſpectat ad Metaphyſicam, & non ad naturalem ſcientiam: ſecundo etiam hallucinati ſunt, quia cùm crederent nulla alia entia dari prçter has res ſublunares, ac ſenſibiles, nihilominus proprietates ingenerabilium, & incorruptibilium, non ratione, vel ſcientia, verùm caſualiter ad illas tranſtulerunt.

In T.III. recenſet eos, qui generationem, & corruptionem in rebus admiſerunt & dicit quod erant diuiſi in triplici ſententia. Nam quidam negabant dari vllam rem ingenerabilem, verùm omnes generari, & genitas incorruptibiles permanere, alias verò genitas quidem; ſed rurſus emori, & corrumpi. Alij autem his adhærentes ponebant res omnes in continuo fluxu generationis, & corruptionis, nihilque fixum, & ſtabile perſiſtere præter vnum, ex quo cætera conſtabant. In quo tamen ponendo ab inuicem diſſidebant, ſiquidem Thales Mileſius volebat illud eſſe aquam, Anaximenes aerem, & Heraclitus ephesius ignem. Alij tandem tertiam opinionem facientes, cenſuerunt omnia corpora generari ex ſuperficiebus, ſeù planis figuris, & in eas pariter diſſolui, & corrumpi, & hæc fuit opinio Platonis in Timæo, contra quam in præſenti, cæteris pro nunc relictis, arguit in ſequenti Summa.

De his, qui dicunt dari partem indiuiſibilem per propoſitiones naturales, alias à Mathematicis.

SVMMA III. CAPVT VNICVM.

Iſta Summa diuiditur in duas partes, in quarum prima demonſtrare nititur, quod ea, quæ ſunt impoſſibilia Mathematicis, ſunt etiam impoſſibilia Naturalibus, & non econtra. In ſecunda verò arguit contra Platonem, & alios dicentes, generationem fieri ex ſuperficiebus.

Quoad primam partem in T.IV. arguit contra Platonem, nàm per ſuam poſitionem de generatione corporum ex ſuperficiebus, euertit hic Philoſophus multa rata, & firma in Mathematicis, ergo non eſt admittenda. Antecedens probat, nam ſi verùm eſt, corpus conſtare ex Solis ſuperficiebus, conſequitur etiam vt ſuperficies conſtare debeat ex Solis lineis, & linea ex Solis punctis, ſed hæc aduerſantur principijs Mathematicis, quæ aſtruunt, diuiſibile non componi ex indiuiſibilibus, ſolis, ſed ex diuiſibilibus coniunctis, & continuatis per indiuiſibilia, vt demonſtrauit in 6. lib. Phyſicorum, ergo hæc poſitio euertit ea, quæ ſunt rata, & firma in Mathematicis. Sequela maioris patet, quia ſicut corpus fit ex ſuperficiebus, ita ſuperficies ex lineis, & linea ex punctis, vt patet ex ſuis diffinitionibus. Minor probatur, nàm quemadmodum punctum eſt indiuiſibile reſpectu lineæ, ita linea reſpectu ſuperficiei, & ſuperficies reſpectu corporis, ſunt continuatiua enim, hæc partium corporis, illa partium ſuperficiei, & punctum partium lineæ, ergo ſi corpus componitur ex ſuperficiebus Solis, ſuperficies ex lineis Solis, & linea ex Solis punctis, diuiſibilia componuntur ex Solis indiuiſibilibus, quæ omnia repugnant principio Mathematico, quod nullum diuiſibile componitur ex indiuiſibilibus.

In T.V. confirmat prædictam rationem contra Platonem, quia ſi conceditur corpus componi & ſuperficiebus, & has ex lineis,

neis, lineas autem ex punctis, debet quoque concedi, partem lineæ non eſſe lineam, quia indiuiſibile caret partibus, atqui hoc eſt manifeſtum in falſitate, vt demonſtrauit etiam in ſeſto lib. Phyſicorum; vbi concluſit longitudines, cuiuſmodi ſunt partes lineæ, non eſſe indiuiſibiles.

In T. VI. probat, incommoda, quæ ſequuntur in Mathematicis, ex poſitione talis opinionis de compoſitione corporis, & lineæ ex indiuiſibilibus, accidere quoque etiam in naturalibus, ſed non è conuerſò, quandoquidem multa abſurda excogitari poſſunt in naturalibus, quæ minime Mathematicis conuenire poſſunt, vt Mathematica ſunt, vt eſſe corpus, & non habere ſenſibiles qualitates, euertit rationem corporis phyſici, ſeu naturalis, non autem Mathematici; & ratio diſparitatis eſt, quia mathematica abſtrahunt à materia ſenſibili, & conſiderant ſolam quantitatem, cæterùm naturalia ſunt inuoluta, præter quantitatem, etiam materiæ ſenſibili, & mutationibus ſenſibilibus ſubiecta.

In T. VII. Oſtendit, quæ ſequuntur inconuenientia in naturalibus, ex poſitione opinionis Platonis, ſiquidem ſecundum Mathematicos, eſſe diuiſibile competere poſſe indiuiſibili, eſt omninò impoſſibile, vt quod linea diuidatur ſecundum latitudinem, & ſuperficies ſecundum profunditatem, cæterum qualitates omnes phyſicæ, corporibus etiam affectæ, diuidi poſſunt, non ſolum vt genera in ſpecies, vt color in nigrum, & album, ſed etiam per accidens ad diuiſionem corporum, quæ afficiunt, in plures partes.

Quoad ſecundam partem in T. VIII. arguit contra Platonem aſſerentem, generationem corporum fieri ex Solis ſuperficiebus, nàm omnia corpora, vt dicebat Democritus, vel ſaltem aliqua ſcilicet terra, & aqua, vt concedebat Plato, cùm ſenſibilia ſint, prædita ſunt grauitate, at ſi forent genita & ſuperficiebus, non eſſent grauia, ergo &c. Minorem probat, quia ſuperficies componentes corpus nullam habent grauitatem ergo neque corpus ex illis compoſitum, cum totum ſuum eſſe habeat à partibus. Antecedens probatur, quia ſi ſuperficies haberent grauitatem, tùm cõponantur ex lineis, & hæ ex punctis, ſequeretur & lineas eſſe graues ex punctis, & hæc pariter eſſe ſua natura grauia, atqui hoc eſt falſum, cùm ſint indiuiſibilia, ergo de primo ad vltimum, nec lineæ neque ſuperficies, neque corpora ex eis compoſita poterunt eſſe grauia.

In T. IX. Probat aſſumptionem vltimam quod puncta ſint expertia grauitatis, & leuitatis; ſiquidem omne graue diuiſibile eſt, at puncta ſunt indiuiſibilia ex conceſſis à Mathematicis, & Platonicis, ergo puncta carent grauitate. Maiorem probat, quia omne grauius eſt diuiſibile, ſed omne graue eſt aliquo grauius, ergo omne graue eſt diuiſibile. Maiorem probat, quia omne maius eſt diuiſibile, at quod eſt grauius aliquo graui eſt maius eo, ergo quod eſt grauius eſt diuiſibile. Maior patet, quia maius ſupponit magnum, in quod partitur, cùm comparatiuum ſupponat poſitiuum, candidius enim ſupponit candidum, ſicut dulcius dulce, ergo idem dicendum eſt de grauiori, & graui, quare cum punctum non ſit maius, quia indiuiſibile, & grauius ſit maius, ſequitur non poſſe diuidi nec eſſe poſſe graue, ac proinde neque præbere grauitatem corpori per lineas, & ſuperficies, expertes grauitatis.

In T. X. Probat inſuper, quod punctum, nec graue ſit, nec leue, nàm omne graue eſt denſum, ſicut omne leue eſt rarum, ſiquidem grauitas, & leuitas diſtinguunt corpora per eſſe rarum, & denſum. Sed punctum caret denſitate, & raritate, ergo & grauitate, ac leuitate. Minorem probat, quia rarum, & denſum ſunt diuiſibilia in partes, quas claudunt, hoc ſub minori, & illud ſub maiori magnitudine, atqui punctum eſt indiuiſibile, ergo caret denſitate, & raritate, & per conſequens grauitate, & leuitate.

In T. XI. Idem alia ratione confirmat, quandoquidem omne graue, aut durum, aut molle eſt, ſed punctum neque molle, neque durum eſſe poteſt, ergo neque graue, aut leue. Maiorem probat, quia omne graue, vel eſt terra, vel aqua, ſi terra eſt dura, quia non cedit in profundum, ſi aqua, mollis, quia cedit in profundum, ergo omne graue, aut durum, aut molle eſt. Minorem probat, quia omne molle, & durum diuiſibile eſt, cùm habeant vnde cedant, vel non cedant in profundum, ſed pun-

punctum eſt indiuiſibile, ergo punctum neque molle, neque durum eſt, ac proindè neque leue, vel graue eſſe poterit.

In T. XII. Probat iterùm nullum corpus graue poſſe integrari ex non grauibus, & ſic neque corpus ſenſibile gigni ex ſuperficiebus, quæ minimè graues exiſtunt, nàm omne corpus, quod aliquo eſt grauius ideò tale exiſtit, quia ſuperat aliud aliqua grauitate, qua illud caret, ſed ſi detur aliquod graue conſtare ex quatuor punctis, vt admittunt Platonici, igitur ſi detur aliud ex quinque punctis conflatum, hoc erit grauius illo, & non niſi ratione illius puncti additi: tunc auferatur illud punctum, quo iſtud exuperat illud, inde eueniet, vt reddantur æqualia in grauitate, ergo punctum vnum, & grauitatem affert, & aufert, ſed hoc inuoluit contradictionem; quia cùm punctum careat grauitate, vt probatum eſt, ſequitur ex non grauibus graue componi, & idem eſſe graue, & non graue, graue quidem quia vnum punctũ facit vnũ grauius, & reddit graue æquale alteri, non graue autem, quia ex nõ grauibus coaleſcit.

In T. XIII. Arguit iterum contra Platonem probandi, corpus minimè componi poſſe ex ſuperficiebus, ſiquidem ex hac poſitione ſequeretur dari aliquod corpus quod nec eſſet elementum, neque compoſitum ex elementis, hoc autem eſſet contra totam philoſophiam, ergo potius dicendum eſt, non poſſe aliquod corpus componi ex ſolis ſuperficiebus. Conſequentiam vt probet, prius ſupponit dari in Doctrina Platonis quinque corpora, elementa ab ipſo nominata, quæ ſunt ignis, aer, aqua, terra, & Cęlum, & horum ſingulo adſcribebat vnam figuram. Igni namque apponebat vnam figuram pyramidalem, terræ aliam figuram ſex baſium, aeri aliam figuram octo baſium, aquæ aliam decem baſium, & Cęlo aliam duodecim baſium, & huiuſmodi figuræ cõponebantur ex tot ſuperficiebus, quot erant baſes cuilibet adſcriptæ. Inſuper ſupponit ſuperficies, ad hoc vt poſſent componere aliquod corpus, debere vniri non tantum ſecundum appoſitionem linealem vnius latitudinis ad aliam, ſed etiam ſecundum profunditatem ideſt per ſuperpoſitionem vnius latitudinis ad aliam latitudinem, ex quibus reſultat profunditas requiſita ad rationem corporis, & hanc duplicem vnionem oſtendit in compoſitione ſuperficiei ex lineis, ſiquidem duæ lineæ poſſunt vniri, & ſecundum longitudinem per appoſitionem vnius ad aliam, & ſecundum latitudinem per ſuperpoſitionem vnius ſuper aliam; Ex quibus infertur, quod ſicut ex punctis, quæ ſunt indiuiſibilia, licet apponantur adinuicem, non poſſet reſultare linea, ſiquidem indiuiſibile additum alteri indiuiſibili non facit aliquod maius, ſic neque ex lineis vnitis per ſuperpoſitionem latitudinis, poterit reſultare ſuperficies, cum ex ea parte ſit pariter indiuiſibilis, ergo neque per ſuperpoſitionem latitudinis ad aliam latitudinem ſecundum profunditatem, ex qua pariter eſt indiuiſibilis, poterit reſultare corpus aliquod, quod ſit vnum ex illis quinque elementis, poſitis a Platone, vel aliquod myſtum ex illis; quamobrem ſi ex ſuperficiebus, ſecundum poſitionem Platonis, componitur aliquod corpus ſenſibile, tale nec erit elementum, nec ex elementis miſtum, quod tamen eſt contra Doctrinam eiuſdem, & ſic remanet probata conſequentia.

In T. XIV. Arguit aliud dictum Platonis in Timæo, vbi inquit, corpora fieri grauiora ex multitudine ſuperfierum, nam ſi hoc eſset verum non poſset dignoſſi differentia corporum grauiorum, & minus grauium, niſi dignoſceretur pariter, quænam ſuperficies eſsent grauiores, & minus graues; neque ſimiliter poſset haberi differentia inter corpora grauia, & leuia, ſi non cognoſceretur differentia inter ſuperficies graues, & leues, ſed vtrumque poſse haberi eſt omnino abſurdum, cùm grauitas & leuitas repugnent ſuperficiebus, eoquia repugnant lineis, & punctis, ex quibus conſtant ſuperficies, vt ſuperius oſtendit, ergo &c.

In eodem t. 14. Vrget aliud argumentum, quo probat, corpora non componi ex ſuperficiebus, ſiquidem hoc admiſso, ſequitur aut nullam eſse magnitudinem in corporibus, aut illam genitus tolli ab eis. Probat vtramque conſequentiam, ſiquidè magnitudo, cũ ſit diuiſibilis, debet cõſtare ex diuiſibilibus partibus, ſed ſuperficies, ex ea parte, qua dici poteſt componere corpus, eſt indiuiſibilis, nàm ſicut linea, ſecundum latitudinẽ, qua diceretur componere ſuperficiẽ eſt indiuiſibilis, ita ſuperficies, ſecũdũ profũditatem,

ditatem, qua diceretur pariter conſtituere corpus, eſt penitùs indiuiſibilis, ac proinde nulla eſſet magnitudo in corporibus, ſi componerentur ex ſuperficiebus. Probat ſecundam conſequentiam, nimirum quod tolleretur omninò magnitudo & rerum natura, nàm ablata diuiſibilitate à partibus componentibus magnitudinem, aufertur omninò magnitudo, ſed expoſitione Platonis aufertur diuiſibilitas à ſuperficiebus, lineis, & punctis, ex quibus componitur magnitudo, ergo & magnitudo neceſſario tollitur. Minorem probat quia diuiſibilitas latitudinis in ſuperficie tollitur per reſolutionem eius in lineas, diuiſibilitas lineæ ſecundum longitudinem tollitur per reſolutionem eius in puncta, ex quibus vnaquæque pars reſpectiuè componitur, at in punctis ceſſat omnino diuiſibilitas, ergo tollitur penitus magnitudo, admiſſa poſitione Platonis, quod eſt maximum abſurdum.

In T.XV. Ex hoc principio infert etiam de medio tolli ex rerum natura, nàm eodem pacto ſe habet tempus ad inſtantia, ſeù nunc, quemadmodum ſe habent ſuperficies ad lineas, & lineæ ad puncta ſiquidem ex omnibus iſtis fit compoſitio ſecundum Platonem, atqui per reſolutionem ſuperficiei in lineas, & lineæ in puncta tollitur magnitudo è natura, ergò etiam per reſolutionem temporis in inſtantia tolletur è rerum natura tempus, quo nihil abſurdiùs.

In T.XVI. ad idem arguit contra Pithagoricos, ponentes Cęlum, & vniuerſam naturam conſtitui ex numeris, ſiquidem cum iſti componantur ex vnitatibus, quæ ſunt indiuiſibiles, ſi in illas fiat reſolutio, ſequitur Cœlum, & Vniuerſum auferri, ſicut argutum, & oſtenſum de magnitudine fuit.

In T.XVII. Vrget contra eoſdem probando corpora, non poſſe ex numeris conſtitui, nàm corpora ſenſibilia, vel grauitate pollent, vt terra, & aqua, ac ex eis conſtantia, aut leuitate gaudent, vt ignis, & aer, & quæ de illis participant, at numeri, cùm ex vnitatibus indiuiſibilibus agregentur, ſunt expertes grauitatis, & leuitatis, ergò corpora, cùm ſint grauia, vel leuia, nequeunt ex numeris componi.

De Motibus, quibus moueri habent corpora ſimplicia ſublunaria; ideſt Elementa.

CAPVT II. PARTIS II.

Viſo in præcedenti capite de generatione corporum ſimplicium, in præſenti videndum eſt de motibus, quibus affici poſſunt huiuſmodi corpora. Vnde in T. XVIII. ſtatuit hanc concluſionem: Cuilibet corpori ſimplici ſublunari competit vnus motus ſecundum naturam, & illam probat hoc pacto, manifeſtum eſt ſenſibus, huiuſmodi corpora moueri, aut igitur mouentur motu naturali, & ſibi proprio, aut alieno à propria, natura, & per vim. Si priori motu cientur, habetur intentum, quod cuilibet corpori ſimplici competit proprius motus, ſi verò poſteriori motu ferantur, ergo præter naturam, & violenter, atqui omnis motus præter naturam dicitur talis reſpectu alterius motus, qui ſit ſecundum naturam, ergò ſi corpora ſimplicia videntur moueri præter naturam neceſſarium eſt concedere, cuilibet deberi alium motum, quo cleantur ſecundum naturam, & ſic clareſcit concluſio, quod cuilibet corpori ſimplici ſublunari competit vnus motus ſecundum naturam.

In T.XIX. Confirmat eandem concluſionem ex quiete oppoſita motui, ſupponendo tamen duo, ex quibus robur, & vim ſumit argumentum. Alterum, quòd omne corpus alicubi quieſcens, aut ibi quieſcit violenter, aut naturaliter: Alterum verò, quod vnumquodque ibi quieſcit, violenter, quò violenter fertur, & ibi quieſcit naturaliter, quò naturaliter, & ſecundum inclinationem mouetur. Modò his ſuppoſitis ſic conficitur eius ratio: Manifeſtum eſt ſenſibus aliquod corpus, vt terra, vel lapis, manere in medio, & tunc quærit, an ibi vi quieſcat, vel naturaliter. Si dicatur naturaliter, ergo ſecundum motum naturalem fuit illuc latum per ſecundam ſuppoſitionem. Si verò dicatur ibi vi quieſcere, igitur ibi erit aliquod prohibens illud detinens, ne inferius moueri poſſit. Tunc quærit de tali prohibente, terram, aut lapidem ne moueatur, an ibi quieſcat per vim, aut naturaliter. Si naturaliter, ſequitur

tur eſſe ad talem locum naturaliter motum, quod eſſet intentum: ſi violenter, ergo dabitur aliud prohibens, de quo redibit eadem quæſtio, & ſic neceſſe erit, vel dari ſtatum in quieſcente naturaliter, quod & naturaliter motum erit ad tale medium, aut procedere in infinitum in quieſcentibus, & prohibentibus, quod eſt naturaliter impoſſibile. Si autem dicatur cùm Empedocle, terram vi quieſcere in medio, detentam ibi à reuolutione Cœli, vt dictum eſt ſuperius in ſecundo lib. t. 85. tunc remota Cœli reuolutione, terra aliquem in locum determinatum deberet moueri, & cùm non ſit procedere in infinitum in motibus ibi deberet quieſcere naturaliter quò & ſecundum naturam eſſet lata, ac proinde aliquod corpus habebit motum naturalem ſibi proprium, vt dicebat concluſio.

In T. XX. reprehendit opinionem Leucippi, & Democriti, aſſerentium Mundum conſtitui ex quibuſdam corpuſculis, quæ athomi dicebantur, agitatis tamen in vacuo, & infinito, priuſquam vnirentur ad efformandum vniuerſum, quandoquidem ſi talia corpuſcula mouebantur in vacuo, dicendum eis erat, quo motu agitabantur, naturali, vel violento? ſi dicerent motu naturali, tunc ab eis erat aſſignandus determinatus locus, & ſic non in vacuo, vel infinito, cum in illis nil extet determinatum. Si verò violenter, ergo ab alio principio extra, & tale principium, nil aliud erat, vt dicebant iſti, quam vnum corpuſculum, quo violenter mouebatur aliud. Atqui hoc non potereut ſuſtinere, tùm quia ſi ſecundum, motu violento agitabatur à primo, ergo illi prius erat aſſignandus motus naturalis, reſpectu cuius ille alius dicebatur violentus tùm etiam quia ſaltem primum corpuſculum debebat mouere ſecundum naturaliter, & non per vim, cùm eſſet primum, & non daretur aliud, à quo poſſet moueri; vel ſi daretur, neceſſariò ſequeretur progreſſus in infinitum, quod eſt impoſſibile in mouentibus, & motis, vt oſtendit lib. 8. Phyſicorum, ergo melius dicendum erat illis, non dari talia corpuſcula, quæ deberent violenter agitari in vacuo, aut infinito, aut ſi admitterentur, illa moueri naturaliter ad aliquem determinatum locum, & non in vacuo.

In T. X X I. eodem pacto arguit contra Platonem in Timæo dicentem, elementa, ante Mundum conditum, vago, & inordinato motu, vagaſſe huc, atque illuc per inane: Namque ait Ariſtoteles, ſi admitteretur talis motus quæri poſſet, an fuiſſet naturalis, vel violentus. Si dicerent violentus, ergo prius eſſet aſſignandus alius motus naturalis, reſpectu cuius ille poſſet dici violentus; vel ſi vnum elementum cieretur vi ab alio, vt dicebant Leucippus, & Democritus de corpuſculis, eſſet eadem difficultas etiam de elementis, & ſic neceſſariò concedendus eſſet progreſſus in infinitum in mouentibus, & motis, aut ſaltem primum mouens non mouere violenter, verùm ſecundum naturam. Si verò dicerent, talem motum eſſe, vel fuiſſe naturalem, ergo ab eis concedendus fuiſſet mundus, antequam eſſet conditus ex elementis, quia tunc elementa mouerentur ordinate, ſecundum quod modò videtur præfixum in mundo à natura, nempè elementa grauia ad medium, & leuia à medio, ac proinde non inordinatè, vt dicebat Plato cum ſuis aſſeclis, & diſcipulis.

In T. XXII. mouet vnum quæſitum, ex quo poſtea arguit iterum contra Platonem de motu inordinato elementorum antequam ex eis efformatus eſſet Mundus; inquit enim an elementa, quæ per te ò Plato ſic inordinate mouebantur ante Mundi conſtitutionem, poterant in eò ſtatu ſic vniri, vt ex eis fieret miſtio ad generationem corporum, & animalium cùm carne oſſibus, & cæteris, quo pacto nunc gignuntur, vel non poterant. Si dixeris potuiſſe vniri, ſicut affirmat Empedocles per amicitiam, ergo, inferam ego, tunc Mundus erat, quia poterant fieri generationes, vt modo fiunt. Si verò dixeris non potuiſſe vniri, ergò perperam dixiſti, illa tunc moueri motu inordinato, & confuſo, quinimò dicere debueras nullatenus moueri, ſed diſcreta manere, vniformia, ac æqualia, ac proindè ordinata, & non inordinata.

In T. XXIII. Relicto Platone, iterum redit ad impugnandos auctores athomorum, nempe Leucippum, & Democritum, aſſerentes moueri infinita corpuſcula in ſpacio infinito ad componenda corpora; nàm ſi mouebantur in tali ſpatio huiuſmodi

di corpuſcula, aut athomi, vel hoc erat ab vno mouente, & motu eiuſdem ſpeciei, vel à pluribus, & motibus ſpecie differentibus, iuxta diuerſitatem corpuſculorum. Si dixerint ab vno mouente, & motu eiuſdem ſpeciei, ergo non inordinatè debebant cieri, ſed ordinatè, vel omnia ſurſum, vel deorſum, vel ante, aut retro, vel dextrorſum, aut ſiniſtrorſum ſiquidem non ſunt plures ſpecies motus localis. Sin autem dixerint prædicta corpuſcula moueri à pluribus motoribus, & motibus ſpecie differentibus, tunc quæram, an tales motores eſſent finiti, vel infiniti: ſi finiti, & motus poſſent eſſe ordinati ad diuerſos terminos, vt grauia deorſum, leuia ſurſum, ſiquidem inordinatio non accidit ex terminorum multitudine numero, vel ſpecie differentium, cùm contineantur ſub eodem genere. Si verò forent infiniti, & motus ſpecie differentes, eſſent infiniti, quod eſt impoſſibile, ergo ſecundum veritatem dicendum erit, vel non dari eiuſmodi corpuſcula, quibus efformentur Mundus, & corpora naturalia in eodem, vel non moueri in ordinate, & vagari in infinito ſpacio, vt dicebant iſti, ante Mundi conſtitutionem.

In T.XXIV. Arguit iterum ad idem, probando non dari in ſpacio infinito huiuſmodi corpuſcula, quæ inordinatè moueantur; nàm inordinate moueri, eſt præter natiuam moueri, ſiquidem ordo eſt propria ſenſibilium natura, vt patet in rebus, quæ ſub ſenſum cadunt; quandoquidem tunc dicuntur ordinatè cieri, cum feruntur ad ea loca, ad quæ ſecundum ſuam naturam inclinantur ſed in ſpacio infinito non poſſent huiuſmodi corpora moueri contra propriam eorum naturam, ergo neque inordinatè ibi moueri. Minorem probat, quia motus ſecundum naturam eſt, qui competit pluribus, & pluri tempore, ſicut per oppoſitum, motus qui competit paucioribus, & breuiori tempore eſt contra naturam; ſiquidem homines naſci ambidextros, non eſt illis naturale, cum paucioribus contingat, nec lapidi moueri ſurſum, quia breuiſſimo tempore deorſum cadet, atqui ſi huiuſmodi corpora mouerentur in ſpacio infinito, pluri tempore mouerentur, quam ſi forent in ſpacio finito, & huiuſmodi motus conueniret omnibus corporibus, ergo in ſpacio infinito non mouerentur contra, ſed ſecundum naturam, ac proindè non inordinatè, verum ordinatè cierentur, quod eſt contrarium illius, quod aſſeritur ab eis.

In T.XXV. Laudat Anaxagoram, & Empedoclem quod in conſtitutione Mundi meliùs locuti fuerint, quam Plato; ſiquidem hic duò aſſeruit, vnum, quod elementa inordinato motu fuerint agitata: alterum verò, quod ante conſtitutionem Mundi elementa ponebat ſegregata. Ratione primi dicit, melius feciſſe Anaxagoram ponendo elementa immota, vt ex eis poſſet confici Mundus, nàm meliùs eſt facere mundum ex immotis, quàm ex motis, ſiquidem generatio fit ex ente in potentia, & non ex ente in actu, ſed immota ſunt entia in potentia, & mota entia in actu cum motus diffiniatur per actum, & immotus per potentiam, ergo meliùs fecit Anaxagoras ponendo Mundum eſſe cæptum ex immotis, quam Plato, qui poſuit illum incæpiſſe ex motis elementis. Ratione ſecundi aſſerti Platonis, laudat poſitionem Empedoclis in eo, quod poſuerit Mundum incæpiſſe ex elementis congregatis, & non ſegregatis, vt dicebat Plato. Nàm generatio fit ex entibus in potentia, & non in actu, ſed elementa congregata in vnum Chaos erant in potentia ad moueri, & vniri per generationem mixti, ſegregata verò ab illa vnione, quam habebant in ipſo Chaos, erant in actu per motum, ergo meliùs poterat fieri generatio Mundi ex elementis congregatis, quàm ex ſegregatis, ac proindè meliùs dixit Empedocles, quoad hoc, quàm Plato. Deindè generatio nequit fieri ex partibus adinuicem diſtantibus, & per motum ſeparatis, ſed Empedocles dicit, Mundum eſſe genitum per vnionem, & congregationem elementorum, igitur melius locutus eſt, quàm Plato oppoſitum aſtruens.

In T.XXVI. Poſtquàm oſtendit in præcedentibus dari corpus, cui conueniat ſecundum naturam motus, diſtinctus ab eo, qui eſt præter natiuam, modò nititur demonſtrare, quod corporibus, quæ recto motu feruntur ad medium, neceſſariò conuenit grauitas, & ijs, quæ à medio mouentur, neceſſariò competit leuitas, tanquam principia eorundem motuum, & probat,

probat, nam quod corpus mouetur ad medium, illuc tendit impulſu grauitatis, quod verò fertur à medio, id ſibi competit impulſu leuitatis, & non alio principio naturali, ergo huiuſmodi corporibus neceſſariò conuenit grauitas, & leuitas, tanquam principia illorum motuum, ac proindè dari huiuſmodi principia, corporibus naturaliter coniuncta, omninò fatendum. Antecedens probatur, quia omne corpus, quod tendit ad medium, vel neceſſariò eſt graue, vel poteſt dari corpus tendens naturaliter ad medium, & non eſſe graue: Si detur primum habetur intentum, quod illuc tendat impulſu grauitatis. Sin autem dicatur ſecundum, oſtendit hoc eſſe alienum à veritate, poſito ſequenti caſu. Sit inquam aliquod corpus non graue, & vocetur A. Sitque aliud corpus graue, & vocetur B. Moueatur corpus non graue per ſpatium breuiùs, quod appelletur C, D, & graue, æquali autem tempore, per ſpatium longiùs, & ſit C, E, percurret enim, æquali tempore, longiùs ſpatium corpus grauitatem habens. Inſuper diuidatur corpus graue, & eius pars moueatur per ſpatium breuiùs, quo cieatur corpus non graue; dùm ergo totum graue fertur per ſpatium longiùs, & pars eius mouebitur per breuiùs, in quo mouetur non graue, ſequeretur, quod per æquale tempus moueretur non graue, & grauitatem habens, quod eſt omninò impoſſibile, ſiquidem debet eſſe proportio mobilium ſecundum vim motiuam, ſpatium, & tempus, ſed inter graue, & non graue, talis proportio minimè ſeruatur, ergo impoſſibile eſt, quod graue, & non graue per æquale tempus moueantur ad medium. Idem argumentum, ſeruata proportione, fieri poterit de leuitate.

In T. XXVII. demonſtrata neceſſitate grauitatis, & leuitatis in corporibus motis naturaliter in præcedenti, modò eandem demonſtrare nititur, ſi cieantur violenter, quandoquidem omne corpus graue, vel leue, quo minus patitur reſiſtentiam in medio, eò celerius moueri contingit, & minori tempore, quod experientia comprobatur, ergo dato corpore, quod careat grauitate, & leuitate, ſi moueatur ab eadem virtute motrice, perficiet curſum in inſtanti, & ſic dabitur motus in inſtanti, quod eſt contra naturam motus, cùm igitur hoc admitti nequeat, dicendum erit, non dari corpus ſublunare, quod vi moueatur, & ſit expers leuitatis, vel grauitatis.

In T. XXVIII. duo facit. Primum eſt ponere differentiam inter motum naturalem, & violentum. Secundum eſt oſtendere, quomodo aer, & aqua deſeruiant vtrique motui. Quoad primum dicit, motum naturalem oriri à natura ipſius mobilis, ſiquidem diffinitur in ſecundo Phyſicorum per eſſe principium motus & quietis eius in quo eſt, motum verò violentum naſci à potentia, quæ eſt principium in alio, vt aliud eſt. Secundò differunt, quia motus naturalis poterit miſceri cum violento, & tunc motus erit velocior, quam ſi ſolùm procederet à natura mobilis, at motus violentus haud quaquam miſceri poterit cùm naturalitate, quare velocitas ſolùm à virtute potentię externę deſumenda erit, nam ſi lapis projciatur deorſum à potentia externa velociùs deſcendet, quam ſi tantum moueretur à principio naturali, cæterum ſi projciatur ſurſum, velocitas maior, vel minor menſuranda erit à maiori, vel minori virtute potentiæ impellentis tantùm, & non à principio interno mobilis, hoc eſt lapidis proiecti ſurſum. Quoad ſecundum dicit, aerem deſeruire vtrique motui, nam cùm ſit grauis, & leuis, ratione grauitatis adiuuabit mobile deſcendens, ipſum impellendo, vt citiùs feratur ad medium, quò naturaliter tendit, ex parte verò leuitatis comitabitur mobile leue, vt ſurſum moueatur, non ſolùm ſuſtinendo impulſum, ſed etiam à tergo impellendo mobile, vt faciliùs aſcendat, & hæc dicta ſint ex parte motus naturalis. Cæterum ex parte motus violenti fungitur etiam iiſdem muneribus, & ſuſtinendo, & impellendo mobile, cùm fuerit dimiſſum à virtute, ſeù potentia impellente, alioquin ſtatim, ac dimiſſum fuiſſet mobile, ceſſaret motus violentus, vt fuſiùs oſtendimus in libro 8. Phyſicorum, cùm egimus de motu proiectorum grauium, & leuium, ſecundum probabiliorem ſententiam.

De Generatione Quorundam, & non omnium Corporum.

SVMMA IV. CAPVT VNICVM.

Viſo de Motu, & quonam pacto conueniat corporibus, & viſo pariter quomodo generatio competat, vel non competat eiſdem, ſuperius diſputatum eſt contra Platonem, & nonnullos ex Antiquis, nunc autem videndum eſt, ſi generatio competat omnibus corporibus, vel tantum aliquibus, & quibus: Vndè in T.XXIX. ſtatuit hanc concluſionem: Generatio minimè conuenit omnibus corporibus, verùm duntaxat aliquibus. Probat priorem partem, quia ſi generatio conueniret omnibus, conueniret etiam Mundo, & eiuſdem partibus præſtantioribus, cuiuſmodi ſunt corpora cœleſtia, ſed iam probatum eſt in primo de Cęlo à t.20. & ſequentibus, Cœlum eſſe ingenerabile, & incorruptibile, & mox hoc idem oſtendemus de Mundo, ergo generatio non conuenit omnibus corporibus. Minor probatur de Mundo, nam ſi Mundus ſimpliciter generaretur, eſſet vacuum præcedens ſeparatum, ſed ab hoc abhorret natura,& eſt ſimpliciter impoſſibile, vt iam probatum fuit lib.4. Phyſicorum Sum.2.à t.50.& ſequentibus, ergo dicendum eſt, Mundum eſſe ſimpliciter ingenerabilem. Sequela maioris probatur, quia ante generationem Mūdi præcedere debuiſſet aliud corpus, ex quo gigni poſſet, ſiquidem ex nihilo nihil gigni poteſt, vt alias oſtendimus, ergo cùm tale corpus non præceſſiſſet in pleno, alioquin daretur proceſſus in infinitum, ſed in vacuo ſeparato, ſequeretur tunc dari vacuum ſeparatum, data generatione Mūdi,ex corruptione corporis præcedentis, geniti.

In eodem textu probat poſteriorem partem, & ſimul obijcit contra probationem prioris, oſtendendo non ſequuturum vacuum ſeparatum per generationem Mundi, quandoquidem manifeſtum eſt ex vno corpore gigni aliud corpus, nempe ex aere fieri ignem, vel aquam, & ex hac terram, & tamen ex tali generatione nullum datur vacuum, alioquin ſæpiſſimè accideret virtute naturali, ergo nullum inconueniens ſequeretur, Mundum gigni ex præcedenti alio corpore abſque periculo vacui ſeparati. Reſpondet, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam; non enim eſt par ratio de generatione vnius corporis, ex corruptione alterius, ac de generatione totali Mundi: nā quod aqua fiat ex aere, ideò euenit, quia erat aer actu corpus, potentia aqua, ſiquidem materia exiſtens ſub forma aeris habebat potentiam, & aptitudinem ad recipiendam formam aquæ, & ſic aer commutari dicitur in aquam, ac proinde vnum corpus ſuccedit in locum alterius, abſque hoc, quod relinquat vacuum: verùm ſi fieret Mundus *per generationem*, non fieret ex aliquo corpore, quod eſſet potentia ipſe Mundus, cùm *nullum tale* præcedat, ſed ex ſola magnitudine nullo repleta corpore, igitur non poſſet fieri actu corpus, niſi relinqueretur vacuum in quo recipi contingeret. Patet igitur quod corpora particularia poſſunt haberi per generationem vnius ex alio, at non omnia, cum nec Mundo, *nec* Corporibus Cœleſtibus poſſit conuenire *generatio, vt oſtenſum fuit*.

De Cauſa Generationis in Compoſitis.

SVMMA V.

HÆc **Summa, in qua Ariſtoteles intendit** demonſtrare, quorum corporum ſit generatio, & quænam *cauſa illius* detur, diuiditur in tria capita. In quorum primo nititur oſtendere, *quod principia* corporum miſtorum ſint Elementa. In ſecundo **quod huiuſmodi Elementa non** ſint infinita, ſed finita numero. *In tertio* tandem, **quod huiuſmodi Elementa ſint** plura vno.

Quoad primum caput in T.XXX. proponit ordinem dicendorum in hac quinta Summa dicens, ſicut in omnibus rebus cognitio ſcientifica, & à priori datur per principia prima, & cauſas ſic agendum eſt in præſenti **cognitione habenda de generatione compoſitorum. Et quoniam principia prima, & cauſæ miſtorum corporum ſunt Elementa, idcircò de illis primò** conſiderandum,& **inueſtigandum eſt,quænam ſint hæc Elementa, & propter quid ſint aliorum corporum principia, deinde poſt hæc, quot, & qualia ſint.**

In

In T. XXXI. vt aggrediatur ordinem propoſitum, incipit à diffinitione Elementi, vt hinc manifeſtetur natura, & quiditas Elementorum, quæ poſſint eſſe corporum compoſitorum principia, inquit enim. *Sit igitur Elementum*, *illud corporum*, *in quod alia corpora diuiduntur*, *quod ineſt potentia*, *aut actu: ipſum autem eſt indiuiſibile in diuerſa ſpecie*: hoc eſt dictu: Elementum eſt corpus ſimplex, in quod corpora mixta diuiduntur, & in quibus ineſt potentia, vel actu, ideſt continetur formaliter, vel virtualiter: *ipſum verò eſt indiuiſibile in diuerſa ſpecie*, hoc eſt, nequit diuidi in partes diſſimilares, ſicut animal in caput, brachia, carnem, & oſſa, licet bene in partes ſimilares, velut aqua in partes homogeneas, quarum quælibet ſit Elementum, ſicut partes aquæ aqua.

In T. XXXII. ex huiuſmodi diffinitione infert, eſſe aliqua corpora, quibus talis diffinitio competere valet: *ignis enim*, *& terra inſunt carni*, *ligno*, *cæteriſque id genus corporum mixtorum potentia*, *aut actu*.

In T. XXXIII. probat ignem, & terram, ac cætera id genus Elementa ineſſe corporibus mixtis potentia, vel actu; nam ſi caro, vel os reſoluantur, aut diuidantur, apparebit terra ſub ratione pulueris, aqua ſub ratione humoris, aer ſub ratione vaporis, & ignis ſub ratione ſpiritus calidi, & ſicci, ex quibus manifeſte deduci poteſt, quod ignis, & terra, ac eis cognata Elementa erant in carne, & oſſi.

In eodem textu expendit aliam particulam diffinitionis, nimirum quod caro, os, & lignum non inſunt in igne neque potentia, neque actu, & ratio eſt, quia ſi diuideretur ignis per reſolutionem non appareremt huiuſmodi corpora miſta ſcillcet caro, os, & lignum, ac proinde inferri debet hæc non eſſe Elementa, ſed bene Elementata ex igne, & cæteris corporibus ſimplicibus, & hæc eſſe, vel exiſtere in illis per mixtionem alteratiuam. Neque etiam hæc ſequerentur ſi poneretur tantum vnum Elementum, ſicut ponebat Thales eſſe aquam, ſiquidem caro, os, lignum, & cætera huiuſmodi non continerentur virtualiter in ipſo per reſolutionem illius; corpora enim mixta dicuntur contineri in Elementis per mixtionem alteratiuam præuiam ad eorundem generationem, vt fuſius promittit ſe demonſtraturum in libris de Generatione, & Corruptione.

In T. XXXIV. ponit opinionem, circa Elementorum aſſignationem in ordine ad mixta, Anaxagoræ, & Empedoclis, & huius poſitionem præfert poſitioni illius. Nam Empedocles dicebat Elementa, ex quibus omnia reliqua corpora conſtabant, eſſe ignem, terram, aquam, & aerem. Anaxagoras autem ponebat omnia corpora ſimilaria, nempe carnem, oſſa, & cætera huiuſmodi eſſe Elementa omnium rerum, quæ fiunt, ignem verò, & aerem eſſe poſteà horum ſimilarium mixturam collectam ex indiuiſibilibus ſimilaribus, quæ poſteà faciebat omnium rerum principia prima, quapropter hos poſuiſſe contraria ex narratis manifeſtum eſt.

In T. XXXV. oſtendit, quod poſitio Empedoclis ſit præferenda poſitioni Anaxagoræ, ſiquidem cùm omnibus corporibus naturalibus inſit naturalis, & proprius motus, & hic diuidatur in ſimplicem, & mixtum, vt alias demonſtratum fuit, concludendum eſt dari corpora ſimplicia, quæ motu ſimplici cieantur, & mixta, quæ mixto ferantur motu. Verùm quia motus ſimplices, qui ſunt à medio, & ad medium, proprij ſunt Elementorum, quæ poſuit Empedocles, inferendum eſt, eius poſitionem eſſe magis conſentaneam veritati, quam illam Anaxagoræ, ponentis inter Elementa corpora compoſita, mobilia motu mixto, qui eſt alienus à motu Elementorum.

In T. XXXVI. ex hucuſque dictis, ac probatis, colligit dari Elementa in rerum natura, & hæc eſſe poſita, vt ſint principia corporum mixtorum.

Quoad ſecundum Caput, in quo agere proponit de multitudine Elementorum, an finita, vel infinita exiſtant, in T. XXXVII. primum recitat opinionem illorum, qui ponebant Elementa eſſe infinita, vt faciebat Anaxagoras, qui dicebat cuncta ſimilaria eſſe Elementa, & illa eſſe infinita; contra quem arguit, quod omnia ſimilaria non ſint Elemenra, & poſtea quod non ſint infinita. Probat primum ex diffinitione Elementi, quia nullum corpus compo-

Q 2 ſitum

ſitum eſt Elementum, ſiquidem Elementum eſt indiuiſibile in priora corpora, alioquin non eſſet primum, ſed nonnulla corpora ſimilaria ſunt compoſita, ſaltem ex igne, & aere, vt inquit Anaxagoras, qui exemplificat de carne, oſſe, ligno, & lapide, quæ ſunt ſimilaria, ergo non omnia corpora ſimilaria ſunt Elementa. Probat ſecundum, quod eſtò corpora ſimilaria poneret Elementa rerum, non propterea debuit illa conſtituere infinita; quandoquidem fuſtra fiunt per plura, quæ poſſunt fieri per pauciora principia, atqui omnia mixta poſſunt haberi ponendo pauciora Elementa, vt poſuit Empedocles, præſertim cùm non omnia ex conſimilibus partibus coaleſcant, vt concedunt Aduerſarij; non enim os ex oſſibus, frontem ex frontibus, & faciem ex faciebus componunt, ergo fruſtraneum, & ſuperuacaneum erit multiplicare in infinitum Elementa rerum, ſi finita, & pauciora ſufficiunt. Secundo arguit ad idem, quia corpora diuerſa proprijs differentijs differunt, ergo ſi differentiæ propriæ ſunt finitæ, & corpora debent eſſe finita, atqui differentiæ corporum Elementorum ſunt finitæ, igitur, & Elementa ſunt corpora finita. Aſſumptum pro nunc probari poteſt (ſiquidem differtur eius probatiò in libris de Generatione) differentiæ namque Elementorum ſunt qualitates ſenſibiles, nempe calor, frigus, humor, & ſiccum, quæ ſunt numero finitæ, aç proindè etiam Elementa debent eſſe finita numero.

In eodem t. refert poſteà opinionem Leucippi, & Democriti, qui ponentes infinita rerum generabilium principia, conſequenter viſi ſunt ponere Elementa infinita. Eorum autem poſitio, quatuor dictis, quæ poſtea ab ipſo impugnantur, conſtare videtur. Primum quod rerum magnitudines, quæ à Democrito athomi vocantur, multitudine ſunt infinitæ, magnitudine verò indiuiſibiles. Secundum quod neque ex vna illarum magnitudinum fiunt multa, neque ex multis ſegregatis vnum, verum ex omnium coitione, & complexione, omnia. Tertium quod videntur dicere, quamquam apertè minimè proferant, eſt, quod omnia fiunt ex eis, veluti ex numeris, qui conſtant ex vnitatibus indiuiſibilibus. Quartum denique, quod corpora differunt per figuras, quæ ſunt infinitæ, & ex conſequenti inferunt, corpora, ex illis conſtantia, debere eſſe infinita.

His ſuppoſitis in T. XXXVIII. incipit arguere ad huius opinionis deſtructionem, & primo oſtendit horum errorem coincidere cum errore Anaxagoræ, qui ponebat infinita Elementa ex infinitis partibus ſimilaribus, cùm tamen compoſitiones miſtorum poſſent ſaluari per finita Elementa; quare eodem pacto explodit hunc eundem errorem: fruſtra enim debuerunt ponere infinitam multitudinem talium magnitudinum, ſi commodè haberi poſſunt rerum mixtiones per magnitudines finitas, vt ſtatuit Empedocles. Secundo arguit contra poſitionem in ſe, nam corpora conſtituuntur ex proprijs differentijs, ſed differentiæ huiuſmodi ſunt finitæ; ſiquidem hæ ſunt ſenſibiles qualitates, nempè caliditas, frigiditas, humiditas, ac ſiccitas, ergo & corpora Elementorum, per eas conſtituta debent eſſe finita. Tertio arguit ad idem, quia huiuſmodi poſitio pugnat cum principijs, & doctrinis Mathematicis, ac cum ijs, quæ omni communi iudicio, ac ſenſibus recepta, & manifeſta apparent, ergo ſuſtineri non debet. Antecedens clareſcit, ſiquidem Mathematici docent nullum dari corpus ita minimum, quod indiuiſibile exiſtat, igitur perperam poſuerunt magnitudines, ex quibus coaleſcunt compoſita, eſſe corpora indiuiſibilia. Similiter admiſſis athomis, deſtruuntur generationes, corruptiones, alterationes, & augmentationes, quas omnium hominum communi iudicio, ac ſenſuum experimento ponendas eſſe in rerum natura, inquit ſe demonſtraſſe in libr. 3. & 4. Phyſicarum Auſcultationum.

In T. XXXIX. nititur oſtendere hos Philoſophos ſibimetipſis eſſe contrarios, & contradictorios in eorum dictis. Quandoquidem dicebant aerem, aquam, & terram differre magnitudine, ac paruitate athomorũ, ex quibus coaleſcebãt, itaquod Elemẽta, ex quibus eſt terra, ſunt maiora Elementis, ex quibus eſt aqua, & Elementa, ex quibus eſt aqua, ſunt maiora Elementis, ex quibus eſt aer, & ſic dicũtur differre magnitudine, & paruitate athomorũ, ex quibus erãt conſtituta. Inſuper addebant aerẽ, terrã, & aquã

ex

ex ſeinuicem generari: Atqui hæc duo adinuicem aduerſantur, & vnum tollit aliud, igitur &c. Aſſumptum probatur, nã ſi aqua fit ex terra per ſegregationem athomorũ, ex quibus ipſa erat, aut talia elementa athomorum diminuuntur magnitudine, vel eadem indiminuta ſeruantur: Si dicatis diminui, ergo non erant indiuiſibilia magnitudine, vt dicebatis: Si verò dicatis illa non diminui, ſed æquè ſtare ſicut prius, ergo aqua, & terra non differunt magnitudine, & paruitate athomorum, vt prius ſentiebatis, ac proindè in his dictis veſtris adeſt contradictio, & vnum aliud deſtruit. Deindè arguit contra aliud dictum, poſito namque priori dicto, quod Elementa, ex quibus conſtant Elementa aeris, aquæ, & terræ, ſint indiuiſibilia magnitudine, & paruitate, ſequitur non poſſe aerem, aquam, & terram ex ſeinuicem generari, vt dicebatis poſtea, ſiquidem corpora, quamtumuis maxima, & diuiſibilia, per generationem aliorum corporum ex eis, ſemper diminuentur, & deficient, ergo ſi ex generatione horum ex ſeinuicem deficere coguntur, & athomi, ex quibus illa erant genita, diminui, ac deficere debebunt, ſecundum magnitudinem, & paruitatem, quod eſt contrarium priori dicto, & etiam impoſſibile, cum ſecundum vos athomi ſint corpuſcula indiuiſibilia, ac proinde inferendum eſt, hanc veſtram poſitionem, nedum eſse irrationalem, ſed etiam inuoluere contraria, & contradictoria, quæ illam eneruent, ac perimant.

In T.XL. arguit contra illud de figuris, ſiquidem ponendo Elementa diſtingui figuris, vt quidam dixerunt, non propterea arguere poſſunt infinitatem Elementorum, quinimò pugnant contra ſeipſos; nam figuræ ſunt finitæ numero, ergo diſtinguunt corpora Elementorum finita numero. Antecedens probatur, quia figuræ conſtant ex pyramidibus, rectilineæ ex rectilineis, & rotundæ ex rotundi, vt ſphæra ex octo partibus, quorum baſes ſint rotundæ, ſed pyramides ſunt finitæ, ergo & corpora Elementorum, per vos figuris diſtincta, debent eſse numero finita.

In T.XLI. denique ex finitate motuum, & locorum oſtendit non poſse eſse infinita Elementa; nam Elementa ſunt corpora naturalia ſimplicia, quorum cuilibet competit vnus motus ſimplex, & hic eſt ad vnum locum determinatum, vt late oſtendit in primo lib. de Cœlo à t.7. & ſequentibus ſiquidem vnius corporis ſimplicis eſt tantum vnus motus ſimplex, & econuersò, ſed motus ſimplices ſunt duo recti, de quibus eſt ſermo, nempe à medio, & ad medium, & hi ſunt determinati ad duo loca tantum, ideſt ſurſum, & deorſum, ergo Elementa, cùm ſint corpora naturalia ſimplicia debent eſse finita, & determinata per ſuos motus ſimplices ad huiuſmodi loca, vt ignis, & aer, motu à medio, ad locum ſurſum, aqua, & terra, per motum ad medium, ad locum deorſum.

Quoad tertium caput, in quo determinatur de numero finito Elementorum, an ſint nimirum plura vno, in T. XLII. recitat varias opiniones Antiquorum, qui ponebant tantum vnum Elementum; ſiquidem alij ponebant aquam, alij aerem, alij ignem, & alij ponebant quoddam mediũ, ſubtilius aqua, & denſius aere, & cùm talo eſset infinitum, dicebant, ipſum continere omnes Cœlos, hoc eſt, deſeruiebat de principio materiali, pro omnibus corporibus, quæ in toto Cœli ambitu continentur, & huius opinionis fuit Anaximenes Mileſius, mutata forſan priori opinione, quia vt refferr primo Phyſicorum t.32. loco aquæ poſuit ignem, & aerem.

His narratis, in eodem textu arguit contra omnes illas opiniones ſimul, in eo, quod omnes ponebant illud medium inter extrema Elementa, ſiquidem aer eſt medium inter ignem, & aquam, & aqua medium inter aerem, & terram; quandoquidem ponentes Elementum ſic medium inter talia extrema, altero quidem denſius, & altero rarius, videntur per raritatem, & denſitatem, res omnes generare ex illo vno medio, nam per raritatem generant ignem, & omnia ignea, & per denſitatem omnia terra cum terra, at ſic ponendo Elementum, videntur ignorare naturam eius, & faciunt aliquid Elemento prius, ergo illud medium non eſt ponendum pro Elemento. Maior patet. Minor probatur, quia natura Elementi eſt ſimplicitas, vt opponitur compoſitioni, ſed extremum eſt ſimplicius medio,

ergo extremum potiùs habet rationem elementi, quam medium inter extrema; cùm igitur ignis ſit omnium corporum ſubtiliſſimum corpus, talis debuit potiùs aſſignari pro elemento, quam illud medium. Minor probatur, quia cùm medium fiat ex duobus elementis, habet rationem geniti, & compoſiti, ac mixti ex elementis, extremum verò habet rationem generantis, & componentis, ſed componens eſt, vt generans, ſimplicius compoſito, ac genito, ergo extremum eſt ſimplicius medio, ac proinde debet meliùs habere rationem elementi, quam medium illud inter extrema.

In T.XLIII. arguit contra illos, qui dicebant raritate, & denſitate generari corpora, nam ſic dicentes, habent fateri cuncta eſſe relatiua, & nullum abſolutum, ſed hoc eſt maximum abſurdum, & contra opinantes metipſos, ergo &c. Sequela maioris probatur, quia quæcunque generantur magnitudine ſunt ad aliquid, & relatiua, ſiquidem genita erunt magnum, & paruum, quæ ſunt relatiua, dicitur enim magnum parui magnum, & paruum magni alicuius paruum, ſed quæcumque generantur denſitate, & raritate, generantur magnitudine, & paruitate, ergo &c. Minor probatur, tùm quia magnum, ſecundum ipſos, idem eſt quod groſſum, ac denſum, & parum idem quod ſubtile, & rarum: tùm etiam, quia ſubtile, & rarum eſt quod paruatum partium, & groſſum, ac denſum, quod magnarum partium conſtat, igitur idem ſunt magnum, groſſum, ac denſum, & pariter idem paruum, ſubtile, ac rarum, ergo perindè eſt dicere, generari denſitate, & raritate, ac magnitudine, & paruitate, igitur de primo ad vltimum vera eſt illa minor negata, quod quæcumque generantur denſitate, & raritate, generantur magnitudine, & paruitate, ac ſequitur, omnia illa, quæ ſic generantur, eſſe relatiua, & ad aliquid. Quod autem ſit valdè abſurdum huiuſmodi illatum, & contra ipſos patet, quia tunc aer, aqua, & ignis non eſſent abſolutè elementa, ſed dicerentur talia in reſpectu ad ſeinuicem, ac proindè non poſſent ponere vnum Elementum ſolum, verum ad minus duo, quod eſſet contra ſemetipſos.

In T.XLIV. arguit contra illos, qui ponebant ignem pro ſolo Elemento, non quidem, vt medium, ſicut dicebant illi, quos antea impugnauit, verum vt extremum, & horum poſitionem variè fulciebant. Alij enim ſic illum ponebant, T.XLV. vt primum Elementum ex eo, quod videbant illum figuræ pyramidalis, & quia inter omnes figuras, pyramis eſt prima, ideo debebatur igni, vt potè primo corpori inter Elementaria. Alij verò mouebantur ex eo, quod pyramis eſt acutiſſima, ſubtilis, & maximè inciſiua, idcircò attribuenda eſt igni, qui inter cætera Elementa eſt acutiſſimus, ſubtiliſſimus, penetratiuus, & valdè inciſiuus. Alij verò nihil dicentes de figura, T.XLVI. idcircò ignem primum, & ſolùm conſtituerunt Elementum, eo quia ſubtiliſſimis conſtet partibus, ex quibus in vnũ coeuntibus fiant res omnes, ſicut ex minutiſſimis auri arenulis coaleſcit illius maſſa.

In eodem textu hos repræhẽdit, quia huiuſmodi poſitio, ſicut coincidit cũ poſitione Leucippi, & Democriti de Athomis indiuiſibilibus, ita pariter, vt illa explodi debet.

In T.XLVII. contra hanc ipſam poſitionem aliam ſubdit impugnationem probando, nullatenus ignem poſſe poni Elementum ex eo; quod conſtet ex partibus indiuiſibilibus, ex quibus fiant compoſita omnia. Quandoquidem Elementa, cum ſint corpora ſimplicia, ex quibus coaleſcunt corpora mixta, & compoſita, quemadmodum iſta ſunt diuiſibilia, & illa debent eſſe diuiſibilia; ſiquidem nullum reperitur corpus in rerũ natura, quod alteri corpori, ſua quantitate, non ſit comparabile, vel ſecundum exceſſum, vel ſecundum defectum, ergo ſi corpora compoſita, & mixta, per ſuam quantitatem habeant comparari cũ corporibus ſimplicibus, vt ſunt Elementa, & iſta debẽt eſſe quanta, & per conſequens diuiſibilia, alioquin nec poſſet fieri comparatio, nec proportio inter illa, quod eſſet contra naturam corporum naturalium.

In T.XLVIII. impugnat eos, qui ignem quidem diuiſibilem faciunt, ſed quiditatiuè figuratum, & pyramidalem; ſiquidem data hac poſitione ſequuntur duo inconuenientia. Alterum quod pars ignis non ſit ignis. Alterum verò dari aliquod corpus, quod nec ſit Elementum, nec mixtum ex Elemẽtis. Probatur primum, quia pars pyramidis non eſt pyramis, ergo cum ignis ſit quiditatiuè pyramis ſecundum hanc poſitionem, ſequi-

Digitized by Google

ſequitur partem ignis non eſſe ignem, quod eſt falſum, quia cum ignis ſit corpus ſimilare, & homogeneum debet habere partes omnes eiuſdem rationis cum ſuo toto. Probatur ſecundum, quia cum pars ignis, ex eo quod non habet figuram totius ignis, non eſt Elementum ignis, & quia non habet figuram aeris, aquæ, & terræ, nec eſt aliquod illorum nec mixtum ex eis, & tamen eſt corpus, cùm pars ſimilaris diuiſa à toto ſit corpus, ergo dabitur aliquod corpus, quod non ſit Elementum, neque mixtum ex eis, quod eſt omninò falſum.

In T. XLIX. impugnat illos Philoſophos, qui diffinierunt Elementum eſſe magnitudine partium, & quantò paruiùs tantò magis eſſe Elementum; nam ſi tale eſſet Elementum, ſequeretur ante Elementum, dari Elementum, & Elementum vſque in infinitum, ſed hoc eſt impoſſibile, ergo malè diffinierunt illud per eſſe magnitudine partium, & paruius. Sequela maioris probatur, quia Elementum, cum ſit corpus diuiſibile in partes, & vnaquæque partium ſit magnitudine paruior ſuo toto, & tales præcedunt Elementum, cum illud componant, ſequitur ante Elementum dari Elemētum, quod eſſet quælibet pars illius: & quoniam quælibet pars eſſet diuiſibilis in partes in infinitum paruiores, ſic daretur Elementum prius Elemento vſque in infinitum. Minor probatur, quia de ratione Elementi eſt eſſe primum, at ſi daretur proceſſus in infinitum nulla pars eſſet prima, igitur nullum eſſet Elementum.

In T. L. ſecundò arguit contra eoſdem; ſiquidem ex illorum poſitione ſequeretur, quod idem ſecundum diuerſos reſpectus, eſſet ignis, aer, aqua, & terra, quod eſſet maximum abſurdum. Sequela maioris probatur, quia iuxtà illorum poſitionem, quod eſt rarius, ſiue minorum partium eſt ignis, quod verò denſius, & maiorum partium, aqua, vel aer, & ſic quod eſt magis denſum, & adhuc maiorum partium, terra; at contingere poteſt, aliqua eſſe minora, & rariora vno, ac maiora, & denſiora altero, ergo idem reſpectu diuerſorum eſſet ignis, aer, aqua, & terra. Minor declaratur, nam ſi inueniatur aliquod Elementum, cuius proportio ſit quanta ignis ad aerem, eiuſmodi Elementum eſſet ignis cum igne collatum, & ignis comparatio illius eſſet aer, & ſic de cæteris, comparatis ad ſeinuicem, ergo poteſt contingere, vt idem ſit ignis, aer, aqua, & terra. Conſequentia tenet cum antecedenti, quia ſecundum poſitionem iſtorum, huiuſmodi Elementa non differunt, niſi ſecundum proportionem magni, & parui in ſeinuicem terminatam.

In T. LI. arguit denique vnico argumento contra omnes, qui ponebant vnicum Elementum, & ex eo pendentia omnia mixta; quandoquidem ſi daretur vnicum tantum Elementum, ex quo eſſent conflata omnia mixta, daretur tantùm vnus motus naturalis, quo mouerentur Elementum, & Elementata, ſed hoc eſſet omninò falſum, & contra experientiam, ergo &c. Sequela maioris probatur, quia vnicuique corpori ſimplici competit tantum vnus motus ſimplex, quo illud cietur, & omnia ſub ipſo contenta, ſecundum illius prædominium, ergo ſi eſſet tantum vnicum Elementum, foret duntaxat vnicum corpus naturale ſimplex, ſub quo continerentur omnia mixta, ſecundum illius prædominium, ſequitur de neceſſitate, quod foret vnicus motus ſimplex tantum, quo mouerentur, & Elementum, & Elementata. Minor probatur, tùm quia experimur grauia moueri deorſum, & leuia ſurſum, & per vnum, & eundem motum moueri non poſſunt, cùm aliud ſit principium inclinatium ad locum deorſum, diſtinctum ab eo, quo tenditur ad locum ſurſum, ergo non poſſet eſſe vnicus motus grauium, & leuium: tùm etiam, quia omnis motus naturalis ſimplex, & rectus, aut eſt à medio, aut ad medium, igitur ſi daretur vnus motus tantùm, quo moueretur tale Elementum, & quoduis corpus mixtum ex eodem conflatum, omnia deberent moueri, aut medio tantum, aut ad medium duntaxat, cuius contrarium patet ad ſenſum, ſiquidem ignis, & ignea, ſicut aer, & aerea cientur ſurſum ad extremum à medio, aqua verò, & aquea, ſicut terra, & terrea feruntur ſuapte natura ad medium deorſum. Reſtat igitur probatum ſufficienter, quod Elementa in rerum natura ſint finita numero, & plura vno.

Digitized by Google

De Generatione, & Corruptione Elementorum ſecundum partem, & non ſecundum totum:

SVMMA VI. CAPVT VNICVM.

HÆc Summa, continens vnicum duntaxat capitulum, diuiditur in tres partes, in quarum prima oſtendit Elementa non eſſe ſempiterna, ſed aliquando diſſolutionem pati. In ſecunda demonſtrat non diſſolui, aut gigni ſecundum ſe tota, ſed tantum ſecundum partem. In tertia autem proponit, & ſoluit dubium de illorum generatione, & corruptione.

Quoad prima partem in T.LII. proponit quæſtionem de ſempiternitate Elementorum, & reſpondet negatiuè per hanc concluſionem: Elementa non poſſunt eſſe ſempiterna, verùm interdùm diſſolutionem patiuntur, & probat quia videmus per experientiam partem ignis diſſolui in aerem, & huius partem in aquam, & huius in terram, igitur nullum Elementum poterit eſſe ſempiternum. Conſequentia tenet, quia de ſempiterno numquam erit verum dicere, hoc aliquando eſt, & aliquando non eſt, ſed ſemper eſt, at quod aliquando diſſoluitur non ſemper eſt, ergo diſſolutio nequit ſtare cum ſempiternitate.

Quoad ſecundam partem, in qua ſtatuit modum diſſolutionis, & compoſitionis Elementorum, quęrit an huiuſmodi diſſolutio abibit in infinitum, aut aliquando ſtabit, & primo arguit, quod non ſit abitura in infinitum, quia tempus illam menſurans deberet eſſe infinitum, & quoniam diſſolutio partium Elementorum ſupponit illarum compoſitionem in totale Elementum, quæ pariter debuit menſurari tempore infinito, ergo ante tempus infinitum diſſolutionis, daretur aliud tempus compoſitionis infinitum, & ſic extra infinitum, & prius, eſſet infinitum, quod infinito repugnat. Secundò arguit ſecundum membrum diuiſionis, nimirum diſſolutionem aliquando terminari; & terminum habituram in aliquo corpore, & tunc quærit ſi tale corpus foret indiuiſibile, aut diuiſibile quidem potentia, ſed non actu, quia numquam diuidetur, vt dicebat Empedocles. Non poteſt dici primum, vt ponebant Leucipus, & Democritus; quia tunc Elementum eſſet compoſitum ex indiuiſibilibus, quod eſt impoſſibile, vt ſuperius demonſtratum fuit contra illos. Neque ſecundum admitti poterit, quandoquidem facilius eſt diſſolui minus diuiſibile, quam maius, ſiquidem minus habet minorem reſiſtentiam ad pati à ſuo contrario, quam maius, ſed maius diuiſibile actu videtur diſſolui in minora, ergo multò magis diſſoluetur, quod eſt minus diuiſibile, in quo dicebatur ſtare Elementorum diſſolutio. Neque valet dicere illud minus non corrumpi actu, quia caret contrario, à quo corrumpi poſſit. Siquidem corruptio dupliciter contingere poteſt, nempe à contrario *externo*, & intrinſecè. Priori modo ignis corrumpitur ab aqua, quæ ſecum pugnat per ſuas qualitates, contrarias qualitatibus ignis, & iſta dicitur extinctio. At poſteriori modo corrumpitur ignis paruus à magno, & huiuſmodi corruptio vocatur marceſcentia. His duobus modis corrumpi poteſt ignis etiam paruus, ac *proinde quodlibet* diuiſibile paruum, cuiuslibet Elementi, non ſolum potentia, ſed etiam actu diuidetur contra Empedoclem.

Quoad tertiam partem mouetur dubium, ſiquidem aliquis poſſet dicere, ſuperiorem diuiſionem, ad probandam diſſolutionem Elementorum, eſſe inſufficientem, quia reſolutio eorumdem poſſet fieri non ad aliquod corpus vt ſupponitur, ſed ad materiam primam, quæ eſt ingenetabilis, & incorruptibilis, igitur diſſolutio poſſet ſtare ad aliquid, quod eſſet quidem diuiſibile, & non diuidetur, vt dicebat Empedocles. Occurritur huic dubio ex alias dictis ab eodem, negando conſequentiam, quandoquidem reſolutio huiuſmodi ſemper fieret ad corpus generabile, & corruptibile, quia materia nequit naturaliter exiſtere ſine forma.

Ex his colligitur, Elementa eſſe quidem generabilia, & corruptibilia ſecundum partes, non autem ſecundum ſe tota, alioquin tolleretur ordo, & bonum Vniuerſi, quæ conſiſtunt in conſiſtentia perpetua omnium ſuarum partium, inter quas enumerantur etiam Elementa.

De mutua elementorum generatione, & corruptione.

SVMMA VII. CAPVT VNICVM.

Viſo in præcedentibus, quod elementa ſunt generabilia, & corruptibilia, ſaltem ſecundum partes, & non expendit à quibus fiant huiuſmodi generationes, & corruptiones, proponit T.LIII. in præſenti inueſtigare, quomodo, & à quibus fiant. An nimirum fiant ex corpore, vel ex non corpore; & ſi ex corpore, an ex alijs ab elementorum corporibus diuerſis, aut ex ſeipſis viciſſim. Quapropter in T.LIV. Arguit contra eos, qui dicere poſſent, generationes huiuſmodi fieri ex corpore nequaquam, ſed ex non corpore; nam admiſſa hac eorum poſitione ſequeretur, in huiuſmodi generationibus, dari vacuum ſeparatum, at hoc eſt impoſſibile, vt oſtendit in lib.4. Phyſicorum, ergo &c. Sequela maioris probatur, nam omne, quod fit, in aliquo loco fit, aut igitur id, in quo fit aliquid, eſt incorporeum, aut habet corpus; ſi dixeris habere corpus, ergo duo corpora erunt, ſimul in eodem loco, videlicet id quod generatur, & id quod ponitur præexiſtere, quod naturaliter eſt impoſſibile: ſi verò dixerint illi, eſſe in corporeum, ergo inferam ego, ibi erat vacuum ſeparatū, quia locus, nullo repletus corpore, eſt vacuum, vt demonſtrauit in Phyſicis loco ſupra citato.

In T.LV. impugnat aliud membrum diuiſionis, quod generatio elementorum non fiat ex aliquo corpore, tùm quia datetur aliquod corpus prius elementis, & ſic elementa non eſſent elementa, cùm non eſſent prima principia aliorum corporum: tùm etiam quia tali corpus, aut haberet grauitatem, aut leuitatem, aut neutram; ſi dixeris primum, vel ſecundum, ergo eſſet aliquod elementorum, ſiquidem vbi dantur paſſiones elementorum, quæ ſunt grauitas, & leuitas, ibi debet eſſe natura eorumdem elementorum: paſſiones enim fluunt inſeparabiliter à natura ſubiecti, ergo fruſtra eſſet quærere, ſi elementa fierent ex alio corpore, cùm eſſet eadem ratio de vtriſque. Si autem dixeris, nullam habere propenſionem, igitur non erit corpus naturale, aut phyſicum, ſed mathematicum; & tunc quæritur aut eſſet in loco naturali, aut violento, aut in nullo loco eſſet. Si eſſet in loco naturali eſſet graue, vel leue, & ſic eſſet aliquod elementum: ſi violento, eſſet corpus elementatum, & poſterius generationibus elementorum. Si verò non eſſet in aliquo loco, nec naturaliter, nec violenter, ergo de illo nihil fiet, quia quod fit, in eo quod fit, neceſſe eſt ſimul eſſe in eodem loco. Ex his colligitur intentum huius diſputationis, cùm enim generatio elementorum nequeat fieri ex non corpore, neque ex corpore alio ab elementis; neceſſariò inferendum eſt, illam fieri ex ſeinuicem, viciſſimque ex alterutris.

Nota contra Thomiſtas dicentes, ſeparari à ſuis ſubiectis.

De mutua elementorum generatione ſecundum ſententias Antiquorum.

SVMMA VIII.

Iſta Summa, quæ eſt vltima, in qua diſputat cum Antiquis de elementorum generatione, diſtribuitur in tria capita, iuxtà tres opiniones, quas refellere intendit. In quorum primo arguit contra illos, qui aſſerebant generationem elementorum mutuam fieri per ſegregationem vnius ab alio. In ſecundo diſputat contra alios, qui putabant, illam fieri ex ſuperficiebus, & figuris. In tertio tandem impugnat Platonicos, aſſerentes, elementa conſtitui, & diſtingui eſſentialiter per figuras.

Quoad primum in T.LVI. proponit ordinem diſputationis, inquiens, cùm iàm determinatum exiſtat in præcedenti, elementorum generationem fieri debere ex ſeinuicem, nunc conſiderandum eſt de modo. Vtrum fieri debeat ſecundum opinionem Empedoclis, & Democriti, vel, vt dicebant alij, ex ſuperficiebus: vel an præter hos, detur alius modus.

In eodem textu narrat opinionem Empedoclis, & Democriti, dicentium, omnes res generabiles contineri actualiter in elementis, tanquam in vaſibus, ex quibus, ſi ſegregentur per motum localem, dicuntur generari. Ex quo deducit horum opinionem, vt ad propoſitum, ſpectat, quod elementa tunc dicuntur ex ſe mutuò generari, cum vnum ſeparatur localiter, ſe-

ſecundum partes ab alio, in quo prius actu continebatur ſicut in vaſe. Contra hanc opinionem ſic explicatam inſurgit dicens, hos Philoſophos ignorare ſeipſos, dum ſic dicendo, refugiunt à veræ generationis natura, & ſolùm apparentem faciunt; nam de ratione generationis veræ eſt, quod ſit mutatio alicuius formæ, in aliqua materia, per eductionem, & inductionem alterius in eandem, quæ prius latebat ſub forma mutata per eius corruptionem, vt omnes habent fateri, atqui per ſolam ſegregationem vnius elementi ab alio, in quo latebat, vt in vaſe, nulla videtur mutatio formæ præexiſtentis, & inductio formæ elementi geniti, ſecundum eos, verùm duntaxat motus localis, quo è gremio alterius elementi, ſegregatur, & egreditur, quod prius in eo latens continebatur actualiter ergo talis mutatio non eſt vera, ſed tantum apparens generatio.

In T. LVII. Arguit ſecundo contra eandem opinionem, quandoquidem, ea admiſſa, ſequuntur non minus abſurda, quàm præcedentia; & primum conſequitur, quod per ſolum motum localem aliqua magnitudo ſit grauior, quàm prius erat, atqui hoc eſt maximum abſurdum, quia ſicut magnitudo per ſolam conſtrictionem, non fit grauior vt apparet in aqua congelata, & multis alijs rebus, ita dicendum eſt, non fieri grauiorem per motum localem ſegregationis, ſeu rarefactionis. Sequela maioris oſtenditur, quia dum ex aere fit aqua, ipſa Solum generatur per ſegregationem partium, quæ ſecundum ipſos erant in aere, atqui per talem ſegregationem aqua euadit grauior, quàm dum continebatur in aere, ergo per ſolam ſegregationem partium, quæ eſt motus localis, aqua acquirit illam grauitatem, quam prius non habebat, quod eſt omninò falſum.

In T. LVIII. Arguit tertio oſtendendo aliud abſurdum ſequi ex poſitione ſupradicta, nempè vnum elementum genitum ex alio non poſſe occupare maiorem locum, quàm faciebat, dum erat actualiter vnitum, ſed hoc pugnat cum ratione, & experientia, ergo &c. Sequela maioris probatur, quia ſi dentur duo corpora mixta, aut congregata, ita quod vnum actualiter contineatur in alio, ſi alterum illorum ſeiungatur ab alio, non oportet vt occupet maiorem locum, quàm antea, ſiquidem retinet eandem formam, eandemque virtutem, ergo idem dicendum eſſet de duobus elementis, ſi vnum actualiter eſſet contentum & congregatum cum alio. Minor probatur, nam ſi aer fiat ex aqua per ſegregationem, ipſe aer occupabit maiorem locum, ſiquidem ſubtiliorum partium eſſet ſegregatus ab aqua, quàm ſi fuiſſet vnitus cum ea, ergo ſignum erat, quod non continebatur actualiter in aqua, ac proinde illum non fuiſſe genitum per ſeparatione ab ipſa. Secundo probat illam minorem per experientiam. Nam ſi includatur aqua in aliquo vaſe bene clauſo, vt euaporare non poſſit, & ei ſupponatur ignis, tunc aqua rarefit, & ex ea gignitur aer, qui cùm petat exitum, non valens ampliùs contineri intra illius vaſis anguſtias, cogitur diſrumpere vas quamuis lapideum, & æneum eſſet, ergo ſignum eſt, quod aer ſegregatus ab aqua, in qua vna ſimul continebatur, ſi per ſegregationem foret genitus, deberet occupare maiorem locum, quàm prius occupabat, & nihilominus oppoſitum deberet ſequi, ſi vnum elementum actu contineretur in alio, & ex eodem gigneretur per ſolam ſeparationem ab illo, vt dicunt Empedocles, & Democritus.

In T. LIX. Arguit denique ad idem, quia ſi generatio elementi fieret per ſolam ſegregationem eius ab eo, in quo actu continebatur, ſequerentur duo alia inconuenientia, alterum, quod generatio aliquando deficeret, vel alterum, quod in magnitudine finita contineretur infinita generabilia finita numero. Probat priorem conſequentiam, nam poſito, quod ex terra generetur aqua, quæ actu continebatur in ipſa, certum eſt, quod ſegregaretur aliqua portio terræ: Vlteriùs pono aliam aquam, ex terra relicta fieri, rurſus certum erit, amplius minorari terram; continuetur iterum generatio alterius aquæ, & ſic terra toties minorabitur, vt deficiat generatio aquæ; ſiquidem omne finitum per ablationem partium finitarum ab eo, tandem conſumitur. Probat poſteriorem conſequentiam, quia poſita generatione aquæ ex terra per ſolam ſegregationem, aut minorabitur terra per iteratam generationem ex ſola ſegregatione aquæ contentæ in magnitudine finita terræ, aut abſque eiuſdem mino-

Digitized by Google

minoratione continuabitur generatio aquę vſque in infinitum. Si detur primum, certum eſt, defecturam tandem aquæ generationem ex illa magnitudine finita terræ: Sin autem concedatur ſecundum, de neceſſitate concedi etiam debet, quod infinitæ aquæ generabiles actu continebantur in illa magnitudine finita terræ quod non minus impoſſibile erit, quàm illud de deficientia generationis ex elementis alterutris & ex ſeinuicem, igitur vt euitentur omnia hæc inconuenientia, concludendum erit, generationem mutuam elementorum non fieri per ſolam ſegregationem, vt dicebant Empedocles, & Democritus.

Quoad ſecundum Caput T.LX. in quo refellere intendit duas opiniones de generatione mutua elementorum, non quidem per ſegregationem vnius ab alio, ſed per mutuam tranſmutationem inſeinuicem, quarum prima ponit, elementa tranſmutari per ſolam tranſfigurationem, hoc eſt mutationem figurarum, penes quas diſtinguuntur à ſeinuicem: quemadmodum enim eadem cera exiſtens ſub figura ſphærica, poteſt tranſmutari de ſphæra in cubum per ſolam mutationem figuræ, quam habet, in figuram cubi, ſic vnum elementum poteſt fieri alterum per tranſmutationem figurarum, quibus à ſeinuicem erant diſtincta. Secunda verò aſſerit fieri huius generationem mutuam per ſolam tranſmutationem ſuperficierum, ex quibus coaleſcunt, & abinuicem ſecernuntur.

In eodem tex 60. arguit contra primam opinionem de figuris, ſi elementa generarentur mutuò per ſolam mutationem figurarum, quas ſibi vendicant, elementa forent indiuiſibilia, ac proinde non poſſent ſe mutuò commutari ſecundum ſuas ſubſtantias, ſed hoc eſſet contra ſuppoſitum, ergo illorum generatio nequit eſſe per ſolam transfigurationem. Sequela maioris probatur, quia quælibet figura eſt indiuiſibilis, ſed elementa quælibet limitantur proprijs figuris, vt ignis pyramide; terra cubo, ergo quemadmodum quæuis figura eſt indiuiſibilis, ita quodlibet elementum erit indiuiſibile. Minor conceditur ab opinantibus, cùm aſſerant omnia corpora conſtitui eſſentialiter, & eſſentialiter diſtingui per figuras, vt ſuperius viſum fuit. Minor probatur, quia pars pyramidis non eſt pyramis neque pars cubi cubus, ergo tàm pyramis, quàm cubus, in ratione figurarum, ſunt indiuiſibiles, & per conſequens ignis, & terra per illas conſtituti, ac limitati ſunt indiuiſibiles redditi, & ſic nequeunt inſeinuicem tranſmutari.

In T. LXI. Incipit refellere ſecundam opinionem Platonis, ac ſenis, ac ſectatorum, aſſerentium tria elementa ſcilicet ignem aerem, & aquam poſſe adinuicem tranſmutari, cùm omnia conſtent ex materijs eiuſdem rationis, nempè ex figuris ſuperficialibus Iſopleuricis, ſeu ſcalenicis; terram autem eſſe intranſmutabilem, cùm conſtet ex materia alterius rationis; nimirum ex figura cubica, quæ eſt alterius rationis à figura ſcalenica, ſiue Iſopleurica; tranſmutatio enim ſupponit materiam communem, & eiuſdem rationis, vt ſit apta recipere formas rerum tranſmutabilium, cùm igitur Ignis, aer, & aqua conueniant in communi, terraque habeat materiam diſparatam ab aliorum materia, hinc ſequitur non poſſe hanc ideſt terram, tranſmutari cùm cæteris elementis, ſicut illa inter ſe. Contra hanc opinionem, ſic breuiter explicatam, arguit demonſtrando ex illa conſequi nonnulla abſurda, ac proinde non poſſe ſuſtineri. Primum igitur abſurdum, quod ſequitur ex illa, eſt, quod non omnia elementa generentur ex ſeinuicem, ſed tantum tria, atqui eſt valdè rationabile, quod omnia tranſmutentur, cùm hoc ſit patens, & manifeſtum ſenſibus, ergo facere vnum elementum intranſmutabile, ſicut eſt alienum à ſenſibus, ita infert validum inconueniens, & hoc tanquam abſurdum à veritate reijciendum.

In eodem textu infert ſecundum abſurdum, quod ex tali poſitione, principia non reſpondent principiatis; oportet enim corruptibilium principia eſſe corruptibilia, & perpetuorum perpetua; atqui ex hac poſitione, principiata ſunt naturalia, nempè tranſmutationes, vel intranſmutationes elementorum, quæ ſunt effectus rerum corruptibilium, principia verò, & cauſæ ſunt figuræ ſuperficiales, quæ ſunt geometricæ, & mathematicales, ergo principia non reſpondent principiatis, quod eſt maximum abſurdum, & inconueniens.

In eodem textu infert tertium abſurdum nempè quod de ſenſibilibus diſputare volentes,

lentes, nituntur illa deducere ex principijs non ſenſibilibus, cuiuſmodi ſunt mathematicalia, quod eſt maximum abſurdum, ſiquidem ſcientia naturalis, quæ conſiderat res ſenſibiles, & materiæ, inuolutas, diſtinguitur à mathematicis, quæ agunt de rebus inſenſibilibus, cuiuſmodi ſunt quantitates à ſenſibili materia ſeiunctæ. Hoc autem faciunt ob affectum, quem habent ad res, & ſcientias mathematicales, quàmuis ex eis non poſſint rectè deducere res, & effectus naturales.

In T.LXII. infert quartum abſurdum, ſiquidem ex tali poſitione ſequeretur ſolam terram fore elementum, & non cætera, quæ tamen Plato dixit eſſe elementa tranſmutabilia ibſeinuicem. Sequela maioris probatur, quia ſecundum Platonem de ratione elementi eſt incorruptibilitas, & indiſſolubilitas, cùm ſit primum ex quo cætera componuntur, & in quod omnia reſoluuntur, ipſumque in nullum, ſed ſola terra eſt incorruptibilis, & indiſſolubilis ex eodem Platone, ergo ſola terra eſt elementum, quod eſt contra ipſum, & valdè abſurdum etiam ſecundum veritatem.

In T.LXIII. infert aliud abſurdum, quod erit quintum in ordine, nempè quod nec illa tria eſſent adinuicem tranſmutabilia mutuò, atqui hoc eſſet abſurdum contra ipſum Platonem, ergo &c. Sequela maioris probatur, nàm ſecundum hanc poſitionem elementa conſtant ex triangulis inæqualibus, ignis enim conſtat ex quatuor Iſopleuris, aer ex octo & aqua ex viginti pariter triangulis Iſopleuris, ponamus igitur elementum aquæ, conſtans ex viginti triangulis, conuerti debere in elementum aeris habentis tantùm octo triangulos, tunc duodecim trianguli, qui ſupereſſent, forent ſuperflui ſi in elementum ignis, ſexdecim eſſent ſuperflui, & exinde ſequeretur, quod nec aqua conſiſteret in ratione elementi, nec aer, nec ignis poſſent dici fieri ex elemento aquæ, cum illi deficerent aliqui trianguli requiſiti ad eius conſiſtentiam neque vniuerſaliter vllum eorum poſſet tràſmutari in alterum, quoniam conſtant ex triangulis inæqualibus, quod eſſet valdè abſurdum, & contrà eorum poſitionem.

In T.LXIV. ex hac poſitione deducit aliud abſurdum, & maximum inconueniens, nimirum quod generatio fieret ex non corpore, cuius oppoſitum docebat Plato quod autem ſic ſequatur, probat, nàm generatio elementi ſecundum hanc poſitionem, habet fieri ex ſuperficiebus, ſeù ex figuris ſuperficialibus, ſed nulla ſuperficies eſt corpus, quia hoc exigit trinam dimenſionem, & ſuperficies habet tantum duas dimenſiones, ergo generatio elementi fieret ex non corpore contra Platonem.

In T.LXV. denique infert vltimum abſurdum, & maximum inconueniens, nempe quod corpus eſſet indiuiſibile, nedùm contra Platonem, verum etiam contra certiſſimas ſcientias mathematicas, quæ faciunt omne corpus, & ſenſibile, & abſtractum à materia ſenſibili, diuiſibile. Probat conſequentiam, quia ſecundum hanc poſitionem, omnia corpora elementaria limitant ſibi figuras proprias, à quibus conſtituuntur in eſſe corporis elementaris, vt ſuperius declaratum fuit ex communi ſententia Platonicorum, ſed quælibet harum figurarum eſt indiuiſibilis, ergo vnaquæque conſtituit ſibi proprium corpus indiuiſibile, ac proinde omnia elementa erunt corpora indiuiſibilia. Minor probatur, quia pars pyramidis non eſt pyramis, neque pars ſphæræ eſt ſphæra, neque pars trianguli, aut exanguli, erit triangulus, vel exangulus, & ſic de cæteris, ergo omnes figuræ conſtitutiuæ elementorum ſunt indiuiſibiles, & per conſequens omnia corpora elementaria, forent indiuiſibilia, quod eſt impoſſibile, cum ex indiuiſibilibus nil componi poteſt, ex dictis.

Quoad tertium caput, in quo pleniori, ac planiori ſtylo refellere ſtudet. Platonicorum opiniones circa figuras eſſentiales Elementorum, & in T.LXVI. incipit arguere hoc pacto, ſi omnia elementa eſſentialiter differant per figuras, ſequitur dari neceſſariò vacuum in loco elementorum, atqui hoc ponere eſt irrationabile, vt aliàs probatum eſt in quarto. Phyſicorum, ergo &c. Sequela maioris probatur, quia omnes figuræ, aut ſunt planæ, aut ſolidæ, ſed ex planis tres tantùm videntur implere locum, etiamſi ſimul ſe tangant, nempè Triangulus, Quadratum, & Sexangulus: ex ſolidis verò duæ duntaxat, nimirùm Pyramis, & Cubus, & iſte quinque non ſufficiunt, quia præter iſta quatuor elementa, apponunt hi Philoſophi infinita alia ele-

menta, quæ ſunt corpuſcula athomorum, ergo ſi omnia elementa conſtituantur, & differant eſſentialiter per figuras, neceſſariò ſequitur locum elementorum non eſſe figuris repletum, & ſic dari vacuum ſeparatum. Minoris prima pars eſt nota ex Geometria. Secunda verò liquet, quia illæ quinque figuræ conſtituunt tantùm hæc quatuor corpora elementaria ſcilicet ignẽ, Aerem, Aquam, & Terram, vt aſſerunt Platonici, ergo cùm elementa ſint infinita, vel neceſſe erit ſumere infinitas figuras, contra Platonicorum ſententiam, vel admittere non omnia elementa eſſe eſſentialiter figurata, vt aſtruunt alij, quos ſupra retulit.

In T.LXVII. arguit ſecundo ad idem de figuris elementorum, quia omnia corpora ſimplicia figurantur à continente, vt patet de Aqua, Aere, & igne, qui ſi ponantur in aliquo vaſi, ſiue rotundo, ſiue quadrato; ſiue triangulari, non ſub alia figura apparent noſtris aſpectibus, quàm ſub illa continentis, ergo nullum elementum poteſt habere figuram eſſentialiter, & permanenter à ſe, cùm illam habeant ab alio. Antecedens probatur, ſi enim non haberent figuram à continente, tunc, cùm ab ipſo circumſcribentur, non tangerent illud ex omni parte, cuius tamen oppoſitum patet ad ſenſum; nedùm in elementis fluxibilibus, ſed etiam in terra, ſi abſque aquæ commiſtione accipiatur, quia ſic ſe habet tractabiliter ad inſtar cineris, ergo ſignum eſt, figurari omnia à ſolo continente, & non eſſentialiter à ſeipſis.

In eodem t. arguit tertio ad idem, nàm ſi figura ſit differentia conſtitutiua vnius elementi, & diuiſiua eſſentialiter illius à cæteris, ſequitur quod in tranſmutatione aquæ, v.g. in Aerem, Aqua non erit amplius Aqua ſed Aer, ſiquidem accipiet figuram Aeris, & propriam amittet; at vtroque admiſſo, manifeſtum erit, quod eorum figuræ non erant differentiæ eſſentiales illorum elementorum, cùm poterant amitti, & ſeparari à ſuis conſtitutis.

In eodem t. arguit quarto ad idem, elementa ſunt materia omnium miſtorum, ſicut materia prima eſt receptiua omnium formarum prout ſcripſit Plato in Timæo, ergo quemadmodum materia non ſibi limitat, ac determinat aliquam formam propriam, ſic neque elementa poſſunt determinare ſibi aliquas figuras eſſentialiter, alioquin non poſſent tranſmutari, & recipere formam miſti vnius, ſicut neque materia alias formas, ſiquidem omne recipiens debet eſſe denudatum à natura recepti ad hoc vt poſſit aliud recipere.

In T.LXVIII. arguit quintò ad idem, ſi elementa differrent eſſentialiter figuris, aut ſuperficiebus figuratis, tolleretur omninò è natura generatio miſtorum, ſed hoc eſſet validiſsimum abſurdum, ergo potiùs dicendum eſt illa non ita eſſentialiter differre. Sequela maioris probatur, nàm accipiantur os, caro, & ſimilia, quæ ſunt miſta, & quæratur à quibus habeant eſſe, an ex figuris ſolùm, vel ex elementis figuratis ſimul cum ſuperficiebus? non poſſunt dicere ex figuris tantùm, quia figuræ, cùm ſint quantitates, vel relatiua, & miſta ſubſtantiæ, non poſſunt fieri ex non ſubſtantijs; neque ex elementis ſic figuratis cum ſuperficiebus, quia ſecundum illos, elementa fiunt compoſitione ex ſuperficiebus, & non miſta, igitur ſi miſta habent fieri ex elemẽtis, hæc debent eſſe nuda, & nõ figurata ſuperficiebus.

In T.LXIX. refert fundamẽta quorumdam Diſcipulorum Platonis in applicandis figuris elementis. Nàm aliqui videntes ignẽ eſſe facile mobilem, & calefactiuũ, & exuſtiuum, ratione mobilitatis applicuerunt illi figuram ſphæricam, cùm ſit facilis ad motum; ex eo enim poſtea quod ſit calefactiuus, & exuſtiuus, tribuerunt etiam ſibi figuram pyramidalem, quæ cùm ſit acutiſſimi anguli, habet vim calefaciendi, ac vrẽdi, anguli enim omnes calefaciunt, incidunt & exurunt, ex illorum ſententia. Alij verò reſpicientes ad affectiones, tribuerunt Aeri figuram octocedricam, & Aquæ figuram viginti baſium, illi, quia paruitate motus ſequitur ignem, iſti verò, quia per eandem rationem ſequitur Aerem. Alij verò reſpicientes ad virtutem & potentiam, tribuerunt terræ figuram cubicam, cùm terra ſit maximè ſtabilis, ſicut figura cubica. Hiſce opinionibus relatis dicit, huiuſmodi, nec conuenire poſſe elementis, nec reſpiciendo ad motum, nec ad affectiones, neque ad virtutem, & potentiam, tamquam differentias eſſentiales, ſicut nititur oſtendere in ſequentibus textibus.

Quamobrem in T.LXX. primùm arguit de

de motu, inquiens, vtroſque peccaſſe loquentes de motu, & qui poſuerunt figuram ſphæricam, & qui pyramidalem, quandoquidem, & ſi de facili mobiles appareant, non proptereà applicari poſſunt igni, quia ignis eſt mobilis motu recto ſurſum, illæ verò motu circulari, ſiue eo, qui appellatur volutationis, qui abinuicem diſconueniunt.

In T. LXXI. Si terræ conuenit figura cubi ratione ſtabilitatis, aut hoc erit, dùm manet in proprio loco, aut in alieno, ſed neutro modo cubus diſtinguit ipſam à cæteris elementis, ergo cubus nequit eſſe differentia eſſentialis conſtitutiua terræ. Maior patet, quia ratione loci nequit terra conſiderari. Minor probatur, quia ratione loci proprij, ita ignis quieſcit in proprio loco, aer, & aqua in ſuo, ſicut terra in proprio, ergo omnia elementa in proprijs locis erunt cubi, ac proindè ratione cubi terra non differt eſſentialiter à cæteris. Si verò attendatur ratione alieni loci, omnia elementa erunt ſphæra, & pyramis, ſicut ignis, cùm omnia faciliter moueantur ad propria loca, ſi non prohibeantur in alienis, ergo ratione figurarum elementa non differunt eſſentialiter.

In T. LXXII. Arguit ad idem, ſiquidem per vos, ò Platonici, ideò ignis eſt calefactiuus, & exuſtiuus, quia eſt pyramis, & habet angulos, qui calefaciunt, & exurunt, ergò non diſtinguetur à cæteris elementis ratione figuræ ſibi propriæ. Conſequentia tenet, quia etiam cætera elementa habent figuras angulares, defferuntque ſolùm ſecundum maiorem, & minorem acutiem, quæ non variant ſpeciem, & eſſentiam, ergo ignis ratione figuræ non diſtinguetur à cæteris. Antecedens patet, quia omnes figuræ conſtitutiuæ aeris, & aquæ ac terræ conſtant ex triangulis, ſiue ſcalenoribus, ſiuè Yſochelibus, vt ſuperius diximus, ergò omnia elementa habent angulos, & ſolùm differunt ſecundum magis, & minus.

In eodem t. arguit ad idem contra eoſdem deducendo illos ad inconueniens, nimirum, quod etiam corpora mathematica calefacerent, & vrerent, ſi ignis vrit, & calefacit propter angulos, igitur & corpora mathematica poterunt vrere, & calefacere, cum habeant angulos, atqui hoc eſt maximum inconueniens, ergo neque ignis erit calefactiuus, & vſtiuus propter angulos. Quod autem corpora mathematica habeant angulos, patet enim ex eo, quod habent, indiuiſibilia, vt ſunt puncta, quæ poſſunt eſſe coni angulorum. Aſſumptum verò eſt notiſſimum apud omnes, quod calefacere, & vrere ſunt effectus caloris, quo carent corpora mathematica, cùm ſint quantitates.

In T. LXXIII. arguit ad idem, quia tunc ſequeretur omnia combuſtibilia fieri ſphæras, & pyramides, quod eſt manifeſte falſum. Sequela maioris, *ſiue conſequens* probatur, quia per vos, ignis & ſphæra, & pyramis eſt, ſed combuſtibile dùm vritur fit ignis, vt patet ad ſenſum, ergo combuſtibile, dum vritur, fit ſphæra, & pyramis, quod eſt falſum; quia combuſtibile eſt ſubſtantia, & ſphæra, ac pyramis figuræ de genere quantitatis, vel relationis, in quibus non poteſt dari tranſitus.

In T. LXXIV. probat ignem non eſſe ſphæram, & pyramidem *perſe*, *licet poſſet* eſſe per accidens, nàm in tantùm dicunt, ignem, eſſi ſphæram, & pyramidem, quia incidere, & diuidere, quæ ſunt effectus harum figurarum, competunt ei per ſe, ſed ridiculum eſt hoc aſſerere de igne, ergo &c. Minor probatur, nàm congregare eſt proprium ignis, ſiquidem congregat partes ſimilares abinuicem diuiſas in vnum, vt patet in ſeparatione auri à partibus terræ, vel alterius metalli, diuidit quidem inter illas, at per accidens verùm congregat illas partes auri per ſe, ergo quàmuis igni poſſit attribui eſſe ſphæram, vel pyramidem, hoc non erit ſibi eſſentiale, verùm duntaxat accidentale.

In T. LXXV. probat denique ignem nullam figuram ſibi limitare poſſe, quandoquidem calidum nullam ſibi limitat figuram, ſed ignis eſt calidus, ergo ignis nullam ſibi limitat figuram. Minor patet ad ſenſum. Maior probatur, ſi calidum limitat ſibi figuram, & frigidum, quod eſt illi contrarium, contrariam figuram ſibi limitare debet, ſiquidem contrariorum contrariæ ſunt affectiones, & paſſiones, atqui frigidum contrariam figuram illi, quam haberet calidum ſibi determinare nequit, quia figuræ, cùm ſit de genere quantitatis, nihil contrarium eſt ergo frigidum

gidum, & calidum nullam ſibi determinant figuram, ac proinde nec ignis vllam habebit figuram ſibi proponam.

In T. LXXVI. arguit ad idem, calidum non differt à frigido figura, ergo neque ignis habebit differre figura ab aqua, quæ eſt frigida: ſiquidem ignis differt ab aqua per caliditatem, & aqua ab eo per frigiditatem. Antecedens probatur ex conceſſis à Platonicis; nàm frigidum dicitur id, quod eſt magnarum partium, quapropter conſtringit, & non tranſit per meatus, igitur calidum erit illud, quod eſt ſubtilium partium, ac ideò de facili tranſiens per meatus, ergo ſicut calidum, & frigidum, non figuris, ſed magnitudine, & paruitate differunt, ita ignis, & aqua, non figuris, verum magnitudine, & paruitate diſcriminantur quod eſt contrarium ijs, quæ hactenus docuerunt, & mordicus viſi ſunt aſſerere.

In eodem t. alio argumento denique probat, ignem non ſibi limitare pyramidem pro figura ſibi eſſentiali nàm ſi pyramides ſint inæquales, quia aliæ ſunt magnæ, & aliæ ſunt paruæ, igitur cùm ignis, vtpotè calidus, ſit ſubtilium, & paruarum partium, eius pyramides erunt paruæ, aqua verò, vtpote frigida, cùm ſit magnarum partium, obtinebit pyramides magnas, ergo cum iſtæ non ſint cauſa calefaciendi, & vrendi in aqua, nec illæ habere poterunt eundem effectum in igne, alioquin magnitudo, & paruitas facient differentiam eſſentialem, quod ſupra improbatum fuit.

In T. LXXVII. & vltimo, cùm hactenus oſtenderit, elementa non poſse differre eſſentialiter per figuras ſibi proprias, concludit aliunde venandas eſſe eorundem differentias eſſentiales, & non niſi ex affectionibus, paſſionibus, ac operibus, quæ illorum naturam conſequuntur, vt potè corpora naturalia: ſiquidem ex his quæ nobis inoteſcunt, inueſtigare cogimur proprias differentias eſſentiales, quæ vt plurimum nos latent.

Et hæc de textu huius libri Ariſtotelis de Cœlo, & Mundo dicta ſufficiant.

De Elementorum Quiditatè, Quantitate, & Qualitate.

DISPVTATIO VNICA.

QVamuis multa, eaque neceſſaria, de quantitate, & qualitate elementorum, cùm in genere, tùm in ſpecie, alibi diſſeruerimus nimirum in primo libro Meteorologicorum Ariſtotelis Diſp. 1. à quæſtione quarta vſque ad 10. incluſiuè, in 2. de Anima diſp. 3. q. 7. ac in his libris de Cœlo, & Mundo; vt ſuperuacaneum aliàs à nobis iudicatum fuerit de illis ampliùs pertractare, tamen quoniam receſſimus ab illo priori intento, quem habebàmus de non explanando hunc tertium, & quartum ſequentem librum de Cœlo, & Mundo, maximè, quia de eadem materia ſermonem, & fuſiùs, habituri ſumus in duobus ſequentibus libris de Generatione, & Corruptione, ac circò, ne huic aliqualiter expenſo, ſequentique, Deo dante, expendendo, quæſtiones, vt noſtrum eſt, vtiliores, neceſſariæque deſint, præſentem Diſputationem texere decreuimus, in qua difficultates, quæ cæteris ſupereſse hactenus viſæ fuerint, pro viribus diſcutere, & enucleare tentabimus. Sit igitur prima difficultas de quiditate elementorum in communi.

Vtrum Elementum ſit rectè diffinitum ab Ariſtotele in textu 31.

QVÆSTIO I.

HOc nomen elementum, eſse æquiuocum, ac diuerſis in locis variè fuiſse ab Ariſtotele vſurpatum liquido conſtabit cuicumque legenti eius textum. Nàm primo Phyſicorum t. 36. accepit illud pro principio eſsentiali, concurrenti ad compoſitionem rerum naturalium; & ſic materia, forma, & priuatio dicuntur elementa rerum naturalium, inquit enim. *Tria igitur dicere elementa eſſe, & ex his, & ex huiuſmodi alijs conſiderantibus, videbitur vtique habere rationem quandam &c.* Deinde ſecundo Phyſicorum t. 31. illud extendit ad partes integrales alicuius totius, ſiue tale ſit ſubſtantiale, ſiue accidentale, dùm dixit. *Elementa enim ſyllabarum, &*

materia

materia factibilium, & ignis, & huiuſmodi corporum, & partes totius, & ſuppoſitiones concluſionis, vt ex quo, cauſa ſunt. Et de elemento hoc pacto accepto, locutus eſt etiam in quinto lib. Metaph cap. 3. t. 4. ac alibi. Denique tertio ſumpſit illud pro quocumque corpore ſimplici, ſiue ingrediatur compoſitionem miſti ſiue non, & ſic enumerantur ab eo quinque elementa; nempe Cœlum, Ignis, Aer, Aqua, & Terra; hæc enim quatuor ingrediuntur compoſitionem miſti, illud verò nequaquam, quàmuis & ipſum ſit neceſſarium, & de elemento hoc pacto conſiderato egit in primo libro de Cęlo t. 91. & 97. ac primo lib. Meteorologicorum cap. 2. & nos cum ipſo ibidem Diſp. 1. q. 4. ſect. 1. Quod autem omnes iſtæ acceptiones elementorum conueniant, non tantùm in nomine, verùm etiam in aliqua ratione generaliſſima, ſiue ſit vniuoca, ſiue analogica, aut æquiuoca, vt nonnullis placet, manifeſtè patet; quia omnia ſunt principia prima, ex quibus aliqua componuntur, & in quæ, ex eis compoſita reſoluuntur, vt dicit Ariſtoteles in præcitatis locis, & potiſſimùm in quinto. Metaphyſ. cap. 3. t. 4. vbi exemplificat de omnibus ſub illa generaliſſima ratione, quàmuis reuera ſint æquiuoca, & conueniant in ſolo nomine. Hic tamen reſtringendo acceptionem elementi ad corpora ſimplicia, ſumitur elementum, teſte eodem Ariſtotele in hoc lib. tertio de Cęlo t. 31. pro corpore ſimplici, in quod corpora miſta diuiduntur, eodem indiuiſibiliter manente in diuerſa ſpecie, & de hoc quæritur, an rectè ſit diffinitum in eodem t. vel an talis diffinitio alijs elementis conuenire poſſit.

Quod autem talis diffinitio conuenire poſſit alijs elementis, in ſua communitate conſideratis; & potiſſimum partibus eſſentialibus compoſiti phyſici, cùm in has reſoluantur compoſita ex eis, quibus inſunt actu, & ipſæ ſint indiuiſibiles in diuerſas partes ſpecie, docet inter alios, Antonius Roccus in hoc lib. 3. de Cęlo, q. 1. quibus videtur adſtipulari etiam Doctor ſubtilis in 2. d. 15. q. vn. ſub H. dùm ait, diffinitionem elementi, (quæ parum differt ab iſta) aſſignatam ab Ariſtotele quinto Metaph. cap. 3. conuenire ſoli materiæ, ſi preſſe ſumatur. Inquit enim Philoſophus, *Elementum dicitur, ex quo componitur, primo inexiſtenti indiuiſibili ſpecie in aliam ſpeciem*, quæ non videtur differre ab iſta eſſentialiter, maxime cùm in ibi exemplicet de elementis etiam corporibus naturalibus inexiſtentibus, ſicut in hac aſſignatur in hoc tertio de Cęlo, vt inſpicienti textum patere poterit.

Ceterùm oppoſita ſententia, quæ limitat hanc diffinitionem pro ſolis corporibus ſimplicibus quæ propriè appellantur elementa, communiter defenditur, & hanc putamus conformem Scoto, vt inferius demonſtrabimus, quibuſdam de more notatis.

Primo igitur notandum eſt, elementum dupliciter attendi poſſe, & quoad nomen, & quoad rem. Si primo attendatur modo, elementum idem ſonat, ac alimentum, eoquia omnia corpora miſta aluntur ex qualitatibus elementaribus. Vel vt Iſidoro placet, elementum dicitur quaſi hilementum, quod eſt materia; ſiquidem ex elementis, velut *principijs materialibus*, generantur omnia miſta. Sin verò ſecundo attendatur modo, à multis variè expenditur eius quiditas. Nàm Philo Iudæus de vita contemplatiua inquit. *Elementum eſt inanimis materia, à ſeipſa immobilis, ſubiecta opifici ſuo, à quo transformatur in omnia qualitatum genera*. Galenus lib. 1. de Elementis cap. 1. ſubdit. *Elementum eſt rei particula, ſici natura prima, & ſimpliciſſima, quę in alias diuidi non poteſt*. Ariſtoteles demum, cùm illud diuerſimode conſiderauerit, nempe in generali, & in particulari, etiam diuerſis diffinitionibus expreſſit, & adnotificauit: quandoquidem quinto Metaph. t. 4. ait, *Id cuiuſque eſt elementum, quod primum cuique ineſt, & ex quo componitur primò inexiſtenti indiuiſibili ſpecie in aliam ſpeciem*, & 12. Metaph. t. 19. addit, *eiuſdem generis, & natura cum illo cui ineſt*. Ex quibus elici poſſunt tres conditiones requiſitæ ad elementum ſic in genere conſideratum. Prima, quod ſit prius elementatis. Secunda, quod inſit illis, quæ componuntur ex eo. Tertia, quod ſit eiuſdem generis cùm compoſitis, ſiquidem aliud eſt elementum ſubſtantiæ, & aliud ad aliquid, vt docet idem Ariſtoteles in 12. Metaph. t. 19. 20. & 21. Quamobrem inferendum eſt, hanc diffinitionem,

ex varijs particulis, coaleſcentem, eſſe datâ de Elemento, in genere ſic attento, prout comprehendit ſub ſe, & partes eſſentiales compoſiti,& integrales totius quantitatiui, & omnia ab eodem vocata Elementa, vt ſunt Cœlum reſpectu Vniuerſi,& corpora ſimplicia in ordine ad compoſita; & de hac intelligendus eſt Doctor Subtilis præcitatus, dùm ait, per hanc diffiniri materiam primam, vt primum omnium Elementorum, ſiquidem ſit prima, & ſimpliciſſima, in exiſtens omnibus ex ea compoſitis, & in quam cætera tandem reſoluuntur.

Secundò Notandum eſt,Elementum adhuc conſiderari,veluti ſingularizatum,ſiuè coarctatum ad corpora ſimplicia ſublunaria, ex quibus dicuntur coaleſcere corpora mixta, diffiniturque ab Ariſtotele in hoc 3. lib. de Cœlo t.31. dùm inquit: *Sit itaque Elementum illud corporum, in quod alia corpora diuiduntur,quod ineſt potentia,aut actu. ipſum autem eſt indiuiſibile in diuerſa ſpecie.* ideſt Elementum eſt corpus ſimplex, in quod corpora miſta,ex eo compoſita,reſoluuntur, inexiſtenſque illis potentia, aut actu, & indiuiſibile in alia corpora ſimplicia,diuerſa ſpecie. In qua diffinitione aliqua ponuntur,quæ habent rationem generis, & differentiæ. Nam *corpus* ponitur vt genus, cùm ſit commune ad omnia corpora naturalia, quæ conſtant ex materia, & forma. Ponitur ly *ſimplex*,vt differentia diſtinguēs illud à corpore naturali mixto, quod componitur ex quatuor qualitatibus Elementaribus, nempe caliditate,frigiditate,humiditate, & ſiccitate, ſimplex autem ex duabus ex illis tantùm. Additur ly *in quod alia corpora diuiduntur &c:* ad differentiā corporis mixti,quod reſoluitur in corpus ſimplex, ex quo componitur, ipſum autem eſt indiuiſibile in alia corpora ſimplicia, aliter non eſſet primum, ſed daretur aliud prius eo, & ſic in infinitum. Ponitur ly *actu*, *vel potentia*, quia nondū determinauit, an Elementum ſit in mixto formaliter,vel virtualiter, quod tamen egit in libr. de Gener. & Corrupt. Ponitur denique,ly *indiuiſibile in diuerſa ſpecie*, vt innuat, quod licet ſit diuiſibile in diuerſas partes ſimilares; vt ignis in diuerſas, aer pariter,quatum quælibet conſtituere valet vnū corpus eiuſdem ſpeciei, non tamen poſſet diuidi in corpora alterius ſpeciei, vt corpus animalis in caput, brachia, pedes, & ſimilia, quæ ſunt alterius ſpeciei, ac diſimilaria inter ſe, & in reſpectu ad totum, quod ex illis coaleſcit; poniturque etiam ad differentiam materiæ, & formæ, ex quibus etiam Elementum eſſentialiter componitur, quia licet reſoluatur in ipſas, vt in partes eſſentiales, & quodammodo diuerſæ ſpeciei, non diuiditur tamen in eas, vt in corpora ſimplicia, diuerſaque ſpecie, quia materia, & forma non eſſent prima principia, ſed darentur alia, priora illis, & ſic procederetur in infinitum, quod eſt impoſſibile. Ex his inferendum eſt, quod cùm hæc diffinitio expendat naturam Elementi, vt ordinatur ad compoſitionem mixti, ex genere, ac differentijs neceſſarijs, ſit rectè, ac conuenienter data ab Ariſtotele in eodem præcitato textu, conueniatque duntaxat illi, & nulli alij ab ipſo.

Ex his ſit prima Concluſio. Si conſideretur Elementum in genere, vt comprehendit ſub ſe omnia prima principia, ex quibus coaleſcunt omnia compoſita, ſiue ſubſtantialia, ſiue accidentalia, diffinitur tantum ab Ariſtotele 5. Metaph. cap.3. t.4. & 12. Metaph. ſum.1. cap. 4. à t.19. & ſequentibus, non autem per illam datam ab eodem in 3. de Cœlo t. 31. Probatur prima pars, quia diffinitio data ab Ariſtotele in 5. & 12. libr. Metaph. in præcitatis locis expendit naturam omnium principiorū indiuiſibilium, ex quibus coaleſcunt, & in quæ diuiduntur, reſoluunturque omnia compoſita, ſiuè ſubſtantialia, ſiuè accidentalia, ſed huiuſmodi principia indiuiſibilia continentur tantum ſub Elemento, in genere ſic attento, ergo per illam diffinitur ſolùm Elementum in genere. Maior patet, quia in 5. Metaphyſicorum loco citato exemplificat de omnibus, nempe de literis reſpectu vocum, de materia, & forma reſpectu corporū, de punctis reſpectu linearū, de lineis reſpectu figurationū, de præmiſſis in ordine ad demōſtrationes, de vnitate reſpectu numeri, de paruitate reſpectu magnitudinis, & de alijs multis, quæ omnia vocat principia indiuiſibilia, & Elemēta, ex quibus cōſtant, & reſoluuntur compoſita, & principiata ex eis. Minor ſimiliter, quia omnibus illis enumeratis, concludit: Omnibus verò cōmune eſt, illud cuiuſque eſſe Elementū, quod primum cuiq; ineſt, ergo omnia talia continentur ſub Elemento, cum omnia componantur

tur ex eis, & in illa reſoluantur, iiſdem indiuiſibilibus exiſtentibus. Secunda pars probatur, quia quæ ſecunda diffinitione notificantur ſunt corpora ſimplicia, vt patet ex illis verbis, Elementum eſt illud corporum, in quod cætera corpora diuiduntur, ideſt corpora mixta reſoluuntur, ipſam verò indiuiſibile eſt in diuerſa corpora ſpecie, quæ indicant Elementa eſſe corpora ſimplicia, cæterumquæ expenduntur in prima ſunt partes, aut eſſentiales, aut integrales, vt plurimum, quæ ſunt corporeitatis expertes, etiam ſimplicis, cùm ſint indiuiſibiles in alias partes diuerſarum ſpecierũ, ergo quæ ſecunda diffinitione expenduntur non ſunt Elementa generatim ſumpta. Secundo probatur, quia per huiuſmodi diffinitionem diffiniuntur tantum illa Elementa, quæ actu, vel potentia inſunt compoſitis ex eis, ſed partes eſſentiales, aut integrales nõ poſſunt nõ ineſſe actu ſuis compoſitis, ergo per huiuſmodi diffinitionem nõ diffiniuntur Elementa, vt ſe extendunt ad partes eſſentiales, & integrales. Maior patet ex particula diffinitionis, actu, vel potentia. Minor ſimiliter, quia huiuſmodi partes sũt principia intrinſeca, quę exigunt manere formaliter, & non virtualiter in compoſitis ex eis, ad differentiam extrinſecorum, quæ tantum potentia, & virtute ingrediuntur compoſita.

Secunda Concluſio. Si verò cõſideretur Elementum, vt ſub ſe cõtinet principia prima, indiuiſibilia in alia principia diuerſa ſpecie, rectè, & adæquatè diffinitur per illam diffinitionem, traditam ab Ariſtotele in hoc 3. lib. de Cœlo t. 31. *nempe eſt illud corporũ, in quod alia corpora diuiduntur, quod ineſt potentia, aut actu, ipſum autem eſt indiuiſibile in diuerſa ſpecie.* Probatur, quia Elemẽtum, hoc modo cõſideratum eſt corpus naturale ſimplex, ordinatum ad generationẽ mixti, ſed huiuſmodi corpus, ſic ordinatum ad mixti generationem, recte expenditur per hanc diffinitionem, ergo Elementum, hoc pacto conſideratum, per hanc diffinitionem rectè, conuenienterque, & adęquatè exprimitur. Maior patet, quia Elementũ, hoc pacto conſideratum, eſt illud corpus, in quod reſoluuntur corpora mixta, vt patet ex diffinitione, ſed illud corpus, in quod reſoluuntur corpora mixta, eſt illud, ex quo talia generantur, ſiquidem reſolutio fit in ea, ex quibus fit compoſitio, ergo Elementum hic conſideratum eſt corpus ſimplex, ordinatum ad mixtorum corporum generationem. Minor probatur, nam diffinitum per hanc diffinitionem rectè, & adæquatè expenditur per eſſe corpus ſimplex, ex quo componuntur, & in quod diuiduntur corpora mixta, in quibuſque ineſt actu, *vel potentia*, & tale eſt Elementum hic diffinitũ, ergo Elementum hic diffinitum, rectè, & adæquatè expenditur per hanc diffinitionem. Secundò probatur, quia diffinitio alicuius conuenienter, & ſufficienter data, explicat rectè, & adæquatè naturam illius, ſed huiuſmodi diffinitio data *de Elemento* in hoc 3. lib. de Cęlo t. 31. eſt conuenienter aſſignata, cùm expendat naturam Elementi, ordinati ad generationem mixti per genus, & differentiam, ergo Elementum, hoc pacto conſideratum, eſt rectè, & adæquatè per hanc diffinitionem diffinitum. Maior eſt clara ex conditionibus bonæ, & conuenientis diffinitionis. Minor ſimiliter clareſcit ex dictis, & probatis in 2. Not. igitur concludendum eſt, *& hanc diffinitionem* eſſe bonam, & per illam rectè, & adæquatè expendi naturam Elementi in ordine ad mixtorum generationem.

Obijcitur tamen primo contra primam, & ſecundam concluſionem ſimul, quia id, quod ineſt corpori naturali mixto, actu, aut potentia, & in illud reſoluitur, indiuiſibile manens in diuerſa ſpecie, eſt Elementum diffinitum ab Ariſtotele in hoc 3. *libr. t. 31.* ſed partes eſſentiales, vt ſunt materia, & forma, ſunt huiuſmodi, ergo *continentur* ſub Elemento hic diffinito. Maior patet ex particulis illius diffinitionis. Minor ſimiliter, quia corpus mixtum eſt corpus naturale, & hoc eſt compoſitum ex materia, & forma, in quas tandem reſoluitur, cum corrumpitur, & huiuſmodi partes ſunt indiuiſibiles in alias partes, ex quibus conſtare poſſent, alioquin non eſſent prima principia, ergo &c.

Reſpondetur maiorem eſſe veram ſi tale ſit corpus ſimplex, quia in tali diffinitione nõ ponitur pro diffinito, quodlibet, cui poſſint competere reliquæ partes eiuſdem, verum determinatè id, quod eſt corpus ſimplex, dicitur enim. *Sit itaque Elementum illud corporum, cui conueniant aliæ diffinitionis particulæ*; Modò cùm materia & forma non ſint corpora ſimplicia, ſed partes illorum

lorum eſſentiales, quamuis ſibi conuenire poſſint reliquæ diffinitionis partes, non propterea poſſunt dici Elementa per eandem diffinita, ſed ſolum per aliam diffinitionem generalem Elementa ſic communiter expreſſa.

Contra, quia Doct. Subtilis in 2. d. 15. q. vn. dicit, quod ratio Elementi propriè ſoli materiæ primæ conuenire poteſt, nam illa manet in re, quæ componitur ex ea, ergo malè fuit excluſa à ratione propria Elemẽti, qualis eſt illa de hoc lib. 3. de Cœlo t. 31.

Reſpondetur negando conſequentiam, quandoquidem Scotus nõ loquitur de hac diffinitione, cum aſſerit illam conuenire ſoli materiæ primæ, verùm de illa data ab Ariſtotele 5. Metaph. cap. 3. t. 4. quæ non exigit determinatè pro diffinito corpus ſimplex, ſed ſufficit, vt ſit indiuiſibile quodcumque, actu manens in ea re, quam componit, & hæc propriè ſoli materiæ primæ conuenire poteſt, cum ſit penitùs indiuiſibilis in aliud principium materiale ſe ipſa prius, & ſemper maneat actu in compoſito, manente eius forma, & perſeuerat etiam ſub alia forma, dùm illa prior corrumpitur, & compoſitum reſoluitur in ipſam. Et quod ſic intelligat Doctor non obſcure deprehenditur ex eius verbis ibidem expreſſis, inquit enim. *Ad dictum Commentatoris de diffinitione Elementi, dico quod diffinitio illa Elementi poſita in 5. Metaph. conuenit ſoli materiæ primæ generaliter: nam illa manet in re, quæ componitur ex ea.* En quonam pacto ſit locutus Doctor, & quomodo perperam fuerit relatus, à quodam Magiſtro, in priorem ſententiam, forſan ex aliorum citatione falſa, vt aſſolet.

Obijcitur ſecundò. Nam ſi per diffinitionem illam datam in hoc 3. lib. rectè, & adæquatè deffiniretur Elementum, ſequeretur, nullũ ex quatuor corporibus ſimplicibus, quæ communiter vocantur Elementa, fore propriè Elementum, atqui hoc non eſt admittendũ, ergo nec per illam diffiniri propriè Elementũ admitti debet. Sequela maioris probatur, ſiquidem cuilibet deeſſet vltima particula poſita in diffinitione, quia aer poſſet diuidi in ignẽ, & aquam, terra in aquã, & ignem, & ſic de ſingulis, quæ nihilominus eſſent corpora ſimplicia diuiſa in diuerſa ſpecie, ergo admiſſa illa diffinitione nullum illorum foret propriè Elementum.

Reſpondetur negando ſequelam maioris. Ad probationem dicimus illã tranſmutationem vnius in aliud non eſſe diuiſionẽ, ſiue reſolutionẽ mixti in alia corpora ſimplicia, quia nec aqua, nec ignis continentur in aere, qui ſupponitur diuidi, ſeù reſolui, ſecundum qualitates eiſdem conueniẽtes, ſiquidem aer nec eſt calidus, & ſiccus ſicut ignis, neque humidus, & frigidus, vt aqua, neque frigidus, & ſiccus ſicut terra, ac proinde reſolui nequit in illa, vt mixtus ex eis, veluti ex corporibus ſimplicibus; verùm eſſe duntaxat eductionem formarum diuerſarum ex vna, & eadem materia, & generationem alterius Elementi, non vt tale debet eſſe, verùm alterius corporis naturalis compoſiti ex materia, & forma, vt communiter accidit in generatione cuiuslibet corporis naturalis.

Obijcitur tertiò. Si diffinitio illa adæquaret Elementum preſsè ſumptum, etiam Cœlum eſſet Elementum, cùm ſit corpus ſimplex, in exiſtens Vniuerſo, in quod diuiditur, ipſum indiuiſibile manens in diuerſa ſpecie, ſiquidem, vt ſupra oſtendimus, omnes Cœli ſunt eiuſdem ſpeciei, atqui hoc eſt valde abſurdum, quia nec Vniuerſum eſt corpus mixtum ex qualitatibus contrarijs, neque Cœlum ineſt illi actu, vel potentia, cùm ſit incorruptibile, & expers qualitatum primarum, ex quibus virtualiter coaleſcit omne mixtum proprie ſumptum.

Reſpondetur negando ſequelam maioris; nam non quodlibet ſimplex corpus ſubire valet rationem Elementi preſsè ſumpti, verùm duntaxat corpus ſimplex ſublunare, quia ipſi ſoli competunt conditiones Elementi in ſpecie accepti; modò cum Cœlum ſpectet ad partem Vniuerſi ſupra Elementarem, licet coaptetur inter corpora ſimplicia, non propterea ſubire poterit rationem Elementi. Nec valet dicere, quod inter Elementa corporea enumeretur ab Ariſtotele in primo de Cœlo, & Mundo t. 91. quandoquidem accipit ibi Elementum impropriè, pro eo nimirùm, quod principiat, ſimul cum alijs partibus, Vniuerſum, quamobrem ſibi conuenire poteſt duntaxat alia diffinitio de 5. Metaphyſicorum t. 4. non verò hæc data in hoc 3. lib. de Cœlo t. 31. quicquid dicat Roccus cum alijs Recentioribus, aſſerentibus per hanc diffini-

Elementorum, quæ ſunt ſecundum ſe tota de Prædicamento ſubſtantiæ; ſiquidem quod ineſt per ſe vni alteri, nec per ſe, nec per accidens ineſſe poterit, vt patet de riſibili; quia enim ineſt per ſe homini, leoni, vel equo, nec per ſe, nec per accidens conuenire poterit; ergo ſi caliditas, vel ſiccitas, à ſimili, forent differentiæ conſtitutiuæ ignis, aut terræ, nullo pacto competere poſſent cęteris Elementis, cuius oppoſitum tamen patet ad ſenſum. Concludendum eſt igitur, Elementa diuerſificati intrinſecè, & eſſentialiter per proprias formas ſubſtantiales, à quibus conſtituuntur in eſſe ſubſtantiali, non autem per primas qualitates tangibiles, quibus duntaxat accidentaliter differre noſcuntur.

Ex his ſit prima Concluſio. Elementa non conſtant eſſentialiter duntaxat ex materia prima, affecta quatuor qualitatibus primis, nempe caliditate, frigiditate, humiditate, & ſiccitate, veluti proprijs differentijs, ſiuè formis conſtitutiuis eſſentialibus. Eſt contra ſecundam opinionem. Probatur primo auctoritate Ariſtotelis 2. de Generatione, & Corruptione t. 54. vbi reprehēdens Antiquos, auferentes ab Elemētis formas ſubſtantiales, ponenteſque dūtaxat potētias, ideſt qualitates actiuas, inquit: *Amplius autem, & potētias attribuunt corporibus, propter quas, & generant valde inſtrumentaliter, auferentes eam, qua ſecundum formam, cauſam. Quoniam autem natum eſt, vt inquiunt, calidum quidem ſegregare, frigidum autem congregare, & aliorū vnumquodque, hoc quidem facere, hoc autē pati, ex his dicunt per hac, omnia alia generari, & corrumpi, videtur autem, & ignis, ipſum, quod mouetur, & patiens.* Et in t. 55. ſequenti ſubdit. *Quo circa, ſi quam maxime facit, & mouet ignis, ſed quomodo mouet nō vident, quoniam deterius, quam inſtrumenta: nobis autem, & vniuerſaliter prius dictum eſt de cauſis, & nunc determinatum eſt de materia, & forma.* En quomodo docet, Elementa concurrere ad generationē, & corruptionem, non qua calidum, aut frigidum, humidum, aut ſiccum præſeferunt, ſed quia conſtant ex materia, & forma. Secundò probatur ratione deſumpta ex eodē, nam ſi qualitates tāgibiles eſſent, cum materia nuda, formæ, ſiuè differentiæ conſtitutiuæ Elementorum in proprio eorum eſſe eſſentiali, ſequeretur, illas nullatenus mutari poſſe de vno in aliud Elementum, & ſic terra, nec aqua poſſent calefieri, nec aer frigefieri, ſiquidem caliditas eſſet de eſſentia ignis, & frigiditas aquæ, ſed hoc repugnat experientiæ, ergo dicendum eſt, qualitates huiuſmodi eſſe talibus corporibus accidentales, & non eſſentiales. Sequela maioris probatur, nā quod vere eſt, nulli accidit ex Ariſtotele 1. Phyſic. t. 27. ideſt quod vni eſt ſubſtātia nulli poteſt eſse accidens, ſed omnes iſtæ qualitates cæteris corporibus ſunt accidentia, vt cōmuniter cōceditur ab omnibus, ergo nequeūt eſse ſubſtantia Elemētis. Confirmatur iſta ratio, quia huiuſmodi qualitates nequeūt eſse eſsentialiter, & formaliter in duobus Prędicamentis, ſiquidem hæc sūt primò diuerſa, & impermixta formaliter, & realiter, itaquod ſubiectū, & prędicatum vnius, nequit eſse ſubiectū, & prædicatū alterius ex Ariſt. 1. Poſter. t. 34. & 3. Metaph. t. 10. & 11. ſed ſi huiuſmodi qualitates eſsent differētiæ, & formæ cōſtitutiuæ eſsentialiter Elementorū, eſsent eſsētialiter in Prædicamēto ſubſtātiæ, in quo sūt etiam Elemēta, & inſuper eſsent in Prædicamēto proprio qualitatis, cuius ſunt prædicata eſſentialia, ergo eſsent in duobus prædicamētis eſsētialiter, quod omninò repugnat: ergo melius dicendū eſt, eſse Elemētorū formas accidentales, quā eſsentiales, & differentias cōſtitutiuas in eſse quiditatiuo eorundem.

Secunda Concluſio. Elementa ſunt corpora naturalia ſimplicia, ſimplicitate oppoſita mixtioni, non verò oppoſita cōpoſitioni ex materia, & forma ſubſtantiali. Eſt Ariſtotelis in 2. de Gener. & Corrupt. t. 54. & 55. ac alibi, & Scoti in 2. d. 15. q. vn. per totā. Probatur prima pars, quia illud eſt corpus naturale ſimplex, prout opponitur mixto, quod caret omnibus qualitatibus mixtionem facientibus; atqui quodlibet Elemētū eſt huiuſmodi, ergo quodlibet Elementū eſt corpus ſimplex, prout opponitur mixto. Maior patet ex diffinitione corporis Elementalis, & mixti, relata in 2. Not. Minor probatur, quia ignis eſt tantùm calidus, & ſiccus, aer ſolùm calidus, & humidus, aqua frigida, & humida, & terra ſicca, & frigida duntaxat ex Ariſtotele in 2. lib. de Gener. & Corrupt. t. 16. verùm genitū ex iſtis corporibus, vt eſt mixtū, obtinet omnes qualitates ſimul, ergo quodlibet Elemētum, cū ſit oppo-

ex materia, & forma, & principiatum ab eiſdem. Maior patet, quia ſimplex, & compoſitum, principium, & principiatum opponuntur contradictoriè, ſiquidem compoſitum eſt non ſimplex, & principiatum non principium, ſed implicat contradictoria effari poſſe de eodem, ergo idem eſſe ſimplex &c. implicat.

Reſpondetur maiorem eſſe veram, ſi ſumantur pariformiter, non autem ſi diſformiter accipiantur; ſiquidem ſimplex, vt oppoſitionem habet cum mixto, non contradicit compoſito ex materia, & forma ſubſtantiali, verùm ſimul conſiſtere poſſunt in eodem: ſimiliter principium mixtionis ex quatuor qualitatibus primis tangibilibus, ex quibus coaleſcit corpus mixtum, non opponitur principiato ex materia, & forma contradictoriè; vnde ſequitur, quod Elementum rectè poſſit dici ſimplex, & principium reſpectu corporis naturalis mixti, & nihilominus compoſitum, & principiatum ex materia, & forma ſubſtantiali, & ſic neganda eſt conſequentia, ergo implicat illud eſſe ſimul ſimplex, & compoſitum, principium, ac principiatum.

Vtrum Elementa ſint plura, vel vnum tantum?

QVÆSTIO III.

HAnc quæſtionem poteramus de medio tollere, breuitati ſtudentes ſiquidem cùm in 1. lib. Meteorologicorum diſp. 1. q. 4. per totam, oſtenderimus dari quinque corpora ſimplicia ſcilicet Cœlum, Ignē, Aerem, Terram, & Aquam contra nonnullos Recentiores, tunc videbamur ſatisfeciſſe præſenti difficultati de numero Elementorum, quam in præſenti exagitare propoſuimus: Verùm enim verò, quoniam quæ nouis, ac iteratis ferè ſemper difficultatibus ſcatent, non videntur ſemel diſcuſſa ſatis bene conſiſtere poſſe, propterea non erit abs re, hanc eandem difficultatem, quæ alijs premitur rationibus, denuò diſcuſſioni tradere, vt melius illam ab Aduerſarijs vindicari, & veritati Ariſtotelicæ, vt iuſtum eſt, reddere tutò poſſimus.

Prætermiſſa igitur Antiquorum ſententia de vnitate Elementorum, cùm validiſſimis rationibus fuerit oppugnata, & expugnata ab Ariſtotele in hoc libr. 3. de Cœlo à t. 43. vſque ad 51. incluſiuè, ad illas, quæ plura poſuerunt Elementa, accedamus neceſſe eſt, vt probabiliorē ſeligere valeamus.

Prima igitur eſt Clementis Timpleri de Elem. cap. 2. Probl. 1. & aliorum, aſſerentium dari tantum duo Elementa, nempe Terram, & Aquam, Ignem enim, & Aerē adimunt, hūc quia putant illum eſſe de natura Cœli, illum verò, quoniam cenſent eſſe merum figmentum à Philoſophis inuentū.

Secunda verò eſt quorundā Philoſophorum, & Aſtrologorum conſtituentium tātum tria Elemēta, ſcilicet Terram, Aquam, & Aerem; reſpuunt enim Ignem, vel quia putabant totam intercapedinem inter terram, & concauum Lunæ, eſſe repletā aere, cum quo non poſſet conſiſtere Elemētum ignis; vel quia dicebant non diſtingui ab Aſtris, vel denique, quia quem nos dicimus, non eſt Elementaris ignis, ſed potius corpus mixtum incenſum, ideò illum non poſſe connumerari inter Elementa cenſuerūt. Ita præclari Aſtrologi Cardan. libro 2. de Subtil. Tycho Brahæ lib. 1. Proginaſmatum cap. 1. Camillus Glorioſ. de Cometis lib. 4. cap. 3. & 4. Cheplerus lib. 1. Epitom. par. 3. ſub initio, & nonnulli ex Philoſophis, nimirum Valleſius de ſacra Philoſophia cap. 1. Capitius lib. 2. de Principijs, Areſius lib 2. de Gener. cap. 2. q. 3. & alij, quorum meminit Maſtrius de Cœlo diſp. 4. q. 2. art. 1.

Tertia demum, ac in vera Philoſophia receptiſſima ſententia docet cum Ariſtotele in his libris de Cœlo pluribus in locis, de Gener. & Corrupt. lib. 2. & lib. 1. Meteorol. cap. 2. dari quatuor Elementa, nempè ignē, aerem, aquam, & terram. Ita omnes Peripatetici, quos, ex Maſtrio cit. nu. 10. recenſuimus. & ſequuti ſumus in lib. 1. Meteorol. diſp. 1. q. 4. ac præſertim Scotus ibid. q. 4. & in 2. d. 17. q. 2 B, & in 4. d. 47. q. 2. per totam, vbi docet dari ignē Elementarē, diſtinctū à Corpore Cœleſti, quibus, & in præſēti ſubſcribimus. Vnde pro eius fundamento.

Primo notādum eſt, ex Ariſtotele in hoc 3. lib. de Cœlo, & Mundo t. 31. corpus mixtum componi ex Elementis, potentia, vel actu illud ingredientibus, & in quæ reſoluitur, cum illud corrumpitur. Huiuſmodi autem reſolutio manifeſte deprehenditur, cū in quatuor partes diuiditur, quatuor Elementis correſpondentes, nempè in puluerem,

rem, reſpondentem terræ, in humorem, reſpondentem aquæ, in ſpiritum, indicantem aerem, & in partes igneas, oſtendentes ignis Elementum. Ex his inferendum eſt, quod cùm in tali mixto continerentur virtualiter Elementa quatuor; nec plura, nec pauciora, totidem pariter, & non plura, nec pauciora admittenda eſſe in rerum natura Elementa.

Secundò Notãdum ex obſeruatis in præcedenti quæſtione, quod Elementum eſt corpus naturale ſimplex, vt opponitur corpori naturali mixto, illudque diffiniri vt docet Ariſtoteles in 1. de Cœlo t. 7. & 23. per ordinem ad motum ſimplicem, ſiquidẽ, inquir, vnius corporis ſimplicis eſt vnus motus ſimplex. Motus autem ſimplex, ex eodẽ ibid. ſub t. 4. & 5. eſt duplex ſcilicet circularis, quo cietur Cęlũ, & rectus, quo mouentur corpora ſimplicia ſublunaria, nẽpe Elemẽta, & etiam mixta ſecundũ prædominiũ alicuius Elemẽti. Hic autẽ eſt adhuc duplex ſcilicet ad medium, quo mouentur corpora ſimplicia grauia, terra nimirũ, & aqua, & à medio, quo cientur ſimplicia leuia, nempè ignis, & aer. Cùm igitur nullus alius motus ſimplex rectus reperiatur præter illos duos ſcilicet ad mediũ, & à medio, & nullũ aliud corpus ſimplex graue, vel leue inueniri poſſit, quod non ſit aut terra, aut aqua, aut aer, aut ignis, vel ſub aliquo iſtorum, quę dicuntur Elementa, contineatur, inferendum eſt, dari tantum quatuor Elementa in rerum natura, nec plura, nec panciora illis.

Tertiò Norandum ex Ariſtotele t. 18. lib. 2. de Cœlo, & Mundo, quod contraria ſunt talis conditionis, & naturæ, vt ſi vnum fuerit poſitum in rerum natura, & aliud de neceſſitate ponendum erit; ſiquidem contraria ſunt ea, quæ ſub eodem genere poſita, maxime à ſeinuicem diſtant, & mutuò ſe expellunt ab eodem ſubiecto; cui viciſſim inſunt; hæc autem minimè euenire poſſent, ſi poſito vno, non poneretur alterum de neceſſitate. Cùm autem ſit per ſe notum, terram, & aquam exiſtere in rerum natura, & ignem eſſe contrarium terræ, ſicut etiam aerem aquæ, quandoquidem ſicut terra eſt ſumme grauis, & frigida, ignis eſt ſumme leuis, & calidus, quæ ſunt qualitates contrarię; & ſicut aquá eſt grauis, & frigida, & aer eſt leuis, & calidus, quæ pariter ſunt contraria, igitur inferendum eſt, quod ſi fuerint admiſſæ terra, & aqua, tanquam duo Elementa, vt de facto conceditur ab Aduerſarijs, admittendos etiam de neceſſitate ab eis ignem, & aerem, vt alia duo Elementa prioribus contraria, & ſic fore quatuor Elementa in rerum natura, quod ipſi abſque fundamento negant.

Ex his ſit prima concluſio. Elementa ſunt quatuor, poſita in rerum natura, contra primam, & ſecundam ſententiam. Eſt Ariſtotelis, & omnium Peripateticorum. Probatur prima pars, quia mixta conſtant ex Elementis, & cùm intereunt, reſoluuntur in ea, vt patet ex diffinitione *Elementi* in hoc 3. lib. de Cœlo t. 31. aſſignata ab *Ariſtotele*, & communiter recepta ab omnibus Philoſophis, atqui partes, indicantes Elementa, in reſolutione mixtorum, ſunt quatuor, vt oſtendimus in 1. Not. ergo & Elementa debent eſſe quatuor. Secundo probatur, quia Elementa ſunt corpora naturalia ſimplicia, vt probauimus in præcedẽti quæſtione, ſed corpora naturalia ſimplicia, & ſublunaria ſunt quatuor, *ergo Elementa* ſunt quatuor. Minor probatur, quia corpora ſimplicia diffiniuntur per motus ſimplices ex Ariſtotele in 1. de Cœlo t. 7. 9. 10. & 23. ſed motus ſimplices, quibus mouentur corpora ſimplicia ſublunaria ſunt quatuor, nempè duo ad medium, quibus cietur grauia, & duo à medio, quibus mouentur leuia, ergo quatuor ſunt corpora ſimplicia ſublunaria. Secunda pars probatur, nam Elementa ſunt adinuicem contraria, ergo ſi terra, & aqua ponantur *in rerum natura*, & *ignis*, qui eſt contrarius terræ, & aer, qui eſt contrarius aquæ, neceſſariò ponendi ſunt in rerum natura. Antecedens probatur, quia leuia, & grauia, calida, & frigida, humida, & ſicca ſunt contraria, atqui Elementa ſunt huiuſmodi, ſiquidem terra, & aqua ſunt grauia, ignis, & aer ſunt leuia corpora; ſimiliter ignis eſt calidus; terra frigida: aer calidus, & aqua frigida, ergo ſunt contraria. Conſequentia tenet, quia poſito vno contrariorum in eſſe, & alterum de neceſſitate poni debet ex Ariſtotele lib. 2. de Cęlo, & Mundo t. 18. ergo cùm ignis, & terra ſint contraria, ſimiliter aqua, & aer, ſequitur de neceſſitate ignis, & aeris poſitio in rerum natura ad poſitionem terræ, & aquę quapropter abſque vllo fundamento primæ opinionis Auctores, ponentes

cr-

terram, & aquam in numero Elementorum, explodunt ignem, & aerem ab eodem, ſicut perperam reijciunt ignem Doctores ſecundæ opinionis, cùm inter Elementa reponant terram.

Secunda Concluſio. Elementa non ſunt plura nec pauciora numero quaternario. Eſt Ariſtotelis pluribus in locis, ex quibus deſumenda ſunt argumenta Concluſionem hanc probantia. Probatur primo quia tot ſunt Elementa, quot ſunt qualitates primæ tangibiles, ſed hæ ſunt tantum quatuor, nec plures, nec pauciores, ergo totidem & non plura, nec pauciora erunt Elementa. Maior eſt Ariſtotelis in ſecundo de Gen.& Corrupt.t.23. vbi vult, quod vnumquodque Elementum limitatur ad vnam qualitatem primam in ſummo, nimirum ignis ad caliditatem, aer ad humiditatem, aqua ad frigiditatem, & terra ad ſiccitatem. Minor eſt eiuſdem ibidem t. 10.2. probatur, nam tot ſunt Elementa, quot ſunt combinationes primarum qualitatum ex eodem t.16. ſed iſtæ ſunt tantum quatuor, & non plures, nec pauciores, ergo. &c. Maior patet, quia quodlibet Elementum eſt vnica combinatione contentum, ſiquidem ignis reſultat ex caliditate, & ſiccitate, aer ex humiditate, & caliditate, aqua ex frigiditate, & humiditate, & terra ex ſiccitate, & frigiditate. Minor patet, quia legitimæ combinationes fiunt inter qualitates, quæ adinuicem non ſunt contrariæ & iſtæ ſunt tãtum quatuor, nempe caliditatis cum ſiccitate, caliditatis cum humiditate, humiditatis cum frigiditate, & frigiditatis cum ſiccitate, aliæ namque duæ nempe caliditatis cum frigiditate, & humiditatis cum ſiccitate, cùm ſint contrariæ, nequeunt bene conſiſtere, & ideò vocantur illegitimę, & nullum poſſunt conſtituere Elementum tertio probatur, quot modis grauitas, & leuitas participatur ab Elementis, tot ſunt Elementa, ſiquidem quodlibet Elementum participat aliquid de grauitate, vel leuitate, ſed quatuor tantùm modis grauitas, & leuitas participantur ab Elementis, ergo tantum quatuor ſunt Elementa. Minor probatur ex Ariſtotele lib.4. de Cęlo, & Mundo t. 26. & 27. quia inter Elementa duo ſunt extrema, nempe ignis, & terra, & duo media ſcilicet aer, & aqua. Ignis enim participat leuitatem in ſummo, & terra grauitatẽ pariter in ſummo; at aer, & aqua participant aliquid grauitatis, quia ſubsũt ſummo leui, & aliquid leuitatis, quia eminent ſummo graui, & in tali participatione datur magis, & minus, vt ſuo loco videbimus, ergo tantum quatuor modis Elementa participant grauitatem, & leuitatem, ac proinde tantum quatuor, & non plura, nec pauciora erunt Elementa. Plura his poſſent afferri argumenta, ex Ariſtotele deſumpta, ad roborandum numerum quaternarium Elementorum, quæ tamen faciliori negotio diſſolui poſſent ab Aduerſarijs idcircò illis omiſſis, hæc iam allata ſufficiant, & ex ſolutionibus rationum, quæ in oppoſitum afferri poſſunt, magis, ac magis, vtranque confirmemus Concluſionem.

Obijcitur igitur primo contra hunc numerum quaternarium Elementorum, quandoquidem illa ſunt Elementa, in quæ reſoluuntur miſta ex Ariſtotele tertio de Cęlo t.31. ſed quędam miſta reſoluuntur in quandam materiam, vel odoriferam, vel alia qualitate ſecunda affectam, quæ diſtincta dignoſcitur ab elementorum materia, ergo præter quatuor, dabitur quintum Elementum ab eis diſtinctum.

Reſpondetur maiorẽ eſſe veram de reſolutione vltimata, vt in corpora ſimplicia, & indiuiſibilia in diuerſa ſpecie, non autem de non vltimata, & quæ non fit in corpora ſimplicia, ſed in particulas miſti, adhuc reſolubiles in Elementa, cuiuſmodi eſſet talis materia, vel odorifera, aut malè olens, ſi deprehendatur in reſolutione alicuius miſti; ſiquidem cùm foret affecta qualitatibus ſecundis, & non primis tantùm, non indicaret eſſe corpus ſimplex, vt debet eſſe Elementum, ſed particulam adhuc miſtam ex partibus Elementorum, ac proinde non ſequeretur dari quintum Elemẽtum, ſed potiùs firmari eorum numerũ quaternarius.

Obijcitur ſecundo quia ignis Elemẽtaris eſt merum figmentum, ergo remanent tantum tria Elementa. Antecedens probatur, quia ſi eſſet aliquid reale in rerũ natura, vel eſſet eiuſdem, vel alterius rationis cum noſtro, quem dicimus ignem, ſed neutrũ dici poteſt, ergo non eſt aliquid reale in rerum natura. Maior patet à ſufficienti diuiſione. Minor probatur; nõ eiuſdem rationis, quia tunc non eſſet Elementum, ſed miſtum imperfectum, ſiquidẽ noſter ignis vocatur ab Ariſtotele lib. quinto Topicorum cap. 3.

carbo,

carbo, flamma, & lumen, ſeu candela, quæ ſecundum ipſum in primo & quarto Meteorologicorum, ſunt miſta imperfecta. Nec alterius rationis, quia eſſet ignis æquiuocè, & nulla daretur nobis via illum inueſtigandi, quod tamen dici non poſſet, ſi foret elementum, ergo meliùs dicendum eſt, non dari ignem elementum in rerum natura.

Reſpondetur negando antecedens. Ad cuius probationem dicemus fore eiuſdem rationis cum noſtro, ſiquidem habet vim calefaciendi, vrendi, lucendi, & alias huiuſmodi operationes, & affectiones, quæ videntur in noſtro, quem dicimus ignem, vt aliàs oſtendimus reſpondendo ad ſimile argumentum ex Timplero, in lib. 1. Meteorolog. diſp. 1. q. 4. ſect. 1. Ad improbationem deſumptam ex Ariſtotele lib. 5 Topic. cap. 3. dicimus, ibi loqui de igne impuro, admixto materiæ combuſtibili, vel inflammabili, de quo pariter videtur locutus in ſuis Meteoris, cum vocarit carbonem, flammam, & lumen ſub ignis nomine miſta imperfecta, non autem de igne in ſua puritate conſiderato, quia talis, vt aduertit Doctor ſubtilis in 2. d. 17. q. vn. & in 4. d. 47. q. 2. eſt corpus ſimplex, quod ab Ariſtotele locis præcitatis vocatur elementum, & eiuſdem naturæ cum igne in ſua ſphæra poſita infra ſphæram aeris, & concauum orbis lunaris, vt alias demonſtrauimus contra Timplerum, & alios Recentiores, cùm Philoſophos, tùm Aſtrologos. Plura, & vrgentiora argumenta videntur, quæ affert Scribellonus de Ortu, & Interitu Diſput. 3. q. 1. de elementis, quibus probare nititur non dari elementum ignis ſub concauo Lunæ poſitum, & ideò ex eo.

Obijcitur tertiò ſi daretur elementum ignis in concauo Lunæ, aut eſſet ibi propter bonum totius Vniuerſi, aut propter commodum alterius corporis, aut certè ſpectat ad ornatum Mundi, ſed nullum iſtorum dici poteſt, ergo nec dici poteſt dari elementum ignis ſub concauo Lunæ. Maior patet a ſufficienti diuiſione eorum, quæ aſſeruntur dari in rerum natura. Minor probatur quoad omnes partes: non enim poteſt dici propter bonum totius vniuerſi, quia huiuſmodi bonum pendet ab influxu corporum cæleſtium, media continuatione, quam ſeruant interſe corpora inferiora, vt tranſmittant illa influxum, & hæc recipiant in ſe, ſed ignis poſitus in concauo Lunæ, nec ageret in hæc inferiora, nec eſſet medium recipiendi influxus Aſtrorum, quia per continuationem aeris cùm ætherea regione, exhibetur ſufficiens medium recipiendi, & tranſmittendi influxus in hæc inferiora, ergo ignis non eſt ponendus ibi propter bonum vniuerſi. Neque ibi eſt ponendus ob commodum alterius corporis, quia corpora miſta inferiora non continent Elementa formaliter, vt exinde poſſent communicari particulæ Elementi ignis ad illorum conſtitutionem, ſed tantum virtualiter, ergo nec ob commodum corporum inferiorum, ibidem ponendum eſt elementum ignis: neque ibi collocari debet ad ornatum vniuerſi, quia nullus ſenſus poſſet percipere tale ornamentum in concauo Lunæ; ergo fruſtra poneretur in tali loco, ac proinde non eſt ponendus ignis elementaris in concauo Lunæ.

Reſpondetur concedendo maiorem, ſiquidem neceſſariò ponendus eſt ignis infra aerem, & concauum Lunæ, & propter bonum vniuerſi, & propter commodum alterius corporis, & ad ornatum totius Mundi, ideò neganda eſt minor quoad omnes partes. Ad primam probationem, dicimus non omne bonum Vniuerſi conſiſtere ſemper in influxu corporum cæleſtium immediato, vel mediato ad hæc inferiora, verum etiam in coordinatione partium Vniuerſi adinuicem, & ad totum; cùm igitur præcipua pars Vniuerſi ſit ignis, qui cum ſit leuiſſimus non poteſt ſibi vendicare locum inferum, ſed ſuperum, & non locum aeris, qui eſt tantummodò leuis, igitur, vt ſeruetur ordo rerum vniuerſi, neceſſariò collocandus erit ſupra aerem, & ſub concauo Lunæ. Ad ſecundam probationem, dicimus ibidem collocari neceſſariò vt ſimul cum cæteris Elementis poſſit virtualiter concurrere ad generationem miſti, communicando illi ſuam caliditatem, quemadmodum aer humiditatem, aqua frigiditatem, & terra ſiccitatem virtualiter impartitur eidem. Ad tertiam fatemur ibidem locari ad ornatum ſenſibilem vniuerſi, qui licet non conſpiciatur à nobis, vel ob nimiam diſtantiam à noſtris aſpectibus vel ob denſitatem nubium, aut ſpiſſitudinem aeris, conſiſtentium in media

dia regione aerea, non propterea negari debet ibi non eſſe, maximè cùm experiamur partes ignis hic apud nos degentes, & non impeditas, confeſtim conuolare ſuper aerem, vt ſuo toti vniri poſſint, & ibidem quidem quieſcere, ſicut partes terræ, & aquæ in ſuo medio, cùm idem debeat eſſe locus totiùs, & partis, vt docet Ariſtoteles in primo de Cœlo t. 19. 75. 80. & in ſecundo de Cęlo t. 35. 92. 100. 102. 105: & 4. de Cęlo t. 21. igitur ſi partes ignis feruntur ſuper aerem, dicendum eſt ibidem eſſe totum elementi ignis.

Obijcitur quarto quando alimentum igni noſtro, ſubtrahitur, deficit ignis, vt experientia conſtat, ſed in concauo Lunæ nullum eſt alimentum, quo depaſcatur ignis, ergò illic non poteſt ignis exiſtere. Nec valet dicere, ignem in concauo Lunæ non indigere pabulo, cum ſit in proprio loco, quia variatio loci non mutat naturam rei, & eandem virtutem habet ignis apud nos exiſtens, ac in concauo Lunæ, ſiquidem eget pabulo propter calorem, & ſiccitatem, quæ ſunt virtutes actiuæ, & conſumptiuæ, ergo cùm nullum inibi adſit pabulum ad conſeruationem harum virtutum, nullus erit ignis, in quibus conſeruatur.

Reſpondetur concedendo totum argumentum de igne apud nos exiſtente, quippequi cùm ſit in continua generatione, & corruptione, vt inquit Ariſtoteles de Iuuent. & Senectu. veluti flumius, idcircò eget nouo pabulo, vt nouus generetur ignis, & conſeruetur; verùm in ſua ſphæra, cùm nullum habeat contrarium vincens à quo corrumpi poſſit, hac de cauſa, & non ob loci mutationem, non eget noua generatione ſui, nec per conſequens nouo pabulo. Ita reſpondet Doctor ſubtilis in 4. d. 47. q. 2. ſub B. vbi ſubdit neceſſitatem ignis in concauo Lunæ, vt per ipſum depuretur aer ſupernæ regionis, nè vbique impurus maneat, ſicut accidit in media, & infima regione, quæ infectæ manent à vaphoribus, virtute Solis, è Terra, vel Aqua, in altum ſublatis.

Obijcitur quinto contra Concluſionem ſecundam quia tot ſunt Elementa, quot ſunt corpora ſimplicia ſublunaria, ſed hæc ſunt tantum tria, ergo totidem, & non plura, erunt elementa. Maior conceditur ab omnibus. Minor probatur, quia tot ſunt prima corpora ſimplicia ſublunaria, quot ſunt ea, quæ poſſunt, ſint intrinſeca dependentia vnius ab alio, conſiſtere, ſed hæc ſunt tantùm tria, ergo &c. Maior probatur, quia ſi corpora ſimplicia haberent mutuam dependentiam vnius ab alio, non poſſent eſſe vltimò reſolubilia, ſed adhuc poſſet fieri reſolutio in partes cùm dependentia vnicas, quod repugnat ſimplicitati corporum, quæ vt dicit Ariſtoteles in hoc tertio de Cœlo t. 31. debent eſſe indiuiſibilia in diuerſa ſpecie, ergo illa tantum ſunt corpora ſimplicia, in quibus nulla eſt dependentia vnius ab alio. Minor probatur, quia Aer, Aqua, & Terra poſſunt, ſic reſoluta, conſiſtere, abſque intrinſeca dependentia vnius ab alio, non ſic ignis, quia eget pabulo ad ſui conſiſtentiam, vt experientia conſtat, ergo non eſt corpus ſimplex, & conſequenter, nec Elementum quartum eſſe poteſt: dantur igitur tantum tria Elementa.

Reſpondetur negando minorem. Ad probationem iterùm neganda eſt minor. Ad cuius probationem, dicimus veram eſſe de igne apud nos exiſtente, ob rationem allatam in præcedenti reſponſione, non tamen de igne in propria ſphæra exiſtente, quia talis nullam habet dependentiam intrinſecam cum alio corpore, vt iam dictum eſt.

Obijcitur ſexto ſi verum eſſet, dari ignem in concauo Lunæ, vt in ſua ſphæra, ſequeretur non dari aerem ſub eo, vt in proprio loco, ſed hoc repugnat experientiæ, ergo potiùs dicendum eſt non dari ignem ſuper eo, & in concauo Lunæ. Sequela maioris probatur, quia aer conſiſtere nequit ſine humiditate in Summo, cùm ipſa neceſſariò ſuam formam ſubſtantialem conſequatur, & in ipſa conſeruetur in eſſe, vt aliàs diximus, & inferius dicturi ſumus cùm Ariſtotele in libris de Gener. & Corruptione, ſed ſi ſupra ſe contiguum haberet ignem exſiccaretur eius humiditas à ſiccitate, & caliditate ignis, cùm ſit actiuiſſimus, maximè ſecundum caliditatem, quam habet in ſummo, ac proindè tolleretur de medio natura aeris, & eius corpus, quod nullatenus admitti debet.

Reſpondetur negando ſequelam maioris. Ad cuius probationem, negando eſt minor:

Digitized by Google

minor: non enim exſiccaretur humiditas aeris ab illius caliditate, & ſiccitate, non quia talibus virtutibus careat, (vt nonnullis placet) in ſua ſphæra, ſed quia ibi exiſtit in tali proportione, & æqualitate cum aere, vt tantum actiuitatis ſibi compenſet, quantum reſiſtentiæ patitur ab ipſo.

Vel dicendum, quod in tali caſu Elementum ignis non eſſet approſſimatum aeri ſecundum omnes ſuas partes, quibus poſſet vincere reſiſtentiam illius, & illud corrumpere, verùm duntaxat ſecundum aliquas in profundo, quarum actiuitati cum aer ex propria natura, & virtute poſſet reſiſtere, ſequitur quidem, quod ageret in eum, ipſum depurando, vt accidit in ſuprema regione, non tamen corrumpendo, ac expoliando illum propria humiditate, neceſſaria ad conſeruationem ſuæ formæ ſubſtantialis, & propriæ naturæ. Supereſt igitur, vt rectè ſit poſitus in conca uo Lunæ ignis, vt in propria ſphæra, abſque diminutione numeri quaternarij Elementorum in rerum natura, quicquid dixerit ſerbellonus cum Timplero, ac cæteris relatis pro ſecunda ſententia.

Vtrum Elementa, iam Enumerata, ſint inæqualia in dignitate, & præſtantia?

QVÆSTIO IV.

NOnnulli ex Philoſophis, loquentes de huiuſmodi Elementis, videntur confundere præſtantiam, & dignitatem eorum cùm operationibus, quas exercent in mistis; quapropter hæc omnia vna ſimul conſiderantes, in varias abeuntes de eiſdem ſententias, alij terræ, alij aquæ aliqui aeri, & alij igni nobilitatis palmam, præ cæteris dederunt. Cæterùm quàm perperam ſenſerint, & in re tàm manifeſta hallucinati fuerint quibuſdam de more adnotatis, in concluſionibus infra ponendis demonſtrare conabimur.

Primo igitur notandum eſt, Elementa tripliciter ſpectari poſſe. Primo modo, vt ſunt corpora naturalia ſimplicia, compoſita tamen ex materia, & forma alio modo vt ſunt partes vniuerſi, & tertio modo vt ſunt Elementa componentia miſta in rerum natura. Si primo modo ſpectentur, ſicut habent ſuam eſſentiam, & exiſtentiam à propria forma ſubſtantiali, ſic ab eadem ſortiri debent dignitatem, & præſtantiam in comparatione ad ſeinuicem; ſiquidem forma dat eſſe, & bene eſſe rei, quam conſtituit ſi ſecundo modo attendantur, quemadmodum cum alijs partibus conſtituunt Vniuerſum in eſſe relatiui, ita adipiſci debent præſtantiam, ſecundum diſpoſitionem, & ordinem, quem habuerunt à primo rerum omnium conditore. Sin denique conſiderentur tertio modo per reſpectum ad miſta, quæ dicuntur componere, dignoſcenda eſt illorum præſtantia ab influxibus, quos immittunt, vel formaliter, vel virtualiter in corpora miſta. Ex his inferendum eſt, quod ſi Elementa ſpectentur ſecundum ſuum eſſe ſubſtantiale, quod habent à proprijs formis, in primo gradu dignitatis ponendum eſt Elementum ignis, cùm illius forma ſubſtantialis, indicata à caliditate in ſummo, quæ eſt omnium qualitatum actiuarum nobiliſſima, præcellat in perfectione cæteras aliorum Elementorum: in ſecundo gradu collocandum eſt Elementum aquæ, ſiquidem frigiditas, quæ oſtendit formam dantem eſſe ſubſtantiale aquæ Elemento, cùm ſit actiua, excedit in perfectione humiditatem, & ſiccitatem, quæ ſunt qualitates paſſiuæ, vt docet Ariſtoteles lib. 4. Meteorolog. ſum. 1. cap. 1. in tertio gradu aſſignandum venit Elementum terræ, & in quarto gradu Elementum aeris; quandoquidem ſiccitas, quæ comitatur formam ſubſtantialem terræ, eſt perfectior humiditate, quæ oſtendit formam ſubſtantialem Elementi aeris ex eodem ibidem, & in 2. de Gen. & Corrupt. t. 9. Secundo inferendum eſt, quod ſicut pars ſuperior Vniuerſi eſt nobilior inferiori ratione poſitionis, & inter partes ſuperioris ordinis, quæ proximior primo motori cæteras dignitate præſtat, ita dicendum eſt, quod inter partes inferioris ordinis, quæ ſupremum locum, & ſitum proximiorem primo corpori cæleſti, ſibi vendicat, talis dignior cæteris æſtimanda venit. Tertiò tandem inferendum eſt, illud Elementum, quod nobiliori influxu concurrit ad conſtitutionem miſtorum, præ cæteris eſſe præſtantius, dignius, ac nobilius, huiuſmodi eſt Elementum ignis, quod ratione caliditatis in ſummo, virtualiter

liter dat eſſe Elementare omnibus miſtis.

Secundo Notandum eſt, præſtantiam Elementorum poſſe dupliciter attendi, vel ratione vtilitatis, ac beneficentiæ, quas afferri ſolent miſtis viuentibus in Vniuerſo conſtitutis, vel ratione perfectionis, quam inſeinuicem comparata, conferunt toti Vniuerſo. Si priori modo attendantur, ignis erit deterioris conditionis præ cæteris Elementis, ſiquidem terra, non ſolum omnia, quæ ſunt ad victum, & veſtitum illis neceſſaria ſuppeditat, ſed etiam omnia metallorum, & præcipuarum gemmarum genera, quæ ad eorundem cultum, & ornatum faciunt, vt prouida genitrix, & nutrix parit, & fouet: aqua pariter, non ſolum irrigat terram, fæcundatque illam, vt germinet plantas, flores, & fructus parturiat, verum etiam omnium piſcium genera in alimentum eiſdem ſubminiſtrat: aer quoque ſuam præſtat vtilitatem viuentibus, dùm reſpiratione vitam conſeruat, ſuo afflatu calorem temperat ad refrigerationem, ventos excitat ad nauigationes obeundas &c. cæterùm ignis, aut pauca, ſuo calore, nobis confert, eaque non neceſſaria, aut plus officit, quam proſit, cùm ſua voracitate omnia deſtruat, vt merito dignus iudicetur à pleriſque, qui è Mundi Republica eijci, exterminarique debeat, eò maximè, quia teſte Ariſtotele lib. 2. de Gen. & Corrupt. t. 21. & lib. 2. de Gen. Animal. cap. 3. eſt ita infenſus viuentibus, vt nullum animal generet, ſed omnia perimat, & extinguat. Sin autem poſteriori ſpectentur modo, Elementa priora nempe terra, aqua, & aere, cedere tenentur palmam igni, quippequi altiorem naturæ, & perfectionis eſſendi gradum præ illis ſibi vendicat in Vniuerſo; tùm quia eius forma ſubſtantialis, indicata à perfectiori qualitate, nimirum à caliditate ſumma, qua pollet ignis, eſt perfectior, ac proinde nobilior cæteris; tùm etiam, quia digniorem locum inter cætera corpora ſublunaria, vtpotè perfectius, ab Vniuerſi conditore obtinere meruit. Hic loquimur de præſtantia in perfectione eſſendi, non verò ſecundum vtilitatem, & beneficentiam alijs inſeruiendi, ac iuuandi.

Ex his fit prima concluſio. Si præſtantia Elementorum attendatur ſecundum ſuum eſſe proprium ſubſtantiale, & ſecundum perfectionem in modo eſſendi in vniuerſo, Elementum ignis præcellit cętera ſecundum dignitatem, & nobilitatem. Poſt hoc ſequitur Elementum aquæ; deinde Elementum terræ, & denique Elementum aeris. Prima pars huius concluſionis cum omnibus ſuis particulis ſufficienter comprobata remanet in primo Not. ſecunda pars ſuadetur ſic, nàm ordo naturæ poſtulat, vt partes, quo perfectiores ſunt, digniorem, & nobiliorem eò ſibi locum vendicent in Vniuerſo ſuper alias minoris dignitatis, ac nobilitatis, & perfectionis, ſed inter Elementa, quæ ſunt huius ſublunaris Mundi partes præcipuæ, Elementum ignis, præ cæteris altiorem ſibi vendicat locum, vtpotè locatum ſuper aere in concauo lunaris orbis, ſicut aliàs oſtendimus, & ſub aere Elementum aquæ, ac in poſtremo loco Elementum terræ, ergo Elementum ignis, etiam in modo eſſendi in Vniuerſo, cenſendum eſt dignius, & nobiliùs cæteris inferioribus ſub illo poſitis, ac locatis. Maior patet, quia ſicut natura tendit ad perfectionem Vniuerſi, ſic eius ordo debet reſpicere prius illas partes, in quibus magis relucere conſpicitur bonitas, ac perfectio illius, vt clare oſtendit Ariſtoteles lib. 12. Metaph. in t. 52. & ſequentibus, ergo ordo naturæ poſtulat, vt Vniuerſi partes perfectiores præferantur perfectis quidem partibus, tamen minoris perfectionis, vt exinde reluceat earundem dignitas, ac nobilitas in vniuerſo.

Secunda Concluſio. Si verò Elementorũ præſtantia attendatur quoad vtilitatem, & beneficentiam quam afferre videntur viuentibus in Vniuerſo, Elementum ignis eſt deterioris conditionis præ cæteris Elementis. Tota concluſio comprobata ſufficienter exiſtit ex dictis, narratis, ac probatis in ſecundo Not. vt nihil neceſſarium ad eius firmitatem poſſe addi videatur, nihilominus, vt clariùs appareat illius veritas confirmari poterit ratione ſequẽti. Nàm ſine ignis Elemento, igniri, & calefieri poterunt pro neceſſitate viuentia in vniuerſo, non autem abſque aliorum Elementorũ ope, ergo horũ præſtantia, quoad vtilitatem, & beneficẽtiam erga viuentia in vniuerſo, excedit pręſtantiam Elementi ignis. Conſequentia te-

Digitized by Google

net ex intellectu huiuſmodi præſtantiæ, & excellentiæ, vt ſecernitur ab illis, quæ conſiderantur ſecundum eſſe, & modum eſſendi Elementorum in vniuerſo. Antecedentis prima pars ſuadetur, tùm quia in ſententia probabili, Vniuerſum, conſiſtere poteſt abſque elemento ignis: tùm etiam, quia omnes operationes, quæ deriuari ab Elemento ignis perhibentur, poſſunt ſuppleri ab Aſtris virtualiter calidis, & præſertim à virtute Solis, cum horum radijs, non modò calefieri poſſunt, verùm etiam incendi, quæ conduci valent ad viuentium beneficentiam, & vtilitatem, vt experientia comprobari poterit, ergo ſine ignis Elemento, poterunt haberi in vniuerſo ea, quæ ignitione, & ignis calore pro neceſſitate viuentium, indigent ſecunda pars antecedentis pariter ſuadetur, quia ſtatim, ac nati ſumus, egemus terra ad ſuſtentandum nos, eius frutibus ad victum, & veſtitum, aqua in ægritudine, & ſanitate ad concoequendum cibos, pro animalibus ad bibendum, & pro multis alijs vſibus neceſſaria, & aere ad reſpirandum, & refrigerandum corda, nè caloris interni, & externi vi oppreſſi ſuffocari cogamur, ergo quemadmodum ignis Elementum inutile videtur, hæc vtilia, immò neceſſaria ab omnibus comprobari debent, ac proinde eorum præſtantia ſuper ignis Elemento cenſenda neceſſariò venit, quicquid in contrarium attentent nonnulli, eiuſdem pulchritudini nimirum addicti.

Tertia Concluſio. Si Elementa denique ſpectentur per ordinem ad miſtorum conſtitutionem, ignis Elementum præſtantius, ac nobilius præ cæteris concurrere dignoſcitur. Probatur, quia Elementa concurrunt tantum virtualiter ad generationem miſti, vt cùm Ariſtotele, & Doctore ſubtili oſtendimus in ſecundo de Anima Diſp. 3.q.7. ſed concurſus virtualis ignis eſt præſtantior, & dignior concurſu terræ, aquæ, & aeris; ſiquidem virtus caloris, quo concurrit ignis, excedit virtutem humoris, quo aer, frigoris quo aqua, & ſicci quo terra influunt in generationem miſti, ſicut calor in actiuitate eſt actiuior cæteris qualitatibus primis, ergo Elementum ignis, cùm perfectiori concurſu ſe habeat in generatione miſti, erit præſtantius, dignius, & nobilius cæteris, etiam in ordine ad conſtitutionem miſtorum.

Obijcitur primo contra primam Concluſionem, nàm illud eſt præſtantius, & nobilius quoad eſſe in Vniuerſo, inter Elementa, quod magis aſſimilatur nobiliori miſto, ſed Elementum terræ, & non ignis aſſimilatur animali, quod inter miſta eſt nobilius, ergo terræ, & non ignis, Elementum præ cæteris eſt nobilius. Maior patet, quia ſimilitudo in eſſendo indicat cognationem naturæ. Minor probatur, quia in Elemento terræ adumbratur quodamodo hominis, & animalis ſaltem perfecti effigies; nam quemadmodum in noſtro corpore venæ ſunt, & arteriæ, in quibus recipiuntur ſanguis, & ſpiritus, ſic in terra ſunt riui, per quos, aqua, & aer adumbrantes ſanguinem, & ſpiritus, continentur & vt in nobis quædam partes ſunt duriores, vt oſſa, quædam molliores, vt in capite cerebrum, in oſſibus medullæ, ſic in terra quædam ſunt natura dura, vt lapides, & metalla, quædam liqueſcunt, vt bitumen, cæmentum, & his ſimilia, denique vt in nobis percuſſa vena tandiù ſanguis effluit, quoadusque exhauriatur, vel fuerit intercluſa, ſic in terra è venis effunditur riuus, vel fluuius, donec aqua conſumpta ſit, aut aliquo impedimento occluſa via, ergo Elementum terræ aſſimilatur animali, & potiſſimum humano corpori.

Reſpondetur maiorem eſſe veram de aſſimilatione in virtute, ſecundum quam Elementa concurrunt ad conſtitutionem miſtorum, non tamen de aſſimilatione in materia, quam miſtis minimè exhibent; ſiquidem virtus, actiua indicat formam Elementi, & quò perfectiorem virtutem obtinet Elementum, eò digniorem demonſtrat habere formam. Cùm ergo virtus Elementi ignis, per quàm influit in miſtum, ſit perfectior virtute Elementi terræ, vt probatum eſt ſuperiùs, quemadmodum indicat perfectiorem formam ſubſtantialem, quam ſit forma terræ, ſic commendat nobilius eſſe in igne, quàm in terra. Nec valet ſimilitudo terræ cùm corpore humano, quoniam, cùm hæc ſit in materia, & non in forma, nequit, ex tali analogia, tribuere nobilitatem in eſſente ſupra ignem, ſic nec animal cenſetur dignius alio miſto, ex corpore, ſed ſolum ex anima,

quæ

dem generatio eſt perfectio ſimpliciter, cùm conueniat enti ſimpliciſſimo, nempè Deo, ſed Elementum aquæ teſte Plinio lib. 9. Hiſtot. animal. cap. 3. multa generat, ignis verò nullum animal generat ex Ariſtotele lib. 2. de Hiſtor. cap. 3. & lib. 2. de Ortu, & Interitu, ergo Elementum aquæ eſt nobilius, & dignius Elemento ignis.

Reſpondetur, aquam generare multa animalia, qua miſtum eſt, non qua Elementum ſimplex eſt, quia ſic non aliter concurrit ad conſtitutionem miſti, quàm ſimplex Elementum ignis, virtualiter concurendo per ſuas formas accidentales. Neque Plinius aliter ſentire debet, quia exemplificat de Mari, quod non generat, vt purum Elementum eſt, verum vt affectum varijs qualitatibus, diſponentibus ad generationem animalium.

Obijcitur tertiò quandoquidem aer videtur conſeruare vitam animalium ſuo humido, & calido, in quibus conſiſtit vita, vt docet Ariſtoteles lib. de Iuuent. & Senect. quam tamen ignis ſuo calido, & ſicco, conatur deſtruere, ergo aer videtur præſtantior, & nobilior igne. Conſequentia patet, quia quemadmodum viuens eſt nobilius, & præſtantius non viuente, ſic illud, quod eſt cauſa conſeruationis vitæ, debet eſſe nobilius, ac præſtantius eo, quod vitam auferre conatur.

Reſpondetur negando conſequentiam, ſiquidem præſtantia, aut nobilitas Elementaris naturæ non eſt metienda, aut neceſſitate, aut vitæ commodis, quæ miſta habere poſſunt adinuicem comparata, ſed ſolùm ab exhibitionem qualitatum perfectiorum, & nobiliorum, quas miſtis exhibere, & tribuere ſolent cùm igitur coniugatio calidi in ſummo, & ſicci in excellenti, quæ conſequitur formam ignis, ſit perfectior, præſtantior, & nobilior coniugatione calidi in excellenti, & humidi in ſummo conſequente formam aeris, ſequitur ignem, etiam in ordine ad miſta, eſſe excellentiorem, præſtantiorem, & nobiliorem aere. Neque faceſſit, quod Ariſtoteles dixerit, vitam conſeruari in calido, & humido, & humido, in quibus non eſt tanta vis actiua, cùm calidum ſit tantum in excellenti, iunctum humido, quàm in calido, & ſicco, in quibus, quia calidum in ſummo, potiori virtute dominatur ſicco, illud conſumendo, eſt maior virtus actiua, & minor reſtitutiua, proindè miſti vita videtur longius traduci in illis, quàm in iſtis. Cæterùm in Elementis, quià vita conſiſtit in calore, tanquam in præcipuo opifice vitalium functionum, & calor, maximè in ſummo, nobilior ſit in igne, quàm aliæ qualitates in cæteris Elementis, propterea in Vniuerſo Elementum ignis pluris faciendum eſt, quam cætera ſimul ad illud comparata.

Vtrum Elementa omnia ſint ſecundum ſe figurata; & an figura ſphærica?

QVÆSTIO V.

Terram, ſimul cum aqua, conficere vnum globum, ſub vna, & eadem ſuperficie concaua contentum, iàm concluſimus in fine ſecundi libri cum Ariſtotele à t. 108. ac ſequentibus. An autem talis figuratio illis conueniat ab intrinſeco, & ex propria natura, an verò ab extrinſeco, & ratione continentis, vertitur controuerſia in præſenti examinanda, non tantum de terra, & aqua, ſed etiam de cæteris Elementis aere, & igne. Quapropter omiſſa Antiquorum opinione, contra quam ſatis luculenter inuexit Ariſtoteles in hoc tertio lib. à t. 65. vſque ad finem, eiuſdem adducendæ veniunt Recentiorum ſententiæ de figuris ſingulorum Elementorum loquentes.

Quandoquidem aliqui cenſent ignem, & aerem eſſe quidem figuræ ſphæricę in ſuperficie conuexa, at in concaua obtinere figuram oualem. Ita Ioan Gandauenſis primo Met. q. 4. & Fernelius lib. 1. ſuæ Coſmoth.

Alij, ſequuti Pythagoram, vt refert Plutarchus lib. 1. de Placitis Philoſophorum cap. 12.

cap.12. docuerunt, ignem habere figuram nucis pineæ, quæ parum diſtat ab ouali, mouenturque ab experientia huius noſtri ignis, qui cum aſcendit format figuram vnius pineoli, parum differentis ab ouali figura.

Alij conſiderantes, omnia Elementa cieri motu recto, vel à medio, vel ad medium, deſignantes lineas rectas, putarunt eiſdem conuenire aliquam figuram rectam, & non rotundam, vel circularem, & mouentur ratione deſumpta ab oppoſitis, quia ſicut corporibus, quæ mouentur circulariter debetur figura circularis, vt docuit Ariſtoteles lib.1. de Cœlo t.5.& lib. 2. à t. 22. & lib. 1. de Anima t. 48. ita per oppoſitum corpora, quæ mouentur motu recto, ex ſua natura poſtulant figuram rectam, quæcumque ſit illa.

Alij denique percipientes, quod nullum corpus ſimilare poſſit terminari termino proprio, dixerunt, Elementa quæ ſunt corpora ſimilaria, non poſſe habere vllam figuram determinatam, & propriam, ſed illam tantùm, quam obtinente à continente, ac proinde omnia eſſe ſphærica, ratione vniuerſi, in quo continentur, & hanc opinionem præ cæteris veriorem putamus: vnde pro eius clariori notitia.

Primo Notandum eſt ex Ariſtotele in hoc lib. tertio t.48. corpus ſimiliare, vt alias obſeruauimus, eſſe illud, cuius partes recipiunt ſimilem determinationem, ac denominationem à ſuo toto, vt patet de aqua, cuius quælibet pars denominatur aqua, ad differentiam partium diſſimilarium, quæ non recipiunt denominationem à toto, vt manus, brachium, pes, & ſimiles, iſtæ enim ſunt falſæ, manus hominis eſt homo, brachium hominis eſt homo, & ſic de alijs. Ex his infertur primo quod quatuor Elementa ſunt corpora ſimilaria, cum partes cuiuſcumque recipiant denominationem à toto; valet enim dicere, quælibet pars terræ eſt terra, quælibet pars aquæ eſt aqua, quælibet pars aeris eſt aer, & quælibet pars ignis eſt ignis. Infertur ſecundo quod quemadmodum totum ſimilare prædicatur in recto de qualibet eius parte, ita quidquid eſt idem eſſentialiter ipſi toti, debet prædicari quoque de qualibet illius parte in recto, vnde ſicut valet dicere, ignis eſt Elementum, corpus ſimplex, & homogeneum, ita pars ignis, eſt Elementum corpus ſimplex, & homogenea, & ſic de cæteris Elementis. Ex his infertur tertio quod ſi quodlibet Elementum foret determinatum ad vnam figuram eſſentialiter, ſicut huiuſmodi figura eſſet eſſentialiter incluſa in toto, ita pariter eſſet eſſentialiter incluſa in qualibet eius parte: vnde quemadmodum hæc eſſet vera ignis eſt eſſentialiter pyramis, & terra eſſentialiter cubus vt dicunt Platonici, ita iſtæ deberent eſſe eſſentialiter veræ: pars ignis eſt pyramis, pars terræ eſt cubus, & ſimiliter iſtæ, pars pyramidis eſt pyramis, & pars cubi eſt cubus; quod eſt omnino falſum, & contra naturam talium figurarum, ſiquidem cubus conſtat ſex quadratis, & pars conſtaret tantùm tribus, & ſic dicendum eſſet de cæteris ſimiliter, quæ ſunt omnia repugnantia; quare concludendum eſt, quod nullum Elementum, cum ſit corpus ſimilare, poterit habere aliquam figuram ſibi propriam.

Secundo Notandum eſt, *figurarum* aliam eſſe naturalem, & intrinſecam rei cuius eſt *figura*, aliam verò innaturalem, & extrinſecam figurato. Prior conſequitur ita intrinſecè rem figuratam, vt abſque illius deſtructione auferri nequit, vt patet in figura hominis, vel equi, quæ ſi deſtruantur, cùm eis peribit eſſe hominis, & equi. Poſterior verò, cum ſit tantum diſpoſitio accidentalis rei figuratę, ita conſequitur rem, cuius eſt diſpoſitio, vt abſque illius deſtructione, ab ea mutari poterit, & hęc appellatur figura continentis, cùm diffiniatur per ordinem ad terminos illius à Mathematicis, cùm aiunt: figura eſt, quę termino, vel terminis clauditur, & hęc eſt multiplex, quia eſt recta alia, & alia circularis: recta adhuc multiplex, ſiquidem alia eſt triangularis, alia quadrangularis, alia ſexangularis, & alia octangularis, quę omnes pluribus terminis clauduntur, ad differentiam circularis, quę vnico termino tantum clauditur. Ex his infertur, quod Elementa, cùm poſſint varijs figurari figuris, vt patet de aqua, & terra, quę ſi ponantur in continente rotundo, apparent ſphęricę, ſi quadro, quadrangulares videntur, & hęc abſque illorum corporum deſtructione cum non ſint figurata figura naturali, & intrinſeca, verùm duntaxat innaturali,

Digitized by Google

turali, & extrinſeca ratione continentis. Hinc deducitur, quod huiuſmodi quatuor Elementa, cùm ſint partes Vniuerſi, ita diſpoſitæ vt vna ſecundum ſuperficiem conuexam tangat concauam orbis Lunæ, & ſecundum vtramque ſeinuicem ſecundum ſub, & ſupra, contiguenturque Vniuerſo, quod eſt ſphæricum, vt docet Ariſtoteles in his libris de Cœlo, & libr. 1. Meteorolog. cap. 2. ſint figura ſphærica prædita, & non alia eſſentialiter determinata.

Ex his ſit prima Concluſio. Elementa ad nullam figuram naturalem ſunt determinata. Probatur, quia corpus ſimilare ad nullam figuram naturalem eſt determinatum, ſed Elementa ſunt corpora ſimilaria, ergo &c. Maior probatur quia corpus ſimilare prædicatur de qualibet eius parte in recto, ſiquidem per hoc differt à corpore diſſimilari, vt adnotauimus primo ſed nulla figura prædicari poteſt de qualibet eius parte in recto, quia hæ ſunt falſæ pars pyramidis eſt pyramis, & pars cubi eſt cubus, vt patet ex earum diffinitionibus, ergo nulla figura poteſt eſſe naturalis corporis ſimilaris. Secundo probatur, quia experientia conſtat quodlibet Elementum, nulla ſui mutatione ſubſtantiali facta, transire de vna figura in aliam; aqua enim ſi ponatur in vaſe circulari, apparet figuræ circularis, ſi triangularis figuræ mutetur in vaſi, & ipſa mutabitur de circulari in triangularem figuram, & ſic de cæteris Elementis, ergo omnia Elementa carent naturali, & determinata figura.

Secunda Concluſio. Elementa omnia figurari poſſunt figura innaturali, & extrinſeca, hoc eſt, continentis. Probatur primo, quia omnia Elementa ſunt corpora ſimilaria, vt probatum eſt in 1. Not. ſed talia figurantur tantum ab extrinſeco, nimirum à continente, vt experientia comprobari poteſt in omnibus Elementis, ergo omnia figurari poſſunt figura innaturali, & extrinſeca. Secundo probatur, quia omne recipiens debet eſſe denudatum à natura recepti ex Ariſtotele 1. Phyſicorum, & 3. de Anima, ſed in mixtione omnia Elementa poſſunt recipere quamlibet figuram, ergo poſſunt amittere illam, quàm habent, & alias obtinere, ac proinde Elementa tantum extrinſecè figurari poſſent.

Tertia Concluſio. Omnia Elementa ſunt figuræ rotundæ, ac ſphæricæ. Probatur de igne, & aere, (de terra enim, & aqua iam probatum eſt in fine lib. 2. de Cœlo à t. 103. & à nobis ibidem diſp. 3. quęſt. 1.) quia Elementum, ignis quoad ſuperficiem conuexam, eſt contiguum ſuperficiei concauæ orbis Lunæ, ſed orbis Lunaris eſt figuræ ſphæricæ, vt probatum eſt in lib. 1. de Cęlo diſp. 2. de corpore circulari, & lib 2. diſp. 1. q. 4. de omnibus orbibus, ergo etiam Elementum ignis debet eſſe ſphæricæ figuræ. Conſequentia tenet, quia quod eſt contiguum ſphærico, ſphæricum eſt ex Ariſtot. lib. 2. de Cœlo t. 30. ergo &c. Secundò probatur de aere, quia ſuperficies conuexa aeris eſt contigua ſuperficiei concauæ Elementi ignis, ſed hæc eſt ſphærica, & rotunda, non autem oualis, aut ſimilis nuci pineæ vt dicebant Auctores primę, & ſecundæ ſententiæ ergo, & illa debet eſſe ſphærica. Maior eſt Ariſtot. 2. de Cœlo t. 30. & lib. 1. Meteorologicorum cap. 2. vbi ponit, ordinem, ac ſitum quatuor Elementorum ad ſeinuicem, & cum Cœlo. Minor probatur, quia vacuum naturaliter eſt impoſſibile, vt Ariſt. probauit 4. Phyſic. cap. 4. 5. & ſum. 2. at ſi ſuperficies concaua ignis non eſſet rotunda, ſed oualis, aut pineolata, daretur naturaliter vacuum inter ipſam, & conuexam aeris, quia non vndequaque ſe tangerent, vt experientia comprobari poteſt in duabus figuris artefactis, quarum altera ſit ſphærica in conuexa, & altera oualis in concaua ſuperficie, ergo nè detur vacuum, dicẽdum eſt vtramque ſuperficiem, concauam, & conuexam debere eſſe rotundam, & ſphæricam, ac proinde vtrumq; Elementum ignis, & aeris eſſe figuræ ſphęricę, ac rotundæ. Tertio probatur tota concluſio ſimul, nã illam figuram debent habere Elemẽta, quam ob ſuam perfectionem obtinet Vniuerſum, cuius ſunt partes integrales ſublunares, ſed vt alias oſtendimus, Vniuerſũ totum eſt ſphæricum, ergo & omnia Elementa debent eſſe ſphærica. Maior probatur, quia quæcũque ex ſe figuram determinatam, & ab intrinſeco non habent, ſi figurati contingat, recipiunt figuram ab extrinſeco, & à continente, ſed Elementa nullam figuram, ex ſe determinatã habent ex prima concluſione, ergo cũ aliquã figurã recipere poſſint, vt probauimus in ſecunda concluſione, illè habere debẽt à ſuo cõtinẽte, quod eſt vniuerſũ, cũ ſint eius partes ſublunares.

Obijcitur primo contra primã Concluſionem, quia omne corpus finitum, & limitatum, vendicat ſibi aliquam figurã determinatam, ſed Elementa ſunt corpora finita, & limitata, ergo ſibi vendicant aliquam figuram determinatam. Maior patet, quia eſſe finitum, terminatum, ac limitatum idem eſt ac eſſe clauſum aliquo termino, quod verò eſt aliquo termino clauſum, idem eſt, ac eſſe figuratum, vt eſt ex ſe manifeſtum per diffinitionem figuræ, ergo de primo ad vltimum, omne corpus finitum, & limitatum vendicat ſibi aliquam figuram. Minor etiam clareſcit, quia Elementa ſunt corpora naturalia quanta, ac proindè finita, & limitata, vt liquet ex diffinitione quãtitatis continuæ, ac ſuarum ſpecierum.

Reſpondetur maiorem, cum ſua probatione, eſſe veram de figura extrinſeca, & quantitatiua in genere, non autem de intrinſeca, vel de extrinſeca determinata in ſpecie, vel in indiuiduo, quia ſic nullum corpus ſimilare determinatur ad aliquam figuram in indiuiduo, vel ſpecie, verum eſt indeterminatum ad plures figuras ſub vno genere contentas. Cùm igitur Elementa ſint corpora ſimilaria, ſunt equidem determinata ad multas figuras extrinſecas, verùm ad nullam in ſpecie, vel in indiuiduo, quæcumque ſit illa.

Obijcitur ſecundo contra tertiam Concluſionem ſiquidem queãdmodum ſe habet mobile circulare ad figuram circularẽ, ita ſe habere debet mobile rectum ad figuram rectam, ſiquidem diuerſitas figurarum arguit diuerſitatem motuum, ac mobilium ex Ariſtotele lib. 1. de Cœlo t. 5. & 17. ac 2. de Cœlo t. 22. & 1. de Anima t. 48. ſed Elementa nequeunt moueri motu circulari, verum duntaxat motu recto, vel ad medium, vt ſunt aqua, & terra, vel à medio, vt aer, & ignis, vt ſæpiſſimè probatum eſt, ergo nequeunt figurari figura, cui conuenit motus circularis, verùm ea tantum, cui competit motus rectus, qualis eſſe debet figura recta.

Reſpondetur negando maiorem abſolute, quandoquidem figurarum diuerſitas nõ arguit ab intrinſeco diuerſitatem motuum, nec mobilium, cum figura vt ſic non ſit principium intrinſecũ motus in aliquo mobili, ſed ſolùm ſe habeat, tanquam aliqua diſpoſitio ad maiorem, vel minorem velocitatem motus, ſiue ſit rectus, ſiue circularis: Neque Ariſtoteles oppoſitum adſtruit in præcitatis locis, cùm inibi diſtinguat motum rectum à circulari ratione termini; inquiens, motum rectum eſſe, quieſt à medio, vel ad medium, circularem verò, qui eſt circa medium; & per hoc ſolum diſtinguuntur mobile circulare, vt eſt Cœlum, à recto, cuiuſmodi ſunt Elementa, quia illud cietur circa centrum Vniuerſi, & hæc vel à centro, vt ſunt ignis, & aer, vtpotè leuitate præditi; vel ad centrum, vt terra, & aqua, quia grauitate affecta. Et licet videatur aptare figuram circularem ei mobili, quod circa medium voluitur, non propterea principium cõſtitutiuum, aut diſtinctiuum illius indicat, verùm duntaxat aptitudinem motus promptiorem in mobili circulari, ſeù ſphærico, quam ſi foret alia figura figuratũ. Neque ex eo, quod Elementa moueri nequeant motu circulari, deſtituenda ſunt figura ſphærica, dũ ſunt in proprijs locis, veluti partes Vniuerſi conſtituta, quia nullam figuram poſtulant ratione motus, ſed tantum illam, quæ eſt continẽtis ratione ſitus, quem obtinent in Vniuerſo.

Obijcitur tertio nam Plato in Timęo diuerſas figuras attribuit quatuor Elementis, ergo non ſolùm continentis figuras obtinent, verùm propriam, & non rotundam. Antecedens probatur, quia figuram Octaedron, ſimilem pyramidi, attribuit aeri, Tetraedron, ideſt pyramidalem, igni, Icoſaedrõ aquę, & Hexaedron terrę, & huiuſmodi attributio non eſt voluntaria, verùm conueniens iuxta proprietatem cuiuſlibet Elementi; ſiquidem figurę pyramidalis, & ſubpyramidalis attributæ igni, & aeri indicant leuitatis gradus, & formas, quas habent in aſcendendo ad extremum: figuræ verò mobilitatis, & ſtabilitatis attributæ aquæ, & terræ demonſtrant illarum naturas, dùm deſcendunt ad medium, & locantur in ipſo, ergo iure merito ſibi conueniunt tales figuræ, & non ſunt voluntariæ, ac proinde diſtinguunt ab intrinſeco Elementa, & non ratione continentis tantùm.

Reſpondetur negando conſequentiam, ſiquidem Plato, vt aduertit Alcinous lib. de Doct. Platonis cap. 13. ſecundum veritatem tribuit Elementis figuram globoſam, licet ſecundum quãdam ſimilitudinem, deſumptam à quibuſdam attributis, quæ videntur in

in Elementis cõſpici, eiſdem addixerit nonnullas figuras rectilineas, à circulari diſtinctas, & has impugnauit Ariſtoteles, vti forent differentiæ eſſentiales conſtitutiuæ, & diſtinctiuæ corporum ſimplicium à ſeinuicem, quæ tamen reuera non erant differentiæ eſſentiales illorum corpum ſimplicium, ſed ſolùm ſimilitudinariæ, vt potè deſumptæ à corporibus mathematicis, quæ regulariter ſunt tantùm quinque, ſcilicet Tetraedron, Hexaedron, Octoedron, Duodaedron, & Icoſaedron. Sic exponunt Magiſtrum quidam Platonici, vt illum eximant ab impugnationibus Diſcipuli, nempe Ariſtotelis. Alia argumenta, quibus impugnari poſſunt iſtæ concluſiones, eorumque ſolutiones videri poterunt in Recentioribus, verùm hęc, vt potè difficiliora, ſufficere debent; ſicque finem imponere huic diſputationi, & lib. 3. de Cœlo, & Mundo.

ARISTOTELIS
DE COELO, ET MVNDO.
LIBER IV.

Hic liber diuiditur in tres Sũmas. In prima quarum, cùm in toto libro agatur de graui, & leui, pertractat de illis ſecundũ opiniones Antiquorum. In ſecunda de graui, & leui ſimpliciter, & in reſpectu. In tertia tandem de graui, & leui ſecundum propriam ſententiam, & de corporibus, quibus hæc inſunt, determinat.

Summa prima partitur in tria Capitula, in quorũ primo, quod ſe habet veluti exordium totius libri, agenda in eodem proponit. In ſecundò examinat opiniones Antiquorum de graui, & leui. In tertio aliorum opiniones de eiſdem recenſet, & illorum fallacias manifeſtãt, ac deſtruit.

Quoad primum Caput, & in T. I. proponit ſe velle agere in hoc lib. 4. de Cœlo de graui, & leui, quid vtramque ſit ſecundum eorum naturam, & qua de cauſa ſint applicata quatuor Elementis ad varias motus efficiendos. Rationem inſinuat huiuſmodi propoſitionis, quia cùm in principio libri dixerit, hanc contemplationem eſſe de natura, quæ ex 2. lib. Phyſicorum eſt principium motus, & quietis naturalis, operę pretium erat agere de graui, & leui, quæ potiſſimum concurrunt ad motum naturalem efficiendum.

In T. II. duo facit; primum exponit vnde dicatur graue, & leue. Secundum proponit agendi ordinem de illis. Quoad primum dicit, graue, & leue ſic dici poſſe aliquid, quia poteſt naturaliter moueri, ſiquidem actionibus ipſorum non reperitur aliquod nomen, quo vocari poſſint, niſi fortè dicamus, illas comprælendi ſub hoc vocabulo græco, Ropes, quod inclinationem, ſeù propenſionem mobilis ad motum naturalem importat; graue namque dicit inclinationem ad motum deorſum, & leue ad motum ſurſum; cæterùm nec hoc eſt bene dictum, quia propenſio ad huiuſmodi motus ſurſum, & deorſum nõ eſt adeò propria grauis, & leuis, vt non potiùs conuenire videatur formis ſubſtãtialibus illorum corporum, quibus hæc accidentia inſunt. Quoad ſecũdum ſubdit, quod viſis primum ijs, quę ab alijs de graui, & leui, quoad quid nominis, & quoad quid rei, dicta fuerunt, illiſque diligenter examinatis, poſteà propriam ſententiam proferre de eiſdem promittit.

Quoad ſecũdum Caput, in quo proponit opiniones Antiquorum de graui, & leui, in T. III. ſtatuit vnam diſtinctionem, ſeù diuiſionem vtrorumque, inquiens grauium, & leuium, aliud dici ſimpliciter, & aliud in reſpectu, ſiue ſecundum quid. Graue ſimpliciter eſt, quod omnibus ſubeſt, vt eſt terra. Leue verò ſimpliciter eſt, quod omnibus eminet, vt ignis. Graue autem in reſpectu dicitur, quod comparatum ad vnum dicitur, le-

Digitized by Google

ue, cōparatum verò ad aliud dicitur graue, cuiuſmodi ſunt aqua, & aer: nam ſi aqua comparetur ad terram habet rationē leuis, quia ſupereminet ei; ſi autem comparetur ad aerem, habet rationem grauis, cum ſubſit illi. Similiter aer comparatus ad ignem dicitur grauis, quia ſubeſt illi: at comparatus ad aquam, dicitur leuis, cum eidē emineat, vt inferius melius declarabitur.

Deinde ſubdit, quod de grauibus, & leuibus ſimpliciter nihil dictum fuit à prioribus Philoſophis, ſed tantum de grauibus, & leuibus in reſpectu, quod ſuadet, quia non dixerunt quid ſit graue, & leue, verùm duntaxat, quid ſit ipſum grauius, & leuius in habentibus grauitatem, & leuitatem.

In T.IV. Reprehendit illos ſic dicentes, quia non ſolùm conſpiciuntur in Vniuerſo grauia, & leuia in reſpectu, ſed etiam ſimpliciter. Nam aliqua ſunt corpora, quæ ſemper nata ſunt ferri à medio ad extremum, ſi non fuerint impedita, hoc eſt ſurſum tendunt, & talia vocari poſſunt leuia ſimpliciter abſque aliquo reſpectu ad alia corpora, huiuſmodi ſunt ignis, ac ignea: alia verò ſunt corpora, quæ ſemper nata ſunt ferri ad medium, hoc eſt deorſum, ſine vllo reſpectu ad alia corpora, & talia dicuntur grauia ſimpliciter, cuiuſmodi ſunt terra, & terrea.

In eodem t. infert vnum conſectarium, quod malè dixerunt aliqui, non dari in Cœlo loca ſurſum, & deorſum; ſiquidem ſiue Vniuerſum ſit infinitum, vt voluerunt Anaximander, & Democritus; ſiue ſit ſphæricum, & conglobatum, vt placuit Platoni in Timæo, non propterea denegari debent poſitiones ſurſum, & deorſum in eo, cùm experientia quotidie comprobari poteſt ignem ferri ſurſum, quod eſt extremum ſupra nos in concauo Lunæ ſitum; terram verò tendere deorſum, quod eſt infra nos in medio Vniuerſi locatum.

In T. V. ponit opinionem quorundam, qui aſſerebant quidem dari in Vniuerſo ſurſum, & deorſum, ſed diuerſo modo ab eo, quo ipſe poſuit, nam iſti dicebant totum Vniuerſum diuidi in duo hæmiſphæria, alterum, quod ſupra nos conſpicimus, & illud dicebant ſurſum, alterum verò quod complectitur totam terram, quam pedibus calcamus, & hoc deorſum vocabant. Nam in hoc iſti errabant, quod totum Cœlum non faciebant rotundum, ac ſphæricum ex omni parte, ſed tantum ſemiſphæricum, ad eam partem, quæ circa nos exiſtit, ſicque negabant Antipodes, quem errorem, cùm ſatis expugnauerit ſuperiùs in 2. libr. ad præſens dimittit, ſolumque addit, quod melius dixiſſent, ſi poſuiſſent totum Cœlum vndique circularem, & medium, circa quod in Orbem voluitur, vocaſſent deorſum, ac extremum, ex omni parte ab eo diſtans, appellaſſent ſurſum, vt nos dicimus.

In T. VI. his prædictis opinionibus, deuenit ad diffinitiones grauis, & leuis, tùm ſimpliciter, tùm in reſpectu dicens. Simpliciter igitur leue dicitur, quod ſurſum fertur, & vſque ad extremum per lineam rectam ad concauum orbis Lunæ pertingens. Simpliciter autem graue, quod deorſum fertur ad medium, vel centrum Vniuerſi poſitum in medio terræ. Leue verò in reſpectu, quod & leuius vocatur, eſt illud, quod poſitum inter duo leuia, æqualis molis, ſurſum velocius naturaliter fertur. Graue autem in reſpectu, quod & grauius dicitur, per oppoſitum eſt, quod poſitum inter duo grauia, æqualis molis velocius deorſum cietur. Exempla de omnibus poſuimus ſupra in t.3.

In T. VII. accuſat eorum Philoſophorum, qui de graui, & leui pertractarunt, errorem; quandoquidem cum determinauerint de graui, & leui in reſpectu, putant ſe ſufficienter pertractaſſe de graui, & leui etiam ſimpliciter, quod quam ſit falſum manifeſtum eſt ex hactenus dictis, & melius patebit inferius in Summa tertia in qua expoſiturus eſt eadem ſecundum propriam ſententiam.

Quoad tertium Caput, in quo recenſet alias de hac re opiniones, ex quibus manifeſtabitur ampliùs, quod non ſint locuti de graui, & leui ſimpliciter, verùm de illis in reſpectu duntaxat, quare in T. VIII. ponit ſententiam Platonis in Timæo, dicentis, illud eſſe grauius, quod ex pluribus ſuperficiebus, ideſt partibus ſimilaribus, conſtat; leuius verò, quod ex paucioribus, ſiquidem plumbū maius, minori plūbo grauius eſt, & æs maius ęre minori, ſimiliter plūbū dicitur grauius ligno, quia licet ſint corpora alterius ſpe-

ſpeciei, tamen, quia omnia conſtant ex materia eiuſdem rationis, nimirum ex ſuperficiebus, quilibet exceſſus in iſtis, facit tale corpus eſſe altero grauius, quare, cùm de graui, & leui hoc tantùm modo determinauerit Plato; infert non rectè pertractaſſe de natura grauiũ, & leuium, cùm oportebat dicere, quid ſint graue, & leue ſimpliciter.

In T. IX. probat illatum, quod non rectè de illis determinauerit; namque manifeſtũ eſt, quod ignis, cuiuſcumque ſit magnitudinis, ſemper fertur ſurſum, & terra, qualiſcumque ſit molis, ſemper fertur deorſum, ergo ignis, nullo habito reſpectu ad partes maiores, vel minores, cùm ſemper feratur ſurſum, dicitur leuis, cuius oppoſitum ſequi deberet in eo, qui conſtaret ex pluribus ſuperficiebus; ſiquidem grauior eſſet iudicandus, quia per te grauius illud dicitur, quod ex pluribus partibus, & leuius, quod ex paucioribus conſtat partibus: quinimò experientia teſte docemur, quod quò maior extiterit ignis, eò velociori leuitate, tendet ſurſum.

In eodem textu ſubdit aliam rationem dicens: nam ſi multitudo ſuperficierum, ſiue partium facit grauitatem, & paucitas leuitatem in omnibus corporibus, ergo paucus ignis difficiliùs moueretur deorſum, magnus verò faciliùs, cuius oppoſitum experimur, quia quò maior, eò velocius tenditur ad extremum, & tardiùs deorſum.

In T. X. proſequitur impugnationem; nam ſi paucitas ſuperficierum cauſat leuitatem, & eò maiorem, quò minorabitur paucitas ſuperficierum, cum aer, ignis, & aqua conſtant ex eiſdem partibus, ſequitur aliquam multitudinem aeris eſſe grauiorẽ aqua, & velociùs ferri deorſum, quã quæuis pars aquæ, ſed totum contrarium eueniet, nam aer, quò maior erit, ſurſum ferretur, & aqua in minori magnitudine deorſum, & non ſurſum mouebitur, ergo falſum eſt, graue, & leue diſcriminari per multitudinem, & paucitatem partium, ſiuè ſuperficierum, aut triangulorum, vt dicebat Plato cum ſuis Platonicis.

In T. XI. impugnata opinione Platonis, adducit aliorum impugnationẽ contra eandem ſententiam; quandoquidem ſi vera eſt opinio Platonis, ſequeretur corpora æqualia in multitudine, vel paucitate partiũ, debere eſſe pariter æqualia in grauitate, & leuitate; patet enim ſequela ex eius poſitione, nam ſi multitudo cauſat grauitatẽ, & paucitas leuitatem, & quò maior eſt multitudo grauitatem maiorem, & quò minor paucitas leuitatem maiorẽ, igitur ex æquali multitudine, vel paucitate, neceſſariò ſequi debet æqualitas in grauitate, & leuitate, ſed hoc ad ſenſum dignoſcitur eſſe, inquiunt Democritus, & Leucippus, non ſolùm falſum, ſed nulla probabilitate vallatum, quia plumbum æqualis magnitudinis cũ ligno, eſset pariter æqualis grauitatis cum eo, & aqua vnius pugilli æqualis leuitatis cum pugillo aeris, quæ veritati omninò repugnant.

In T. XII. ponit opinionem Democriti, & Leucippi, & comparat illam cum ſententia Platonicorum. Illi namque ponentes principia grauitatis, & leuitatis eſse corpora ſimplicia, ex quibus componuntur mixta, meliùs dixerunt, quam Platonici aſſerentes principia grauitatis, & leuitatis eſſe ſuperficies, ex quibus coaleſcunt corpora grauitatem, & leuitatem habentia; ſiquidem ſuperficies, cùm ſint indiuiſibiles, non ſunt capaces grauitatis, & leuitatis; cæterùm illi, qui pro principijs ponebant corpora, poterant dicere id eſse grauius, quod eſt maius, vel plurium partium, id verò leuius, quod eſt minus, vel partium pauciorum: corpora enim, cum ſint diuiſibilia, poſſunt eſſe principia grauitatis, ſi fuerint maiora, aut leuitatis ſi minora extiterint. Cæterùm, quoniam, & hic modus dicendi videbatur eis non poſſe ſubſiſtere, cũ inter compoſita non ſemper, quod eſt maius mole; ſit quoque grauius, & quod eſt minus, leuius; æs enim eſt grauius lana, & tamen eſt ipſa minus mole, ideò aſſignant aliam cauſam eſſe grauitatis, & leuitatis, vt in ſequenti textu patebit.

In T. XIII. explicant ſuam ſententiam dicentes, corporum alia eſſe vacua, & alia ſolida, ea, quæ comprehendunt vacuum, quamuis ſint maiora mole, eſſe leuiora minoribus, quia vacuum comprehenſum eſt cauſa leuitatis, ſicut per oppoſitum plenum, vel ſolidum erit cauſa grauitatis. Hinc deducitur, quod corpora maiora magnitudine, interdum appareant leuiora minori, aut æquali magnitudine præditis, quia in illis plus vacui, quam in iſtis, erit comprehenſum.

In T.XIV. dicit hanc ſententiam, ſic explicatam non eſſe ſufficientem ad cognoſcendam cauſam leuitatis in corporibus, ſed addere debuerunt, leuius eſſe id, quod plus vacui, & minus ſolidi comprehendit; nam ſi exceſſerit talem proportionem, interdùm eueniet, quod illud, in quo fuerint plures partes ſolidi, trahet deorſum id, quod plus vacui continet, & ſic fiet, quod ſaltem per accidens, leuius euadet graue; cum autem hoc ſit abſurdum, dicendum eſt, abundantiam vacui non ſufficere ad leuitatem efficiendam in vno corpore, niſi addatur illi, & paucitas ſoliditatis ac pleni. Alioquin falſum eſſet, quod inferunt, nimirum ignem eſſe leuiſſimum, quia plurimum habet vacui, ſiquidem ita accidere poſſet, multum aurum fore leuius pauco igne, cùm in tam ingenti maſſa auri, plus vacui comprehendi poſſet, quam in pauco igne, quod ſenſui repugnat: igitur ad leuitatem efficiendam non ſufficit vacuum plusue minus, ſed addenda eſt paruitas ſoliditatis etiam, in eo, quod dici debet leuius altero corpore.

In T.XV. meo videri incipit arguere cōtra iſtam poſitionem Democriti, & Leucippi, ponentium vacuum eſſe cauſam leuitatis in corporibus, ex aliorum ſententijs, nam aliqui determinantes quidem de graui, & leui, nihil dixerunt de vacuo: Alij verò, vt Anaxagoras, & Empedocles nihil determinantes de graui, & leui, dicebant tamē eſſe vacuum: Alij verò ponentes quidem dari grauitatem, & leuitatē in corporibus, non aſſignabant tamen cauſam, cur aliqua corpora ſemper ferantur ſurſum, & alia ſēper deorſum: Alij denique non reddebant cauſā, cur corpora maiora mole ſint leuiora minoribus, ergo ex poſitione, vel negatione vacui, non poſſunt rectè concludere, hæc corpora eſſe leuiora, illa grauiora; & maiora ſecundum magnitudinem eſſe leuiora minoribus, & econuerſò leuiora non eſſe maioribus, vel æqualibus ſecundum molem, ſi careant abundantia vacui alioquin, & iſti potuiſſent dicere conſentanea eorum poſitioni, quæ tamen minimè loquuti videntur; ſignum igitur quod horum poſitio exorbitat à vera philoſophia.

In T.XVI. proſequitur impugnare eorumdem poſitionem, ex proprijs, & ex cōceſſis ab eis, & primo arguit ſic, nam data hac poſitione, ſequitur graue eſſe leue; ſed hoc inuoluit repugnātiam, ergo &c. Sequela maioris probatur, quia accipiatur magnus globus ignis, & parua gleba terræ; ex eo enim quod talis ſit maior ſecūdum molem illa parua terra, habebit etiam plures partes ſolidas, quàm ſint partes ſolidæ terræ, ergo ignis talis erit grauior terra illa parua, cùm habeat plus ſoliditatis, quam terra: Deinde, quia talis ignis habebit, cum ſit maior ſecundum molem ipſa terra, plus vacui, quam terra, erit leuior etiam ipſa terra, ergo talis erit grauior, & leuior reſpectu eiuſdem, ac proinde ſequitur graue eſſe leue, quod implicat.

In eodem t. ponit quandam reſponſionem, quam poſſent adhibere huic difficultati, dicentes, talem globum ignis non dici leuiorem per reſpectum ad ſolidum, seù plenum, ſed ſolùm per ordinem ad vacuū, quod in ſe comprehenſum tenet, atq; adeò non ſequitur, quod idem ſit leuior, & non leuior, ac grauior. Contra, quia hoc dato non poterunt diffinire ſimpliciter graue; ſiquidem aut id eſſe graue dicent, quod habet plus ſolidi, aut quod minus vacui; atqui neutrum dicere poterunt, ergo &c. Maior patet à ſufficienti diuiſione. Minorem probando deſtruit vtrumque membrum: nam ſi graue diffinierint ex eo, quod habet plus ſolidi, tunc magnus ignis erit grauior parua terra, cum habeat plus ſolidi. Si verò illud diffinierint ex eo, quod minus vacui continet, tūc parua terra erit leuior magno igne, cùm habeat minus vacui, quæ ambo fore valde abſurda nemo dubitare debet, ergo quemadmodum graue nequit ſimpliciter diffiniri per reſpectum, vel ad ſolidum, vel ad vacuum tantum, neque leue poterit ſic diffiniri per ordinem ad vacuum duntaxat.

In T.XVII. arguit ſecundo contra eandem poſitionem, quia ſi graue fertur deorſum ob plenum, & leue ſurſum ob vacuū, ergo magis vacuum habet ferri ſurſum, & plenū deorſum; propter enim vnumquodque tale, & illud magis, ſed hoc dicere eſſet maius abſurdum, ergo, & illud. Minor probatur, nam ſi vacuum aptum eſt ferri ſurſum, & plenum deorſum, itaut ambo ſint cauſæ cæteris corporibus ferrendi ſurſum, & deorſum, fruſtra fuiſſet illis quærere de corporibus compoſitis, cur hoc ſit leue, & illud graue, ſed quæſtio deberet eſſe de va-

Digitized by Google

cuo, & pleno, cur hoc ſit graue, & illud leue; ſiquidem ex definitione huius quæſtionis, eſſe pariter definitum, cur ignis, exempli gratia ſit leuis, & terra grauis, & quare ille feratur ſurſum, hæc verò deorſum; verùm cum neutrum fecerint Democritus, & Leucippus, vt videntur inſufficienter locuti, ita eorum poſitio non debuit ſubſiſtere.

In T. XVIII. arguit tertio ſi vacuum aptum eſt ferri ſurſum, & plenum deorſum, ſequerentur duo inconuenientia, alterum, quod non poſſent in compoſitionē venire in vno corpore, ſiquidem cum ſurſum, & deorſum ſint motus contrarij, à ſeinuicem maximè diſtare deberent per regulam contrariorum, atqui hoc eſſet contra illos, cum dicant reperiri in eodem vacuum, & plenum: alterum inconueniens, quod deberent aſſignare locum, ex quo, & in quem moueri contingeret, ſed hoc eſt etiam impoſſibile, quia loci daretur locus in infinitum, cùm ſecundum eos, vacuum eſt locus corpore non repletus. Sequela maioris probatur, quia omne, quod mouetur, exigit locum ſui motus, cùm tranſire debeat à termino à quo, ad terminum ad quem, inter quos mediat neceſſariò locus, ergo loci daretur locus vſque in infinitum, quod abhorret à natura.

In t. eodem arguit quarto contra eandem poſitionem, ad ea potiſſimum verba, quibus aſſerunt, vacuum, & plenum reperiri in eodem corpore graui, vel leui, nam ſi hoc eſſet verum, ſequeretur, nullum corpus tale poſſe moueri, neque ſurſum, neque deorſum; quandoquidem inquirendum eſſet, quod nam eſſet cauſa huiuſmodi motus, vacuum, an plenum? non poſſet dici vacuum ſolum, quia etiam plenum per eos mouetur, & non ſurſum, quò tendit vacuum; Neque ſolùm plenum, quia etiam vacuum mouetur, & non deorſum; neque ambo ſimul, quia idem ſimul, & ſemel nequit cieri motibus contrarijs, ergo dicendum eſt vacuum, & plenum non poſſe conſiſtere in eodem, ad effectum cauſandi in illo motum ſurſum, & deorſum.

In T. XIX. relicta hac opinione, aggreditur ſententiam illorum, qui diffiniebant graue, & leue per magnitudinem, & paruitatem materiæ; ſiquidem dicebant, graue eſſe id, cuius materia eſt magna, ſiue ſit vna, vt puta aer, vel aqua, vel ignis; ſiuè plures, vt quatuor Elementa: leue verò eſſe id, cuius materia eſt pauca, ſiuè ſit vna, ſiuè plures; & aliorum, qui diffiniebant graue per denſum, & leue per rarum. Contra has opiniones arguit, reducendo eas ad impoſſibile: Nam qui ponunt vnam materiam non poſſunt ſaluare graue, & leue ſimpliciter, ſicut nec Platonici potuerunt ponentes, omnia conſtitui ex triangulis, ſicut ex vna materia; verùm duntaxat in reſpectu, quia aliquid eſt maius, & minus reſpectu diuerſorum, igitur ſi graue dicitur, cuius materia vna eſt magna, & leue cuius materia vna parua exiſtit, erunt tantùm graue, & leue in reſpectu, & non ſimpliciter, quod eſt impoſſibile, quia hæc præſupponuntur ad illa. Deinde impugnat eos, qui diffiniebant graue, & leue per materias contrarias, vt per denſum, & rarum; quandoquidem nec iſti poſſunt reddere rationem, quare Elementa media, vt ſunt aer, & aqua, ſint in ſeinuicem grauiora, & leuiora, neque ſint talia igne, & terra, quæ ſimpliciter opponuntur ſecundum grauitatem, & leuitatem, ſiquidem æqualiter participant vtroque contrario, neque debet eſſe maior ratio de vno, quam de alio, ergo neque iſti bene determinauerunt de graui, & leui ex magnitudine, & paruitate, vel denſitate, & raritate materiæ, ſiuè vnius, ſiuè plurium rationum.

In T. XX. arguit contra eos, qui materias grauis, & leuis faciebant quatuor Elementa, quatenus tamen in vnam coibant naturam ratione actionis, ac paſsionis, quæ poſtea diſtinguebatur in leuem, & grauem per magnitudinem, & paruitatem; vnde ſic arguit, quia ſic diffinire grauia, & leuia, magis aſsimilatur figmento, quam alicui ex opinionibus præcedentibus, igitur ſicut illæ non poterant rectè diffinire graue, & leue, multò minus iſti facere poterunt. Antecedens probatur, quia velle reducere quatuor Elementa in vnam materiam, quæ poſtea diſtincta ſecundum magnitudinem, & paruitatem, faciat Elementa grauia, & leuia abinuicem differre, eſt magis fingere, quam quidpiam aliquo fundamento aſſerere; quandoquidem, cùm ignis, & aer excedant in magnitudine aquam, & terram, quæ ſunt Elementa

grauia ſecundum veritatem, forent leuia, & quæ leuia, ſecundum veritatem, ſecundum eorum poſitionem forent grauia, ſicque fingerent potius quæ dicunt, quam verum aliquo fundamento ponerent.

Laudat tamen hanc poſitionem in hoc, quod diſtinguerent quatuor Elementa adinuicem ſecundum maioritatem, & minoritatem, quod tamen facere non poſſent Platonici, ponentes vnam materiam ex ſuperficiebus, ſiue triangulis eiuſdem ſpeciei, quæ poſteà non poſſent facere Elementa grauia, & leuia diſtincta ſpecie, quomodo ſic diſtinguuntur.

In eodem t. denique arguit, ſicut prius, hanc eandem Platonicorum poſitionem, aſſerentium omnia grauia, & leuia conſtare vna materia, ex triangulis, & ſuperficiebus compoſita, quia ſic iſti conantur fateri, neque eſſe aliquid ſimpliciter graue, vel leue, neque aliquid ſimpliciter ferri ſurſum, vel deorſum ſed egere violentia ad vtrumque motum, atqui hoc eſſet valdè abſurdum, quia tolleretur de medio motus naturalis grauium, & leuium, ergo &c. Sequella maioris ſuadetur, tùm quia idem reſpectu diuerſorum eſſet graue, & leue, ergo neutrum eſſet ſimpliciter graue, vel leue. Antecedens probatur, quia graue, & leue differunt ſpecie, ſed talis materia, cum eſſet compoſita ex ſuperficiebus, & triangulis eiuſdem ſpeciei, non faceret diuerſa ſpecie, ergo idem reſpectu diuerſorum ſecundum illos eſſet ſimpliciter graue, & leue tum etiam, quia qua ratione moueretur ſurſum, ea ratione moueretur deorſum, igitur vt determinetur ad motum ſurſum, vel deorſum neceſſaria erit aliqua violentia, ſicque motus ſurſum, & deorſum, non erunt motus naturales, quod eſſet contra experientiam. Deindè ſi ſumatur differentia ex parte magnitudinis, vel paruitatis, ſequitur multum aerem, vel ignem eſſe grauiorem pauca aqua, vel terra, ſed hoc eſt contra experientiam, quia aer, vel ignis ſemper fertur ſurſum, & aqua deorſum, ergo concludendum eſt graue non poſſe diffiniri magnitudine, neque leue paruitate materiæ, vt ſatis abundè improbatum fuit.

De Graui, & Leui ſimpliciter, & in reſpectu.

SVMMA II. CAPVT VNICVM.

DEterminato de Greui, & Leui ſecundum opiniones Antiquorum, nunc incipit determinare de eiſdem ſecundum propriam ſententiam, & in T. XXI. præmittit agenda duo, quorum primum eſt, cur corporum naturalium, aliqua feruntur ſemper ſurſum, & alia ſemper deorſum; alia verò cur interdum ſurſum, *interdum* verò deorſum ferantur in reſpectu ad ſurſum, & deorſum ſimpliciter: Secundum quod proponit deliberandum eſt de graui, & leui, quoad eorum diffinitiones, & accidentia, quæ illi inſunt.

Quoad primum in T. XXII. ſoluit priorem dubitationem declarando, quod ſit vnumquodque mobile ferri in ſuum proprium locum dicens, *nil aliud eſſe*, quam in eius ſpeciem ferri, ſiquidem *ſpecies acquiſibilis* per motum localem, non eſt niſi vbi, quod eſt locus formaliter, ergo vnumquodque mobile ferri in proprium locum ſuum, eſt in eius ſpeciem ferri. Antecedens declaratur per ſimilitudinem, quam habet motus localis cum cæteris motibus, nẽpe augmentationis, aut diminutionis, qui eſt ad quantitatem, & alterationis, qui eſt ad qualitatẽ: Nam quemadmodum quilibet horum motuum fit de contrario in contrarium, hoc eſt de termino à quo in terminum ad quẽ, & non in quemuis terminum indifferẽter, verum in illum tantum, ad quem mobile inclinatur, ſic non quodlibet motiuum eſt cuiuſuis motiuum, ſed ſicut alterabile, & augmentabile ſunt mobilia diuerſa, ita alteratiuum eſt diuerſum ab augmentatiuo; calefactibile enim à frigefactiuo non calefit, neque ſanabile ab ægrefactiuo ſanatur, verum illud à calefactiuo tantum, & hoc à ſanatiuo duntaxat eodem modo philoſophandum eſt de motu, & motiuo, ac mobili ſecundum locum, quandoquidem non quodlibet motiuum mouet, ſiue eſt ratio mouendi quodlibet mobile, neque ad quemcumque locum indifferenter, verum duntaxat ad proprium, ad quem mobile habet inclinationem, ergo quemadmodum non omnia corpora augentur, vel

Digitized by Google

vel alterantur, ſed quædam alterantur, & creſcunt, vt viuentia, quædam verò minimè, vt corpora cæleſtia, ita non omnia corpora ad motum ſurſum, & deorſum apta ſunt, ſed certa, ac determinata, vt leuia; quæ ſunt inclinata ad locum ſurſum, & grauia ad locum deorſum, ſimiliter neque à quouis motiuo cieri queunt, verum ab eis tantum, quæ faciunt grauitatem, & leuitatem in illis.

Ex his infert, quod tendere ad proprium locum nil aliud eſt, quàm tendere in ſuam formam ad quam inclinatur, & à qua perfectionem accipit, ſiquidem dùm grauia deorſum, & leuia ſurſum feruntur, perficiuntur ab illis locis, vt à proprijs formis, ad quas, priuſquam mouerentur, inclinabantur, & in hoc ſenſu intelligendum eſt illud dictum quorundam Philoſophorum, nempè quod ſimile ſemper ad ſimile deducitur, vnde fit, quod ſicut ignis exiſtens ſurſum perficitur ab eo loco, ſic quilibet ignis in his inferioribus detentus, dùm aſcendere ſurſum poteſt, pergit naturaliter ad ſuum ſimile, vt perficiatur, non ab igne, cui vnitur, ſed ab illo loco, ad quem ignis totalis inclinabatur, vt perfectibile ad ſuum perfectiuum.

In T. XXIII. proſequitur expendere, quomodo ferri in proprium locum, ſit tendere ad ſuam perfectionem, ſiquidem locus continens rem locatam habet rationem finis, & hic habet rationem actus, & perfectionis, ergo tendere ad proprium locum, eſt tendere ad ſuam perfectionem. Deinde quia tendere ad ſuum perfectiuum eſt tendere ad ſuum ſimile, ergo corpora, quæ ſub continente ſunt locata, cum ſint inuicem ſimilia, ſuperius erit locus, & perfectiuum inferioris. Antecedens patet ex approbatis ab Ariſtotele ex dictis Philoſophorum. Conſequentia tenet, quia aqua eſt ſimilis aeri in humiditate, aer ſimilis ignis in caliditate, ergo ignis erit locus perfectiuus aeris; & aer erit locus perfectiuus aquæ, & aqua terræ, quia conueniunt in frigiditate: Cæterùm, quia ignis, & aqua, aer, & terra in nullo aſſimilantur, nec aqua immediatè continetur ſub igne, nec terra ſub aere, propterea nec ignis erit locus perfectiuus aquæ nec aer terræ.

In T. XXIV. reſpondet ad vnum quæſitum dicens: quod ſi quæratur, cur ignis feratur ſurſum, & terra deorſum, dicendum eſt, hoc ideò accidere, quia illorum natura ſic expoſcit: & probat à ſimili, nam ita ignis mouetur ſurſum, & terra deorſum, ſicut ſanabile mutatur ad ſanitatem, & augmentabile ad auctionem, ac alterabile ad alterationem, ſed hæc mobilia, ideo mutantur ad tales formas, & non ad alias, quia eorum naturæ inclinantur ad illas, vt perfectionem ſumant ab eis, ergo, & ignis ſurſum, & terra deorſum feruntur, quia inclinantur ad huiuſmodi loca, vt ad proprias formas, à quibus ſuam perfectionem accipiunt.

In eodem t. tamen ponit differentiam inter motus grauium, & leuium, ac cæterorum mobilium, ſiquidem grauia, & leuia habent in ſeipſis principium ſuorum motuum, vel ſurſum, vel deorſum, nimirùm à proprijs formis intrinſecis; at ſanabile, augmentabile, & alterabile nequeunt moueri ad ſanitatem, auctionem, & alterationem niſi accedant motiua externa, vt medicus, medicina &c. reſpectu ſanitatis, alimentum reſpectu auctionis, & calidum, vel frigidum reſpectu alterationis. Et licet interdùm hæc mobilia abſque motore extrinſeco, vt ſanabile abſque medico, vel medicina, & accreſcibile abſque alimento, perficiant proprios motus, & ſanitatem, & auctionem acquirant; non propterea dicendum eſt, ſimpliciter à ſeipſis moueri, cùm nihilominus aliquali principio extrinſeco, quamuis paruo, & fere inſenſibili, indigeant; & grauia, & leuia à ſeipſis penitùs feruntur in propria loca; & rationem reddit, inquiens quia eorum materia, ideſt grauitas, & leuitas, eſt propinquiſſima eorundem ſubſtantiæ, hoc eſt formæ ſubſtantiali, qua mouentur in propria loca. Quod autem hoc ſit verum aliam rationem ſubdit, quia motus localis eſt de numero abſolutorum, ideſt perfectorum, quia mobile localiter habet in ſe omnia neceſſaria ad motum huiuſmodi obeundum, ad differentiam aliorum motuum, & mobilium, quæ vt in proprios motus proſiliant, egent motore extrin-

ſeco,

ſeco, vt ſupradictum eſt. Vnde infert, quod iſte motus ſit perfectior cæteris, cùm ſit vltimus in generatione, ſiquidem vltimum in generatione eſt prius perfectione.

In T. XXV. videtur complere ſermonem de motu grauium, & leuium, ad quem non concurrit, vt fiat, aliquod principium extrinſecum, vt accidit in cæteris motibus, verùm ſtatim ac poſita ſunt in eſſe a generante à ſeipſis abſolute feruntur in propria loca, niſi ab aliquo impediente fuerint detenta, ideò inquit, cum aer fit ex aqua, & ex graui leue, in ſuperiorem locum venit, in quem tendit leue, ibique quieſcit, & non vlterius fit, ſed manet iam factum illic. Probatque hanc ſuppoſitionem in omni motu dicens. Manifeſtum eſt itaque, quod exiſtens in potentia vt ſit ens, in actum veniens, proficiſcitur illuc, ideſt naturaliter venit ad actum, ſiue ſit in potentia ad quantitatem, ſiue ad qualitatem, ſiue ad vbi, & ad tantum, & ad tale veniet, vbi eſt actus vel tantis vel talis, vel vbi. Hinc infert, quod cùm terra, & ignis exiſtant, ſi non impediantur, naturaliter feruntur in propria loca, quod oſtendit à ſimili, quemadmodum enim ſanabile, & accreſcibile, ſi non ſint impedita ab aliquo prohibente, confeſtim mouentur ad acquiſitionem proprij termini, ita quoque Elementa, & grauia, & leuia, niſi detineantur, mouebuntur naturaliter ad acquiſitionem proprij loci, in quo quieſcere debent, ſicut fatetur ſe dixiſſe in primis ſermonibus, hoc eſt in lib. 8. Phyſicorum, in quibus, inquit, determinauit, quod nihil horum ſeipſum mouet. Ex his verbis deducunt nonnulli expoſitores, mentem Ariſtotelis fuiſſe, quod grauia, & leuia non moueantur à ſeipſis, ſed à motore extrinſeco, nempè à ſuis progenitoribus at non benæ alioquin ſibi contradiceret, cùm aperte oppoſitum dixerit in t. 24. ponendo differentiam inter motum localem grauium, & leuium, & cæteros motus augmentationis, & alterationis. Neque iſta verba, à quibus mouentur Aduerſarij, vrgent, ſiquidem intelligenda ſunt de motu grauium, & leuium quoad actum primum, cum fiunt actu grauia, & leuia, non quò ad actum ſecundum, quando nimirum poſita in eſſe à ſuis progenitoribus, feruntur in propria loca, quia ſic à ſeipſis cientur, & non ab aliquo extrinſeco, vt latè oſtendimus in lib. 8. Phyſicorum diſp. 2. q. 1. ex Ariſtotele pluribus in locis.

De Graui, & Leui quoad eorum diffinitiones, & quibus corporibus inſint, cum ſuis accidentibus.

SVMMA III.

Hæc tertia & vltima Summa diuiditur in ſeptem Capita. In quorum primo deffiniuntur grauia, & leuia, tùm ſimpliciter, tùm in reſpectu. In ſecundo examinatur cauſa, quare aliqua miſta ſint leuiora, & grauiora in aliquo loco, & in alio minimè. In tertio expendit quæ ſint corpora ſimpliciter grauia, & leuia. In quarto determinatur numerus corporum Grauium, & leuium cùm ſimpliciter, tùm in reſpectu. In quinto oſtendit omnia Elementa grauitare in ſuis locis, præter ignem. In ſexto enumerat differentias Elementorum. In ſeptimo de cauſis illorum motus.

Quoad primum Caput, quoniam in t. 21. duo propoſuerat examinanda Alterum cur aliqua corpora naturalia ferantur ſemper ſurſum, & alia ſemper deorſum hoc eſt dictu, cur aliqua ſint leuia, & alia grauia Alterum verò, quid ſit graue, & leue ſimpliciter, & horum differentiæ, cùm eſſentiales, tum accidentales. Cùm igitur primum præſtiterit in præcedenti Summa, ſuper eſt vt ſecundo ſatisfaciat in præſenti: Vnde in T. XXVI. incipit à definitione grauium, & leuium ſimpliciter cùm inquit eſt igitur graue ſimpliciter illud, quod omnibus ſubſidet, hoc eſt, quod eſt ferri, & manere ſub omnibus corporibus aptum natum in centro Vniuerſi, huiuſmodi eſt terra, & omnia terrea. Eſt autem leue ſimpliciter, quod omnibus ſupereminet, hoc eſt, illud omne, quod aptum natum eſt ferri, & manere ſuper omnia corpora in extremo ſurſum, ideſt in concauo Orbis Lunæ poſito. Deinde ſubdit huiuſmodi definitiones eſſe datas de graui, & leui in genere, adeoquod omnia illa ſint ſimpliciter grauia, quæ nata ſunt omnibus ſubeſſe, cuiuſuis magnitudinis exiſtant, vt ſunt tota terra & partes eius, & omnia terrea, ac

Digitized by Google

ipſorum partes. Et illa ſunt ſimpliciter leuia, quæ nata ſunt ſuper eminere omnibus, quæ aliquam grauitatem admiſtam leuitati habent, & ſic ignis, & quælibet eius particula, ſimiliter ignea, ac ipſorum partes ſunt ſimpliciter leuia, quia nata ſunt omnibus ſupereſſe ſi non prohibeantur.

In T. XXVII. expendit quid ſit graue, & leue in reſpectu dicens eſſe illa, quorum alterum ſupereminet, & alterum ſubſtat cæteris ſi ad illa comparentur, vt ſunt aqua, & aer: nàm ſi comparentur ad terram, ambo leuiora ſunt illa, quia non ſolùm illa ſecundum ſe tota, verùm etiam quæuis eorum particula ſuperminet ipſi. Si verò ignem reſpiciant, grauiora ſunt eodem, cum ambo ſubſtent ipſi, ſicut quælibet eorum particula. Ex quibus infertur, quod nec aqua, nec aer poſſunt dici ſimpliciter leuis, vel grauis, verùm tantum in reſpectu ad extrema comparati vtrumque. Cæterum ſi adinuicem comparentur, vnum graue eſt, vt aqua, quia ſubſtat aeri, alterum verò leue, quia ſupereminet aquæ.

Quoad ſecundum Caput, in quo oſtendit cauſam, ob quam corpora miſta ſe excedant in grauitate, & leuitate, in T. XXVIII. dicit, hoc prouenire à differentijs ſimplicium, ex quibus componuntur; nàm quia Elementa ſunt alia grauia, & alia leuia vt terra, & ignis, ſimiliter alia grauiora, & alia leuiora ad priora comparata, vt dictum eſt in præcedenti capite, ita dicendum eſt de compoſitis, ſecundum maiorem, vel minorem de illis participationem. Ex hoc infert, quod omiſſa differentia, quam præſeferunt miſta ad ſe inuicem, ſufficit pertractare de accidentibus ſimplicium, ſiquidem hæc ſequuntur illorum accidentium differentiam, & hunc ordinem debuerunt tenere Democritus, & Leucippus, cùm dixerint corpora eſſe grauia ob plenum, & leuia propter vacuum, ſiquidem pertractare debebant ſolùm de accidentibus vacui, & pleni, quia ſic habuiſſent ſufficientem notitiam corporum grauium, & leuium.

In T. XXIX. mouet dubium cur aliqua corpora ſint leuiora, & grauiora, ſi in varijs locis extiterint, cùm tamen omnia ſumant grauitatem, & leuitatem à prædominio Elementorum, lignum enim Talantinum, exiſtens in regione aeris, eſt grauius plumbo Mantantino, cùm illud citiùs deſcendat, quàm iſtud. Vt huic dubio ſatisfaciat, ſupponit duo. Alterum quod omnia Elementa in ſuis regionibus habent grauitatem præter ignem. Alterùm verò, quod omnia Elementa in ſuis regionibus habent leuitatem præter terram. Ex quibus infert tria corollaria primum, quod terra, & ea quæ plurimum participant de ipſa, vbique grauitatem habent, cùm illam habeant etiam in cæteris Elementis ſecundum, quod aqua vbique grauitatem habet præter quam in terra, in qua leuitatem habet Tertium, quod aer vbique habet grauitatem, præterquàm in aqua, & terra, in quibus leuitatem habet.

In T. XXX. declarat, ac oſtendit primum ſuppoſitum à ſigno de aere, de quo videtur maior dubitatio poſitis namque duobus vtribus in regione aeris, quorum alter ſit vacuus, & alter inflatus aere certùm eſt, quod iſte citius deſcendet, quàm ille, ergo ſignum eſt, quod aer etiam in propria regione grauitat, alioquin vter inflatus aere, non citiùs vacuo, ſed æqua velocitate ſimul cum illo deſcenderet.

Ex his in eodem textu ſoluit dubium de ligno Talantino, ac plumbo Mantantino dicens, illud quidem citiùs deſcendere, quàm iſtud, quia cùm lignum habeat plus aeris in poris, quàm plumbum, & aer grauitet etiam in propria regione, conſequenter illud erit iſto grauius, igitur ſi ambo exiſtant in regione aeris, lignum citiùs deſcendet, quàm plumbum.

Quoad tertium Caput, in quo denuò ſuadet dari in rerum natura corpora ſimpliciter grauia, & ſimpliciter leuia, in T. XXXI. iterùm diffinit graue, & leue ſimpliciter dicens: Dico autem ſimpliciter leue, quod ſemper ſurſum, & graue, quod ſemper deorſum natum eſt ferri non prohibitum: talia autem ſunt aliqua, & non omnia, quæ grauitatem, & leuitatem habent, cuiuſmodi ſunt ignis, & terra duntaxat.

In T. XXXII. expendit diffinitionem vtriuſque, nempe grauis, & leuis, & primò auctoritate Antiquorum aſſerentium, graue eſſe illud, quod ſemper fertur ad medium, & leue, quod ſemper fertur ad extremum, ergo vtraque diffinitio eſt data etiam de conſenſu communi Antiquorum.

Secun.

Digitized by Google

Secundò probat illas argumento ſumpto à ſenſibus, quia videmus terrea quædam corpora ſubeſſe, & cæteris corporibus; ideſt aquæ aeri, & igni ſubſtare, ac ferri ad medium determinatum, & non infinitum, vt putabant nonnulli rudes, ergo datur graue ſimpliciter, & eſt illud, quod ſemper deorſum natum eſt ferri. Tertiò à ſimili etiam de leui ſimpliciter; nam quod omnibus ſupereminet, & fertur ſurſum eſt leue ſimpliciter, ſed datur ignis, qui omnibus ſupereminet, ferturque ad extremum determinatum, igitur datur leue ſimpliciter, & illud, quod ſemper ſurſum natum eſt ferri. Minor probatur, quia ſi ignis non omnibus ſupereminenet, & ſuperferetur omnibus corporibus ad extremum, igitur daretur aliud corpus, cui ſubeſſet, & quod ſuperferretur ad extremum, atqui nullum tale videtur exiſtere, ergo dicendum eſt ignem omnibus ſupereminere, & ſimpliciter ad extremum ſuperferri.

Hinc in eodem textu colligit, ignem omnis grauitatis expertem eſſe, & terram omni leuitate carere, alioquin ignis alicui ſubeſſet corpori, & terra alicui pariter emineret, quod etiam ſenſibus repugnare videtur.

In T.XXXIII. probat graue ſimpliciter ferri ad medium determinatum, & non infinitum, quia medium Vniuerſi eſt medium grauis ſed medium Vniuerſi eſt finitum, & determinatum, ergo graue ſimpliciter fertur ad medium determinatum, ac finitum. Minor probatur dupliciter, tùm quia impoſſibile eſt aliquod corpus tendere ad id, quod non eſt, & impoſſibile eſt exiſtere, ſed infinitum dari in natura impoſſibile eſt, vt aliàs ſæpiùs probatum eſt, ergo &c. Maior patet, quia generatio nequit eſſe, aut fieri ad id, quod eſt impoſſibile fieri, ſed latio ſeù motus localis generatio quædam eſt, cùm per eam ponatur aliquid motum in loco, in quo non erat motum, ergo impoſſibile eſt aliquod corpus tendere ad id, quod non eſt, & impoſſibile eſt exiſtere, tùm etiam, quia ita ſe habere debet graue ad medium deorſum, ſicut leue ad extremum ſurſum, ſed ignis, qui eſt leuis, petens ſurſum deſcribit ſibi in extremo angulos determinatos, ergo & terra, quæ eſt grauis, deſcendens ad medium, debet ſibi deſcribere ſimiles angulos in medio determinatos, ac proinde patet medium vniuerſi eſſe finitum, ac determinatum. An autem idem ſit medium vniuerſi, ac grauitatis aliàs dicendum erit.

Quoad quartum Caput, in quo nititur oſtendere cauſam, quare dari debeant graue, & leue ſimpliciter, ac etiam in comparatione, in T.XXXIV. ponit hanc concluſionem, quod grauia, & leuia ſimpliciter ſunt tantum duo, quam comprobat, quia duo tantum ſunt loca, ad quæ feruntur grauia, & leuia, nempè medium vniuerſi, & extremum, ſitum in concauo Cœli, ergo & grauia, & leuia ſimpliciter erunt tantum duo. Conſequentia tenet, quia grauia ſimpliciter ad medium vniuerſi, & leuia ſimpliciter ad extremum duntaxat feruntur. Antecedens patet per regulam contrariorum, quæ ſunt tantum duo, at medium, & extremum ſunt contraria, ergo loca, ad quæ mouentur grauia, & leuia ſimpliciter erunt tantum duo.

Deinde in eodem ſtatuit aliam concluſionem, nempè quod grauia, & leuia in reſpectu ſunt etiam duo, & probat illam, quia inter extrema contraria, quæ maxime diſtant, neceſſe eſt dari medium, quod participet de extremis, ſed leue ſimpliciter & graue ſimpliter ſunt extrema contraria, maximeque diſtantia, quia leue eſt expers cuiuſcumque grauitatis, & graue cuiuſcumque leuitatis, ergo debent dari graue, & leue intermedia, quæ de huiuſmodi extremis participent, qualia ſunt aer, & aqua.

In T.XXXV. ponit ordinem quendam inter Elementa, nàm cùm ſe habeant tamquam continentia, & contenta, habent pariter rationem formæ, & materiæ; ſiquidem continere eſt formæ, & contineri materiæ, quare infert, quod cùm ſuperiora contineant inferiora, illa habent rationem formæ, iſta verò materiæ, & quia forma eſt perfectior materia, conſequenter infert ſuperiora eſſe perfectiora inferioribus.

Ex his infert, quod cùm inquolibet Elemento in ordine ad aliud reperiatur potentia, & actus, in eodem reperiri debet materia, & forma; nàm cùm graue eſt in potentia ad eſſe leue, tunc graue dicitur eſſe materia leuis, & hoc forma grauis; & econuerſo quatenus leue eſt in potentia, vt fiat

raue,

graue, tunc leue eſt materia grauis, & hoc forma leuis, & ſic eadem materia; diuerſimodè conſiderata, eſt materia grauis, & leuis, ſicut ægrotabile, & ſanabile idem quidem ſunt ſubiecto, licet alia ratione differant, quatenus ſubiectum per vnam rationem tendit ad ſanitatem, & per aliam ad ægritudinem.

In T.XXXVI. Ex his concludit differentiam inter Elementa grauia, & leuia ſimpliciter dicens; quod enim talem habet materiam, diſpoſitam per caliditatem, & ſiccitatem, eſt corpus ſimpliciter leue, quod verò contrariam affectionem habet in materia, diſponentem ad grauitatem, eſt corpus ſimpliciter graue; illud altiſſimum locum tenet, & dicitur ignis; iſtud verò infimum & vocatur terra. Quæ autem medio modò ſe habent, vt ſunt aqua & aer, habent materiam diſpoſitam ad grauitatem, & leuitatem, vt comparantur ad extrema ſcilicet ad terram, & ignem,& hæc dicuntur grauia, & leuia in reſpectu, non verò abſolutè, & ſimpliciter.

In T.XXXVII. Hinc colligit quaternarium numerum Elementorum hoc modo. Nam ſi dantur duo Elementa, quorum vnum eminet omnibus, & alterum ſubſidet omnibus, cùm hæc ſint contraria, de neceſsitate danda ſunt alia duo intermedia, quæ illorum naturam participent, itaquod vnum comparatum cum eo, quod omnibus eminet, cum illo pariter emineat, & alterum collatum cum illo, quod cæteris ſubſidet, & ipſum quoque ſuperioribus ſubſidat, & ſubſtet.

Ex his enumerat totidem materias ſuis affectionibus diſpoſitas, quibus differre videntur Elementa, vt ordinantur ad compoſitionem miſtorum, quandoquidem materia ignis eſt calida, & ſicca, terræ ſicca, & frigida, aquæ frigida, & humida, & aeris humida, & calida. Deinde materia ignis diſponit ipſum ad ſummam leuitatem, terræ ad ſummam grauitatem, aeris in comparatione ad materiam ignis ad grauitatem ad ſummam, & comparata ad materiam terræ ad leuitatem non ſummam; aquæ verò collata cum materia terræ ad leuitatem, & cum materia aeris ad grauitatem non ſummas pariter diſponit. Dicitur notanter eſſe quatuor materias in ordine ad generationem miſtorum, quia ſi conſiderentur Elementa, vt in ſe inuicem generantur, & corrumpuntur datur tantum vna materia prima in qua fiunt generationes, & corruptiones, vt accidit in cæteris corporibus, cùm omnia conſtent ex materia, & forma.

In T.XXXVIII. arguit contra numerũ quaternarium Elementorum, quandoquidem inter extrema contraria ſufficit vnum medium, quia vni vnum tantum eſt contrarium, ſed ignis, & terra ſunt duo extrema contraria, ergo ſufficiet, vel aqua, vel aer vt Elementum medium, & ſic non erunt neceſſaria duo intermedia. Reſpondetur nihil prohibere quominus inter duo extrema contraria poſſint eſſe plura media contraria, cùm hæc non ſint contraria ſecundum ſe, ſed tantùm ratione extremorum à quibus recedunt, vel eis approximantur; dat exemplum de coloribus medijs, nempe violaceo, friſco, viridi, & ſimilibus, qui cùm medient inter album, & nigrum, dicuntur contrarij, quatenus magis, vel minus accedunt, vel recedunt ab eis; ita etiam dicendum eſt de Elementis medijs, nimirum aqua, & aere, quod in eis non ſit propriè contrarietas, verùm duntaxat ratione extremorum, idest terræ, & ignis, à quibus recedunt, vel accedunt per grauitatem, & leuitatem, quas participant. Neque valet dicere, vni vnum tantum, eſſe contrarium, quia tale axioma verificatur duntaxat de contrarijs ſtrictè ſumptis, de quibus loquitur Ariſtoteles in definitione contrariorum lib. 5. Metaphyſ. ca. 10. t. 16. non autẽ de cõtrarijs late acceptis, de quibus in propoſito.

Quoad quintum Caput, in quo oſtendit omnia Elementa habere grauitatem in ſuis regionibus, præter ignem ſtatuit in T. XXXIX. hanc concluſionem, quod licet Elementa media habeant grauitatem, & leuitatem in proprijs locis, nihilominus in eiſdem non leuitant, ſed bene grauitant. Probat primum hanc vltimam particulam à ſigno, quia cum aqua ſit contigua terræ, & aer aquæ, ſi aquæ ſubtracta fuerit terra, deſcendet aqua in regionem terræ, & ſimiliter aer, ſi ſubtrahatur aqua, deſcẽdet in eius ragionẽ, ſiquidẽ ambo habent grauitatẽ, qua deorsũ deſcendent, niſi prohibeantur, ergo aqua, & aer grauitãt in ſuis proprijs regionibus. Secũda pars probatur quod nõ leuitent in ſuis locis, quandoquidẽ ſi auferatur

Digitized by Google

aer à ſuperficie aquæ, & ignis a ſuperficie aeris neque aquam regionem aeris, neque aer in regionem ignis aſcendent, niſi violenter, vel ad euitandum vacuum, quia tunc traherentur ab agenti ſuperiori vniuerſali, in cuius virtute, ſeù potentia obedientiali continentur, & quoniam, ſuperficies inferioris eſt contigua ſuperficiei ſuperioris. Terra autem hoc non patitur, vt violenter trahi poſſit in regionem aeris, ſicut aqua, ſiquidem ſuperficies terræ non eſt contigua ſuperficiei aeris, vt ſuperficies aquæ, quod probat à ſigno, quia ſi ponatur terra in vaſi ignito, & aqua in alio vaſe ignito, terra nequibit trahi ſurſum in ſuperiorem regionem aeris, ſicut aqua, ergo ratio erit diſiunctio, & coniunctio ſuperficierum cum ſuperficie aeris. Ex his infert, quod duo Elementa media in proprijs: locis naturaliter grauitate poſſint, ſi ſubtrahantur inferiora, at extrema neque grauitant, neque leuitant, ratio vtrorumque eſt, quia Elementa media, vt ſunt aer, & aqua, in proprijs locis habent grauitatem, extrema verò nequaquam, quia ignis eſt expers grauitatis, ſicut terra leuitatis, vbicumque reperiri contingat.

Quoad ſextum Caput, in quo determinatur dari quatuor Elementorum differentias non autem vnam, vel duas, vt dicebant Antiqui, & in T.XL. arguit contra illos, qui dicebant omnia Elementa conſtare ex vna materia; nàm ſi ſic eſſet, vel talis eſſet vacuum, vel plenum, aut magnitudo, vel triangula, tunc ſequeretur omnia Elementa moueri, aut tantum ſurſum, aut ſolùm deorſum, quia vacuum, paruitas, & triangula cauſant leuitatem, & facerent omnia Elementa leuia, ac proinde ſurſum tenderent; plenum verò, & magnitudo cauſant grauitatem, & facerent omnia grauia, & ſic tenderent deorſum, atqui hoc eſſet valde abſurdum, quia tolleretur altera latio, nempe ſurſum, vel deorſum, quod repugnat ſenſibus, ergo concludendum eſt non eſſe tantum vnam omnium Elementorum materiam. Deinde ſequerentur duo alia abſurda, alterum quod aqua, vel aere, qui ſunt Elementa leuiora terra, citiùs, & velocius deſcenderent, quàm terra, alterum verò quod multa terra eſſet leuior pauco aere, atqui ambo repugnant ſenſibus, ergo omnium Elementorum nequit eſſe vna materia. Probatur primum abſurdum debere ſequi, ſiquidem in multa aqua, vel aere plures trianguli, aut plura ſolida, ſeù plena poſſent reperiri, & minus vacui, quàm in parua terra, ergo tàm aqua, quàm aer erunt grauiores terra ac proindè citiùs, & velociùs deſcenderent, quàm terra, quod tamen eſt falſum; quia nulla particula aeris videtur ferri deorſum. Probat ſecundum abſurdum, quia in multa terra plus vacui reperiri poteſt, quàm in pauco, ſiuè pauco aere, ſed vacuum eſt cauſa leuitatis, ergo multa materia vacui in multa terra faciet ipſam leuiorem pauco aere, ac proinde illa citiùs aſcenderet, quàm iſti, quod pariter eſt falſum, quia nulla particula terræ videtur aſcendere.

Concludendum eſt igitur nullam vnam materiam poſſe eſſe omnium Elementorum, quæcumque ſit illa ex aſſertis ab Antiquis.

In T.XLI. refellit opinionem eorum, qui aſſerebant omnium Elementorum eſſe duas materias, nempe vacuum, & plenum, reducendo illos ad concedendum, quod Elementa media, ideſt aer, & aqua, non mouerentur, vt modo faciunt, hoc eſt, aqua deorſum, & aer ſurſum, & antequam arguat, ſupponit duo, nempe quod ignis ſit vacuum, quia ſurſum mouetur, & terra ſit plenum, eoquod deorſum cietur. His ſuppoſitis ſic arguit, ſit magna copia aquæ, quæ plus ignis; ideſt vacui habebit, quàm paruus aer, & ſit magna copia aeris, quæ plus terræ hoc eſt pleni habebit, quàm parua aqua, ergo magnus aer velocius mouebitur deorſum, quam parua aqua, & magna aque velocius ſurſum ciebitur, quam paruus aer. Conſequentia tenet, quia magnus aer eſſet grauior parua aqua, quia haberet plus pleni, & magna aqua, quia haberet plus vacui, quàm paruus aer, eſſet illo leuior, ergo magnus aer deorſum, & magna aqua ſurſum mouerentur, quod non faciunt modo.

Ex his concludit, quatuor eſſe materias, ſicut ſunt quatuor Elementa, & vnicuique propriam, & non vnam, vel duas tantum, etiam in illorum ſententia. Ratio autem eſt omnium, quia ſi ignis fertur ſurſum, eſt quia habet vacuum tamquam materiam ſibi propriam. Si terra deorſum eſt, quia habet plenum pro ſua materia. Si aer

ſuper

Digitized by Google

nus pleni pro materia ſibi propria. Si denique aqua magis deorſum, quam ſurſum ſub aere cietur eſt, quia habet magis de pleno, quàm de vacuo, pro materia ſibi propria. Non vna igitur, aut duæ, ſed quatuor erunt differentiæ Elementorum, cùm quatuor ſint materiæ inducentes illa ad proprios motus.

Quoad ſeptimum & vltimum caput, in quo oſtendit, quid conferant figuræ Elementis, in T.XLII. ſtatuit hanc Concluſionem, quod figuræ non ſunt cauſæ ſimpliciter motuum in Elementis, licet conferre poſſint quidquam ad celeritatem, aut tarditatem illorum motuum. Vt autem clariùs hoc oſtendere poſſit, mouet duas dubitationes, quibus reſpondet prius de mente aliorum, & poſtea ſoluit ex propria ſententia.

Prima igitur dubitatio eſt. Cur lata ferramenta & plumbea innatant ſuper aquam alia autem minora, & minus grauia, ſi rotunda ſint vt pila ferrea, vel longa vt acus deorſum ferantur.

Secunda dubitatio eſt. Cur aliqua minutiſſima auri ramenta, vel terræ, arenulæ aut puluerulenta quædam volitent per aerem, licet ſint naturæ grauis?

Reſpondet ad vtramque ex Democrito, ideò accidere huiuſmodi corporibus latæ figuræ, quia ex aqua aſcendunt vapores calidi, qui eis ſuppoſiti in aquæ ſuperficiæ ſuſtentant, ne inferius decidant: at ea, quæ ſunt alterius figuræ quia ob paruitatem partium nequeunt opponi ipſis vaporibus calidis, nec ab eis ſuſtentari. propterea deorſum penetrant, & demerguntur.

In T.XLIII. reijcit hanc reſponſionem dicens: Si hæc ratio valeret, eadem corpora lata potiùs natarent in aere, cùm ab ipſo plures exhalationis quàm ab aqua, vi ſolis trahantur, cuius oppoſitum tamen experimur. Reſpondet Democritus negando conſequentiam, ſiquidem vapores ab aere tracti, cùm per aerem diſpergantur deperdunt impetum, qua de cauſa non ſunt ita validi, vt poſſint ſuſtentare in aere huiuſmodi corpora ferrea lata, vt faciunt, qui ab aqua aſcendunt, cùm non habeant, vnde diſpergantur, & debilitentur. Verùm neque iſta ratio quicquam valet, replicat

aqua extrahuntur, immò validiores, & fortiores, ſubdit Aueroes, quia in aere ſeruant maiorem continuitatem, quàm in aqua, cùm inibi inueniant minorem reſiſtentiam in aſſenſu, quàm in aqua; aer enim eſt rarior aqua.

In T.XLIV. reiecta Democriti reſponſione, quia mollis, ac debilis, ſoluit dubitationes de mente propria, præmittendo duas diuiſiones continuorum. Prima quatum eſt, continuorum, alia facile, alia difficile diuidi poſſunt. Prioris generis, ſunt, quæ facilè terminantur alieno termino, vt ſunt aer, & aqua, hæc in facile diuidi poſſunt, & aer magis facile, quàm aqua. Poſterioris generis ſunt terra, & terrea, ſicca, & dura, quæque alieno termino difficile terminari poſſunt. Secunda diuiſio Continuorum corporum, quæ diuiſiua ſunt, alia magis diuiſiua ſunt, vt acuta, & rotunda, alia minus diuiſiua ſunt, vt lata, expanſa.

In T.XLV. His ſuppoſitis ſoluit priorem dubitationem dicens, ideò corpora latæ figuræ, quàmuis grauia innatant aquæ, non autem alia grauia rotundæ, oblongæ, aut acutæ figuræ, quia illa ſunt minus diuiſiua, & magis comprehendunt ſub ſe de aqua, vnde non ita facile diſrumpitur, hæc verò, quia figuræ rotundæ, & acuta ſunt magis diuiſiua, & minùs comprehendunt ſub ſe de aqua, propterea facilius illam penetrant, & deſcendunt, & in aere multo magis hæc euenient, quàm in aqua, quia facilius eſt diuiſibilis, quàm ipſa. Vlteriùs pro clariori ſolutione huius, & ſimilium problematum, obſeruandum eſt, quod ſicut grauitas confert ad deſcenſum in diuiſione aquæ, vel aeris, ita figura reſiſtitiuam virtutem, vt non tàm facile diſtrahantur quamobrem vtraque comparationem habere debet ſi enim virtus grauitatis excedat eam, quæ eſt in continuo ad reſiſtendum diſtactioni per vim deorſum feretur velocius: Si autem debilior ſit, ſupernatabit. Et hæc de graui, & leui, & eorum accidentibus, ac de tota textu huius libr. 4. de Cœlo, & Mundo dicta ſufficiant.

De

De Natura, & Affectionibus Grauium, & Leuium.

DISPVTATIO VNICA.

Diſputationem de Elementorum natura, & affectionibus quibuſdam inimus, ac abſoluimus in præcedenti libro tertio non abſolute, verùm duntaxat, quatenus ſunt partes integrales Vniuerſi; nunc autem in præſenti lib. quarto videndum eſt de eorundem motibus, ab illorum natura procedentibus, in ordine ad loca in quæ naturaliter feruntur, hoc eſt de motu ſurſum, & deorſum. Cæterùm quoniam horum principia inſtrumentalia ſunt potiſſimum grauitas, & leuitas, quæ comitantur corpora ſimplicia ſublunaria, & per eadem communicantur corporibus mixtis, quapropter exagitanda eſt grauium, & leuium natura, prout afficiunt Elementa tantùm, per ſequentes quæſtiones, vt hinc finem imponamus toti materiæ de Cœlo, & Mundo.

Vtrum Grauitas, & Leuitas ſint formæ ſubſtantiales Elementorum, à ſeinuicem eſſentialiter diſtinctæ?

QVÆSTIO I.

Circa priorem huius quæſtionis partem, varia referuntur Doctorum placita, ſiquidem Auerroiſtæ, quos poſteà ſicut ſunt Rubion. in ſecundo d. 14. q. 3. Achillinus lib. 3. de Elementis diſp. 1. Arriaga de Gener. Diſp. 4. ſect. 5. partem affirmantem tutati ſunt cùm Valles. lib. 1. Controu. cap. tertio.

Alij autem docuerunt quidem grauitatem, & leuitatem eſſe qualitates ſecundas, verùm illas implicant cum denſitate, & raritate, itaquod grauitas non diſtinguatur à denſitate, nec leuitas à raritate. Ita Bitanzanus, & Auerſa relati à Serbellono de Ortu, & Interitu Diſp. 3. q. 2. art. 2. §. 19

Verùm communis opinio ſuſtinet contra primam ſent. grauitatem, & leuitatem, non eſſe formas ſubſtantiales Elementorum, ſed qualitates ſecundas, diſtinctaſque eſſentialiter à denſitate, & raritate contra ſecundam opinionem. Ita D. Tho. lib. 2. de Anima lect. 23. Conimbric. lib. 2. de Gen. cap. 3. q. 4. art. 2. quos refert & ſequitur Serbellonus loco nuper citato. Colligitur etiam ex Doctore ſubtili in 2. d. 2. q. 10. & diſt. 15. q. vn. ad tertium princip. quem poſteà ſecuti ſunt Antonius Roceus lib. 4. de Cœlo. q. 2. Maſtrius de Cœlo. Diſp. 3. q. 1. n. 3. 4. & 5. Ruuius hic lib. 4. cap. 6. q. 1. Alber. de Saxonia lib. 3. de Cęlo q. 4. & Comptonus de Gen. & Corrupt. Diſp. 14. ſect. 1.

Circa poſteriorem quæſtionis partem, nonnulli ex Antiquis, quorum meminit Ariſtoteles lib. de Cęlo t. 89. & lib. 4. de Cęlo t. 20. docuerunt omnia corpora eſſe, grauia, & omnia tendere ad centrum, & solùm differre ſecundum magis, & minus in grauitate, vnde iſti non diſtinguunt leuitatem à grauitate, ſed illam implicant in minori grauitate, adeò vt leuitas, ſit idem, ac minor grauitas. Hos ſequutus eſt Cardanus apud Scaligerum exercit. 143. relatum à Serbellono vbi ſupra art. 1. §. 2.

Cæterùm omnes Doctores, præter iſtos, oppoſitum ſententiam, vti communem, docent cum Ariſtotele, aliqua corpora eſſe grauia, & alia leuia, ac proindè habere qualitates grauitatis, & leuitatis, ab inuicem eſſentialiter diſcretas. Vnde pro reſolutione totius quæſtionis.

Primo Notandum eſt, formam eſſe, quæ dat eſſe rei, & conſeruat rem in eſſe, & eſt duplex ſcilicet ſubſtantialis, & accidentalis. Prior dat eſſe ſubſtantiale rei, cuius eſt forma, & hæc eſt duplex ſcilicet rei viuentis & animatæ & eſt anima, quæ multiplicatur iuxtà diuiſionem animæ, in rationalem, ſenſitiuam, & vegetatiuam, de quibus fuſius egimus in libris de Anima alia eſt rei inanimis, cuiuſmodi eſt forma corporum ſimplicium, tùm ſublunarium, tùm cæleſtium, & corporum mixtorum, animæ expertium, vt ſunt lapides metallæ &c. Poſterior dat eſſe accidentale rei, cuius eſt forma, & hæc eſt triplex ſcilicet quantitas, qualitas, & relatio, quæ omnes diſtinguuntur realiter à formis ſubſtantialibus, ſi ſint prædicamentales, nequaquam autem ſi fuerint tranſcendentales, vt alias obſeruauimus. Ex his infertur, quod cùm omnia accidentia prædicamentalia, ſint poſteriora ſubſtantia ratione cognitione,

[illegible]
accidentia, vt mox oſtendemus, dicendum eſt, illas non poſſe eſſe formas ſubſtantiales Elementorum, ſed accidentales ab eis realiter, & eſſentialiter diſtinctas.

Secundò Notandum ex Ariſtotele libr. 2. de Gener. t. 8. Qualitates tangibiles in primas, & ſecundas partiri. Qualitates tactum afficientes, immediateq; alterationem cauſantes in ipſo, quapropter primæ vocantur, ſunt quatuor, à ſeinuicē eſſentialiter diſtinctę, nempe caliditas, frigiditas, humiditas, & ſiccitas. Qualitates verò ſecundariò, & mediantibus his tactū afficientes, in ipſoq; alterationē cauſantes, qua de cauſa, ſecundæ appellandæ veniunt, diuiduntur in octo cōtrarietates, quarū primæ ſunt ſoliditas, per quā corpus eſt ſolidū, & liquiditas, per quā corpus eſt liquidū. Secūdæ sūt craſſities, & tenuitas, per priorē corpus eſt craſſum, per poſteriorem ſubtile. Tertiæ ſunt raritas, & denſitas, quarum illa dat eſſe rarum, iſta verò dat eſſe denſum corpori. Quartæ ſunt leuitas, & grauitas, per has enim redditur corpus leue, & graue. Quintæ ſunt mollities, & durities, per hanc corpus eſt durum, & per illam molle. Sextæ ſunt lenitas, & aſperitas, quarū prior dat eſſe corpori lene, & poſterior aſperum. Septimę ſunt acuties, & hebetudo, per priorem corpus eſt acutū, per poſteriorem obtuſum. Octauæ denique ſunt lentor, & friabilitas, quarum prima reddit corpus tenax, ſecunda friabile, hoc eſt de facili frangibile. Ex his inferendum eſt, quod cùm omnes iſtæ qualitates, cùm primæ, tùm ſecundæ diſtinguantur ſpecie, ſiuè ad ſeinuicem comparentur, ſiuè in ordine ad ſubiecta, quæ afficiunt, dicendum eſt, leuitatem, & grauitatem eſſe ad inuicem eſſentialiter diſtinctas, verùm, & diſcretas à denſitate, & raritate, adeoquod nec denſitas ſit grauitas, nec raritas leuitas, ſed ſpecies qualitatis à ſeinuicem diſparatas.

Tertiò Notandum eſt, latam eſſe differentiam inter tenue, & rarum ex vna, & inter craſſum, & denſum ex alia parte. Nam tenue propriè dicitur illud, quod habet ſubſtantiam ſubtilem, facileque penetrabilem: rarum verò, quod ſubſtantiam habet poroſam, nimirum cuius partes poris intermedijs adinuicem multùm diſtant. Craſſum propriè, vt opponitur tenui, dicitur illud, [illegible] verò quod ſubſtātiam habet parùm poroſam, ſeù quod partes habet inter ſe poris inter medijs, parùm diſtantes. Ex his infertur, quod licet aeri poſſit attribui tenuitas, & aquæ craſſities, nō tamen raritas aeri, & denſitas aquæ cùm hæc duo corpora careant poris intermedijs, quorum interuentu partes illorū à ſeinuicem diſtent. Infertur ſecundo quod ſi rarum, & leue, dēſum, & graue eſſent idem, ſequeretur, terram, cùm ſi multùm poroſa, eſſe raram, & leuem; ignem verò, quia vel caret poris, vel ſaltim paucos habet, eſſe dēſum, & grauem, quod vtrūque repugnat naturis terræ, & ignis. Concludendum eſt igitur, nec raritatem cum leuitate, nec denſitatem cum grauitate infundi poſſe.

Quartò Notandum eſt, grauitatem eſſe principiū, quo corpus, quod afficit, aptū natum eſt ferri deorſum, vbicumq; exiſtat: leuitatem verò è contra, eſſe principium, quo corpus, quod afficit, aptū eſt ferri ſurſum, vbicumq; reperiatur. Vbi notandū eſt, quod in vtraq; diffinitione ponitur ly aptū natū, vt innuatur, quod actualis deſcenſus, vel aſcenſus grauis, aut leuis ad mediū, hoc eſt deorsū, vel à medio, hoc eſt ſursū, non ſunt de eſſentia grauis, vel leuis, cùm poſſint ab inuicem ſeparari ab eis, vt patet de graui, & leui exiſtentibus in proprijs locis, quæ carēt motus deſcenſus, vel aſcenſus actualis, & ſolùm retinent aptitudinem ad huiuſmodi motus, ſi exinde extraherentur; quamobrem inferendum eſt, grauitatem, & leuitatem in aptitudine duntaxat conſtituere graue, vel leue, in grauis, aut leuis ratione, non autem in actu, alioquin terra in medio exiſtens immota, non eſſet Elementum graue; neque ignis exiſtens immotus in extremo ſub concauo Lunæ, non eſſet Elementum leue, quod nemo ſanæ mentis dixerit. Hinc inferendum eſt primò, grauitatem, & leuitatem, cum habeant diuerſas diffinitiones, eſſe qualitates ab inuicem eſſentialiter diſcretas, ac proinde non differre tantum ſecundum magis, & minus, verum ſpecie eſſentiali diſparata. Secundò huiuſmodi qualitates, neque adæquatè, nec inadæquatè eſſe denſitatem, & raritatem, ſiquidem diffinitiones diſparatæ eſſentialiter, cuiuſmodi ſunt iſtę grauitatis, ac leuitatis, & illæ denſitatis, ac raritatis, quas nuper

tradidimus, diuerſificant in indiuiſibili ſpecies, adeò quod vna nequeat, neque adæquatè, neque inadæquatè ingredi quidditatem, ſeù rationem formalem alterius, igitur nullo pacto denſitas poteſt eſſe grauitas, & raritas, leuitas, aut econuersò.

Ex his fit prima Concluſio. Grauitas, & Leuitas non ſunt formæ ſubſtantiales Elementorum grauium, & leuium: ſed qualitates illas conſequentes, à ſe inuicem, & ab eis eſſentialiter, ac realiter diſtinctæ. Eſt contra Auerroiſtas, & alios relatos in prima ſententia. Probatur prima pars, quia grauitas, & leuitas ſunt per ſe ſenſibiles ſenſu tactus ex Ariſtotele 2. de Generat. & Corrupt. t. 8. ſed nulla forma ſubſtantialis eſt per ſe ſenſibilis aliquo ſenſu, ex eodem in 2. de Anima t. 63. & 65. ergo grauitas, & leuitas non ſunt formæ ſubſtantiales, ac proinde nec Elementorum grauium, & leuium. Secundò probatur, quia formæ ſubſtantiales Elementorum grauium, & leuiū non manent formaliter in mixto, vt probauimus cum Doct. Subtili in 2. de Anima diſp. 3. q. 7. ſed grauitas, & leuitas Elementorum manent formaliter in mixtis, ſiquidem mouentur ſurſum, & deorſum ſecundum prædominium Elementorum ex Ariſtotele 4. de Cœlo, & Mundo t. 28. ac alibi, ergo grauitas, & leuitas non ſunt formæ ſubſtantiales Elementorum grauium, & leuium. Tertio probatur, quia grauitas, & leuitas ſuſcipiunt magis, & minus ex eodem Ariſtotele lib. 4. de Cęlo, & Mundo t. 27. & 32. ac alibi, at nulla forma ſubſtantialis, ſicut nec vlla ſubſtantia, ſuſcipit magis, & minus ex eodem in Prædicamentis cap. de ſubſtantia, ergo granitas, & leuitas non ſunt formæ ſubſtantiales Elementorum grauium, & leuium. Secunda pars probatur, quod ſint qualitates ex Ariſtotele lib. 2. de Gener. & Corrupt. t. 8. vbi inter qualitates tangibiles enumerat grauitatem, & leuitatem, & lib. 5. Metaphyſicorum capit. de Qualit. t. 19. inquit: *Quacumque ſubſtantiarum, qua mouentur paſſiones, vt caliditas, & frigiditas, albedo, & nigredo, grauitas, & leuitas, & quacumque ſimilia, ſecundum qua dicuntur alterari corpora, ipſis mutatis*, ergo grauitas, & leuitas ſunt qualitates inhærentes corporibus, quæ mutantur ad ipſas. Deinde probatur, quod diſtinguantur realiter à formis ſubſtantialibus Elementorum, nam manente eadem forma ſubſtantiali, variantur grauitas, & leuitas, ergo diſtinguuntur realiter ab ea. Conſequentia tenet ex diffinitione diſtinctionis realis. Antecedens probatur de fumo, qui quando eſt benè calidus eſt leuis, cum feratur ſurſum, quando verò eſt refrigeratus eſt grauis, cum deſcendat deorſum, at in fumo non eſt mutata forma ſubſtantialis, ſed tantum grauitas, & leuitas, ergo manente eadem forma ſubſtantiali, variantur grauitas, & leuitas in mixto, igitur, & in Elementis. Probatur iſta conſequentia, quia grauitas, & leuitas deriuantur in mixtis ab Elementis, igitur eodem modo, quo ſe habent in illis, debent ſe habere in iſtis. Antecedens patet ex Ariſtotele in hoc lib. 4. t. 28. vbi inquit: *Quoniam autem, & aliorum hac quidem habent grauitatem, hac autem leuitatem, manifeſtum eſt, quod horum quidem omnium cauſa eſt, qua in compoſitis eſt differentia*, ergo grauitas, & leuitas deriuantur in mixtis ab Elementis, & quomodo ſe habent in *illis*, eo modo præſupponuntur in *iſtis*. Tertia pars probatur, tùm quia grauitas, & leuitas habent diuerſas diffinitiones eſſentiales: tùm etiam, quia ſunt qualitates contrariæ: tùm denique, quia conſequuntur corpora eſſentialiter diuerſa, cuiuſmodi ſunt ignis, & terra, ergo grauitas, & leuitas ſunt qualitates à ſeinuicem, & ab Elementis eſſentialiter diſtinctæ.

Secunda Concluſio. Grauitas non eſt adæquatè denſitas, neque leuitas, raritas adæquatè. Eſt contra Doctores relatos pro ſecunda ſententia. Probatur, nam quæcumque habent diuerſas diffinitiones eſſentiales, nequeunt eſſe adæquatè idem inter ſe, ſed grauitas, & denſitas, leuitas, & raritas habent diuerſas diffinitiones eſſentiales, ergo nequeunt eſſe adæquatè idem. Maior patet, quia diffinitio eſt oratio indicans eſſe rei, ergo diffinitiones eſſentialiter diuerſæ indicant res eſſentialiter diuerſas. Minor patet ex 3. & 4. Not. in quibus adnotauimus diffinitiones grauitatis, & denſitatis, leuitatis, ac raritatis, cōpoſitas ex diuerſis terminis, adinuicē pugnantibus. Secundò probatur, quia aer eſt leuis, nec tamen in ſua puritate raritatem admittit: ſimiliter terra eſt grauior aqua ex Ariſtotele in lib. 4. de Cœlo, & Mundo t. 27. & 32. & tamen non

quatè raritas, neque grauitas eſt adæquatè denſitas. Antecedens quoad vtramque partem ſuadetur, quia raritas admittit in ſubſtantia, quam afficit, partes inter ſe diſtinctas, ac diſtantes ex poris intermedijs, vt patet ex diffinitione rari, poſita in 3. Not. at aer in ſua puritate conſiſtens admittit vnionem partium, cùm careat poris intermedijs, ergo aer, vt leuis eſt, non habet raritatem. Deinde ſuadetur ſecunda pars antecedentis, quia aqua caret poris intermedijs, quibus abundat terra, ergo terra, quamuis ſit grauior aqua, non eſt tamen illa denſior, ac proinde nec leuitas eſt adæquatè raritas, nec grauitas eſt adæquatè denſitas. Tertiò probatur, quia ſi grauitas, & denſitas eſſent adæquatè idem, & pariter leuitas, & raritas, ſequeretur, quod graue ſimpliciter, eſſet leue ſimpliciter, & econuerſò leue ſimpliciter eſſet graue ſimpliciter, ſed vtrumque includit repugnantiam in terminis, vt patet, ergo &c. Sequela maioris probatur, quia per te raritas, & leuitas ſunt adæquatè idem. ſed terra, quæ eſt grauis ſimpliciter ex Ariſtotele in hoc lib. 4. de Cœlo t. 26. eſt raritate prædita, quoniam vbique valde poroſa, ergo terra, quæ eſt ſimpliciter grauis, eſſet leuis ſimpliciter: ſimiliter, quia denſitas, & grauitas ſunt idem adæquatè, cùm ignis, qui ex Ariſtotele loco nuper relato, eſt ſimpliciter leuis, ſit etiam valde denſus, quippe qui expers eſt omnis poroſitatis, ſequitur, quod ignis, qui eſt ſimpliciter leuis, ſit etiam ſimpliciter grauis: Verùm quia vtraque conſequentia implicat repugnātiam in terminis, concludendum eſt, grauitatem non eſſe idem adæquatè cum denſitate, neque leuitatem cum raritate, ſed eſſe ſpecies qualitatis à ſeinuicem eſſentialiter diſtinctas.

Obijcitur contra primam concluſionem nam diffinitio naturæ competit grauitati, & leuitati, ſed natura dicitur etiam de forma ſubſtantiali ex Ariſtotele lib. 2. Phyſic. t. 10. & 12. ergo grauitas, & leuitas ſunt formæ ſubſtantiales, & non niſi grauium, & leuium, quibus inſunt. Conſequentia patet ex illo axiomate Ariſtotelico: Cuicumque conuenit diffinitio, & diffinitum competere debet, igitur ſi diffinitio naturæ illis conuenit, & natura eis conuenire debet. Maior probatur, quia leuitas eſt per ſe principium motus, & quietis deorſum, atqui eſſe per ſe principium motus, & quietis eſt diffinitio naturæ ex Ariſtotele libr. 2. Phyſic. t. 3. ergo grauitati, & leuitati conuenit diffinitio naturæ.

Reſpondetur negando Maiorem. Ad probationem dicimus diffinitionem naturę eſſe quidem principium motus, & quietis eius in quo eſt, at hoc non ſufficit ad naturam, ſed debet eſſe principium primum in quo eſt, vt patet in textu citato: at hoc non conuenit grauitati, & leuitati, quia hæ ſupponunt in graui, & leui qualitates primas, à quibus deriuantur tanquam qualitates ſecundæ, & iſtæ ſupponunt formas ſubſtantiales, à quibus habent eſſe grauia, & leuia: quamuis igitur grauitas, & leuitas cōcurrant aliquo pacto ad motus deorſum, & ſurſum grauium, & leuium, non tamen tamquam naturæ, verùm duntaxat vt principia diſpoſitiua, conſequentia naturam grauium, & leuium, quæ eſt per ſe principium primum motus eorumdem, & ſurſum, & deorſum.

Contra, quia manente eadem forma ſubſtantiali, idem mobile aliquando aſcendit, & aliquando deſcendit, ob ſolam variationem grauitatis, & leuitatis, ergo ſignum eſt, quod tales motus originentur per ſe primò à grauitate, & leuitate, & non à formis ſubſtantialibus grauium, & leuium. Antecedens probatur, quia idem vapor calefactus, & leuificatus naturaliter aſcendit, & poſteà refrigeratus naturaliter deſcendit, atqui ſemper manet in ipſo eadem forma ſubſtantialis, quia vapor eleuatus, per condenſationem tranſit in nubem, & hæc refrigerata diſſoluitur, deſcenditque in pluuiam, quæ non eſt, niſi idem vapor condenſatus, ergo manente eadem forma ſubſtantiali aſcendit, ratione leuitatis, & deſcendit ratione grauitatis..

Reſpondetur negando conſequentiam; quinimo huiuſmodi motus contrarij poſſunt prouenire ab eadem forma ſubſtantiali, diuerſimodè diſpoſita, & per leuitatem ad aſcenſum, & per grauitatem ad deſcenſum naturalem: & eò magis, quia cum forma ſubſtantialis vaporis ſit forma aquæ, quæ participat de grauitate, & leuitate; quare ſi diſponatur per leuitatem, erit principium motus ſurſum; ſi verò per gra-

Digitized by Google

uitatem, erit principium motus deorſum; ceque inde ſequitur huiuſmodi motus procedere à grauitate, & leuitate, vt à principijs primis, verùm ab aquæ forma cum talibus inſtrumentis diſponentibus ad tales motus.

Obijcitur ſecundo, quia formæ, priores primis qualitatibus in quocumque mobili, ſunt ſubſtantiales, & non accidentales, ſed grauitas, & leuitas ſunt huiuſmodi in grauibus, & leuibus, ergo ſunt formæ ſubſtantiales grauiũ, & leuium. Maior patet, quia alioquin non eſſent primæ qualitates, ſed ſecundæ, cum eſſent poſteriores alijs prioribus, quod eſt contra Ariſtotelem 2. de Gener. & Corrupt. t. 8. & 9. vbi ait, quod caliditas, frigiditas, humiditas, & ſiccitas immediatè ſequuntur formas ſubſtantiales mobilium, qua de cauſa dicuntur primæ qualitates. Minor probatur, quia ſicut ſe habet motus localis ad motus alterationis, ſic qualitates motiuæ localiter ſcilicet grauitas, & leuitas, ſe habere debent ad qualitates alteratiuas, nempe caliditatem, frigiditatem, humiditatem, & ſiccitatem, ſed motus localis eſt prior motu alterationis per Ariſtotelem in hoc libro quarto de Cœlo, & Mundo t. 24. vbi inquit: *quarè primus vtique erit, & ſecundum ſubſtantiam hic motus*, ergo & grauitas, & leuitas erunt priores primis qualitatibus dictis, ac proinde formæ ſubſtantiales grauium, & leuium.

Reſpondetur negando minorem. Ad probationem dicimus minorem eſſe veram de prioritate perfectionis, non autem generationis, quia ſic motus alteratiui præcedunt motus locales: & reddit rationē Ariſtoteles in textu dicens: quod latio abſolutorum eſt, & generatione vltima motuum, hoc eſt motus perfectorum mobilium, cuiuſmodi ſunt grauia, & leuia, quæ habent in ſe omnia requiſita ad motum localem, eſt vltimus via generationis, vnde debet eſſe primus ſecundum ſubſtantiam, ideſt ſecundum perfectionem, ſiquidem vltimum in generatione, eſt primum in perfectione, cũ natura ſemper progrediatur ab imperfecto ad perfectum. Ex his inferendum eſt, quod licet grauitas, & leuitas ſecundum perfectionem poſſent eſſe priores qualitatibus alteratiuis, non tamen ſecundum generationem, quia iſtę immediate ſequuntur formas ſubſtantiales, quæ ſunt generationum principia, vt alias dictum fuit.

Obijcitur tertio contra ſecundam Concluſionem, quia ex Ariſtotele libr. 4. Phyſicorum t. 85. idem eſt denſum, & graue, rarum, & leue; inquit enim. *Eſt autem ipſum quidem denſum graue, rarum autem leue.* Et in 3. de Cœlo, & Mundo t. 10. ſubdit: *ſi graue quidem denſum quid, leue autem rarum quid eſt*, ergo de mente Ariſtotelis, rarum, & leue, denſum, & graue idem omninò ſunt.

Reſpondetur negando conſequentiam; Neque loca allata multum faceſſunt, ſiquidem loquitur arguitiuè ex principijs eorũ, qui aſtruebant, denſum eſſe cauſam grauis, & rarum leuis, eoquod vtrorumque eſt eadem materia, quæ tranſit de denſitate in grauitatem, & de raritate in leuitatem, non autem fatur de mente propria, & aſſertiue, quia ſic in 2. de Gener. & Corrupt. t. 8. vbi agit de qualitatibus tactilibus, diſtinguit graue à denſo, & leue à raro, vt ſpecies à ſpecie, quæ, ſi formaliter conſiderentur, eſſentialiter diſtinguuntur. Et quod hæc ſit vera mens eius, haud obſcurè deprehenditur ex ſecundo loco ex allatis, vbi inquit: Si graue quidem denſum quid, vt volunt Platonici, & rarum, leue exiſtere, concedere debent, cùm ſint contraria, & ſe comitentur, & ex hoc infert, punctum nec eſſe graue, nec leue, vt illi dicebant, alioquin deberet eſſe diuiſibile, vt denſum, & rarum. En quomodo aſtruit identitatem inter denſum, & graue, rarum, & leue ex conceſſis à Platonicis, non verò ſecundum propriam ſententiam.

Obijcitur quartò nam experientia conſtat, denſa grauia, & rara leuia exiſtere, & quò aliquid fuerit leuius, vel grauius, illud deprehenditur eſſe rarius, vel denſius, quæ minimè poſſent eſſe, ſic denſum, & graue, rarum, & leue non eſſent idem, ſiquidem comparatio fieri debet in eadem ſpecie, vt docet Ariſtoteles in 7. Phyſicorum t. 29. & 30. Deindè confirmatur alia experientia, quia quantumuis aqua, & terra calefiant, niſi vtraque rareſcat, & reſoluatur, illa in vapores, & hæc in exhalationes, non tranſibunt de grauitate in leuitatem, ergo ſignum eſt, quod raritas, & leuitas ſint idem, cum oriantur ab eadem cauſa.

Re-

Reſpondetur negando vtramque conſequentiam ab experientia deductam; quandoquidem non ſemper verum eſt, quò aliqua denſiora exiſtunt, eò grauiora eſſe, & quò rariora, eò leuiora, & adeſt manifeſta inſtantia, quia aqua eſt denſior terra, & tamen hæc eſt illa grauior: argentum, & aurum ſunt in pari denſitate, & tamen ſunt inæqualia in grauitate: ſimiliter plumbum non eſt denſius ſtamno, & nihilominus eſt illo grauius. Neque pariter verum eſt ſemper, non alterari corpora in grauitate, & leuitate, niſi præcedat in illis alteratio in denſitate, & raritate, ſiquidem aqua virtualiter calida, leuior eſt frigida, & tamen non eſt illa rarior, niſi fiat confuſio raritatis cum ſubtilitate, quod fieri non poſſit, dictum eſt ſupra: vinum quoque eſt in pari denſitate cum aqua, & tamen eſt ipſa leuius, ergo quæ aliquibus cenſentur experimenta, ſunt potiùs ſecundum veritatem deliramenta, quibus fidendum non eſt, ſi rectè perpendantur eorum naturæ; vt demonſtratum eſt per oppoſitas inſtantias. Neque experimenta de vaporibus, & exhalationibus conuincere poſſunt, cùm ſufficienter reſpondere poſſumus, raritatem iuuare quidem ad leuitatem, non tamen eſſe cauſam ipſius, eo quia raritas conducit ad ſubtilitatem ſubſtantiæ, & hæc ad leuitatem vaporis, & exhalationis.

Vtrum Grauitates terræ, & aquæ, ac Leuitates ignis, & aeris diſtinguantur ſpecie, vel tantum numero?

QVÆSTIO II.

CIrca hanc celeberrimam controuerſiam diſſident non ſolum Recentiores, verùm etiam nonnulli ex Antiquis; quandoquidem Auerroes libr. 4. de Cœlo, & Mundo com. 3. Sueſſanus ibidem, Philopponus hic com. 11. quos ſecuti ſunt ex Modernis, Ruuius lib. 4. de Cœlo capit. 6. quæſt. 1. Comptonus de Generat. & Corruptione diſp. 14. ſect. 1. numero 6. Serbelonus diſp. 3. quæſt. ſecund. art. 1. §. quinto. Zanardus ibidem quæſt. 37. de Qualitate, ac alij ſuſtinent, huiuſmodi qualitates, ſic afficientes corpora diuerſa ſpecie, eſſe tamen in illis eiuſdem rationis ſpecificæ.

Verùm oppoſitum docentes, cenſent, huiuſmodi qualitates, exiſtentes in corporibus ſpecie diſtinctis, a ſeinuicem diſtingui ſpecie. Ita Colleg. Conimbricenſe in Tract. Problem. de Elementis Sect. 3. Problem. 3. Bannes lib 2. de Gener. quæſt. 4. ad quartum Albertus de Saxonia lib. 3. de Cęlo quæſt. 6. Maſtrius hic diſp. 3. q. 1. num. 10. & ſequentibus, ac alij plures.

Quid autem ſit dicendum nobis, & magis conſonum Doctrinæ Scoticæ, nonnullis notatis, mentem noſtram aperiemus in concluſionibus infra ſtatuendis, ac probandis.

Primò igitur notandum eſt ex Ariſtotele in hoc lib 4. t. 3. 6. 26. 27. 34. ac alibi, & ex Doct. Subtili in 2. d. 2. q. 10. graue diffiniri per id, quod eſt natũ ferri deorſum, & leue per id, quod eſt natum ferri ſurſum, vel ad medium, & à medio; ex quibus colligitur, grauitatẽ qua corpus mobile denominatur graue, eſſe principiũ actiuũ, quo graue natũ eſt ferri ad mediũ, ſeù deorsũ, & leuitatem, qua corpus mobile dicitur leue, eſſe principiũ actiuũ, quo leue natũ eſt ferri ſurſum, à medio ad extremum. Ex quibus infertur, quod ſicut omnia grauia, & omnia leuia, vt talia, eò quia cõueniũt in vnica diffinitione cõmuni ſpecifica, ſunt eiuſdẽ rationis ſpecificæ, & ſolũ differunt ſpecie ratione formarum ſubſtantialium, ſpecie differentium, ita dicẽdum eſt de leuitatibus, & grauitatibus; ex eo enim, quod conueniunt in vnica diffinitione ſpecifica, vbicumq; ſubiectiuè exiſtant, omnes grauitates eſſe eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ, & omnes leuitates pariter eiuſdẽ ſpeciei vltimæ. Exinde infertur ſecũdò, quod licet grauitas terræ & grauitas aquæ ſubiectẽtur in corporibus naturalibus, ſpecie diſtinctis, nihilominus ſunt eiuſdem ſpeciei, ſi adinuicẽ ſpectentur, ſic dicendum erit, de leuitate ignis, & aeris, quod quãuis exiſtant in corporibus differentibus ſpecie, nihiloſecius erunt eiuſdem rationis ſpecificæ, ſiquidẽ diffinitio eadẽ, cùm indicet rationẽ vnius ſpeciei, concludit, & vocat omnes grauitates, & omnes leuitates reſpectiuè, in vnam, & eandem ſpeciem vltimam.

Secundò Notandum eſt, proprietates eſſe in duplici differentia; quædam enim inſunt inſeparabiliter ſubiecto, à quo fluũt, & cum ipſo realiter identificantur, & iſtæ dicuntur proprietates in quarto modo proprij, quia

inſunt omni, ſoli, & ſemper, vt riſibilitas homini, hinnibilitas æquo, & ſic de cæteris: quædam verò inſunt ſeparabiliter ſubiecto, cuius formam conſequuntur, tamquam diſpoſitiones conſeruatiuæ illius, licet nō neceſſariò, & hæ diſtinguuntur realiter ab eo, cùm abſolute poſſit conſiſtere ſine illis, non tamen operari abſque eis, & huiuſmodi ſūt calor in igne, humor in aere, frigus in aqua, & ſiccum in terra; quandoquidem licet poſſint abſolutè conſiſtere ſine eis, non tamen operari valent abſque eis, cum ſint illorum principia diſpoſitiua ad operandum. Ad propoſitum grauitas terræ, & grauitas aquæ, ſicut leuitas ignis, ac leuitas aeris, ſunt quidem horum Elementorum proprietates, non tamen inſeparabiles ab eis, neque cum illis realiter identificatæ, quinimò de facto realiter ſeparantur, remanentibus eorum formis ſubſtantialiter immutatis; ſiquidem terra, dum reſoluitur in exhalationes, & aqua in vapores, deperdunt grauitatem, ſibi conuenientem, & acquirunt ſibi leuitatem contrariam, immutatis manentibus formis ſubſtantialibus, quia nec vapor ab aqua, nec exhalatio à terra, eſſentialiter diſtinguuntur, vt alias probatum eſt: Et licet requirantur in eis, tanquam principia actiua mouendi terram, & aquam ad medium, ignem, & aerem à medio, nihilominus poſſunt abſolute ſine illis conſiſtere, vt iam exemplificatum eſt. Hinc inferendum eſt, quod quando dicitur, diuerſas formas exigere diuerſas proprietates ſpecie, ſi illæ fuerint diſtinctæ ſpecificæ, verificari quidem de proprietatibus inſeparabilibus ab eis, & cum illis realiter identificatis, non autem de ſeparabilibus, & ab eis realiter diſtinctis, quia ſi fuerit ſermo de iſtis, poterunt duæ proprietates numero diſtinctæ conſequi duas formas differentes ſpecie, & cum illis pariter operari. Poſſunt igitur grauitas aquæ, & grauitas terræ, ſicut leuitas ignis, & leuitas aeris, eſſe eiuſdem ſpeciei, quamuis huiuſmodi Elementa ſint diſtincta ſpecie, cùm ſint proprietates, non primi, ſed ſecundi ordinis.

Tertiò Notandum, vt colligitur ex Ariſtotele hic t. 26. & 27. grauitatem terræ poſſe comparari, vel ad leuitatem aeris, aut ignis oppoſitam contrariè, vel ad grauitatē aquæ. Si priori modo attendatur grauitas, tunc grauitas, & leuitas, cum ſint contraria, ſumuntur in ſpecie, & quoniam vtraque ſpecies æqualiter participatur ab inferioribus indiuiduis, nec grauitas terræ poterit dici maior grauitate aquæ; neque leuitas ignis maior leuitate aeris, ſed ambæ æquales in ſpecie; quandoquidem ita conueniūt in ratione ſpecifica grauitatis, quæ eſt ſubſtare leuibus, & ferri deorſum, grauitas terræ, & aquæ, & in ratione ſpecifica leuitatis, quę eſt ſupereminere grauibus, & ferri ſurſum, leuitas ignis, & leuitas aeris. Cæterùm ſi poſteriori attendatur modo grauitas terrę ſcilicet ad grauitatem aquę, tunc ſumitur grauitas in indiuiduo, & quia vnum indiuiduum, ratione propriæ differentiæ materialis, eſt maius alio, ita vna grauitas, ideſt terræ, erit maior grauitate aquæ; ſiquidem quoniam terra ſubſtat aquæ, & aeri; aqua verò tantum aeri, ideò terra dicitur grauior aqua, & ſic infertur, grauitatem terræ eſſe quidem maiorem grauitate aquæ, maioritate indiuiduali, non autem ſpecifica, ac proinde grauitatem terræ, & grauitatem aquæ non diſtingui ſpecie, verùm duntaxat numero, & indiuidualiter. Similiter dicendum eſt de leuitate ignis in ordine ad leuitatem aeris; quia enim ignis in leuitate ſupereminet aeri, & aquæ, hæc verò ſolum aquæ, ideò leuitas ignis eſt maior leuitate aeris, non quidem maioritate ſpecifica, ſed tantùm indiuiduali; ac proinde inferendum eſt leuitatem ignis, & leuitatem aeris, ſi adinuicem comparentur, non differre ſpecie, ſed eſſe eiuſdem ſpeciei, quamuis ignis, & aer eſſentialiter, & ſpecificè diſtinguantur.

Quartò Notandum, pro fundamento ſecundæ ſententiæ grauitatem, & leuitatem, cùm ſint principia duorum motuum ſimplicium rectorum ſcilicet deorſum, & ſurſum, qui ſunt contrarij, poſſe comparari, vel ad terminos horum motuum in genere, vel in ſpecie, hoc eſt vel ad medium vt ſic, & ad extremum vt ſic, vel ad medium determinatum, & ad extremum pariter determinatum. Si priori modo comparētur leuitas, & grauitas, cùm termini ſint tantū duo in genere ſubalterno, nēpe mediū, & extremū, & motus quoq; in eodem genere erunt duo ſcilicet deorſū ad mediū, & ſurſū ad extremū, ac proindè principia eorundē motuum debēt eſſe tantū duo in gēnere ſcilicet leuitas, quæ eſt principiū motus recti ſurſū, &

gra-

motus recti deorſũ. Si autẽ poſteriori comparẽtur modo, cùm media determinata ſint duo in ſpecie ſcilicet medium Vniuerſi, ad quod fertur, & in quo quieſcit terra; & ſuperficies terræ, ad quam ferri nata eſt, & in qua quieſcit aqua, quemadmodũ erunt duo motus deorſum in ſpecie, ita neceſſariò debebunt eſſe duo principia grauia actiua eorundem motuum in ſpecie, nempe grauitas terræ, & grauitas aquæ. Similiter cũ extrema determinata ſint quoque duo in ſpecie, nempe concauum vltimi Cęli, ad quod fertur, & in quo quieſcit ignis, & concauum ignis, ad quod fertur, & in quo quieſcit aer; ſicut duo erũt motus recti ſurſum, ita pariter debebunt eſſe duo principia actiua eorundem motuum ſpecie diſtincta, nimirum leuitas ignis, & leuitas aeris. Ex quibus inferri licebit quaternarius numerus mobiliũ ſimplicium, ſeù Elementorum, duorũ grauium, ac duorum leuium ſpecie diſtinctorum, ſecũdum diſtinctionem ſpecificã duarum grauitatum, & duarum leuitatum.

Quintò Notandum eſt ex Ariſtotele hic pluribus in textibus, ſed præſertim t. 26. 27. 31. 32. & 36. graue, & leue eſſe contraria, & conſequẽter diſtincta ſpecie: habẽt enim diffinitiones eſſentialiter diſparatas, vt alias etiam obſeruauimus. Graue namq; dicitur illud, quod ſubſtat alijs, & quod natum eſt ferri deorſum ad medium. Leue verò, quod ſupereminet alijs, & quod natum eſt ferri ſurſum ad extremum. Ex quibus infertur, quod inter grauia illud eſt grauius in ſpecie, quod magis participat de ratione formali grauis, ideſt quod magis ſubſtat alijs, hoc eſt, quod pluribus modis ſubſtandi ſubſtat, & quod in pluribus exiſtens. natum eſt ſemper ferri ad medium deorſum: Similiter illud dicitur leuius inter leuia in ſpecie, quod magis participat de ratione formali leuis, ſupereminendo pluribus, & in eis exiſtens, magis aſcendendo ad extremum ſurſum. Quamobrem ex hinc deducitur, terram eſſe grauiorem aqua, & ignem leuiorem aere; ſiquidem terra ſubſtat aquæ, aeri, & igni, in eiſque exiſtẽs, nata eſt ferri deorſum ad medium, aqua verò licet ſubſtet aeri. & igni, ac in eis exiſtens, nata ſit ferri deorſum ad medium, non tamen ſubſtat terræ, neque ab ea deſcendere valet ad medium, cùm in illa ſit potiùs leuis, quam grauis, & terræ, in illiſque exiſtens, natus eſt ferri ſurſum ad extremum; aer verò, quamuis emineat aquæ, & terræ, & ab eis natus ſit aſcendere ad extremum, non tamen eminet igni, quinimò in eo quieſcit, nè ſupra aſcendere poſsit, cùm ad illum comparatus habeat potiùs rationem grauis, quam leuis. Igitur cùm terra plus grauitet, quam aqua, & ignis plus leuitet, quam aer, dicendum eſt, terram in ſpecie eſſe grauiorem aqua, & ignem leuiorem aere.

Ex his ſit prima Concluſio. Probabile eſt, grauitatem terræ, & grauitatem aquæ, ac leuitatem ignis, & leuitatem aeris, non conſtituere diuerſas ſpecies, ſi adinuicem ſpectentur, ſed ambas pertinere ad vnam, & eandem qualitatem ſpecie, & differre ſolùm ſecundum magis, & minus. Eſt communis inter Doctores relatos pro priori ſententia. Probatur prima, & ſecunda pars ſimul, nam quęcumq; continentur ſub vna, & eadem diffinitione eſſentiali, ſunt vnius, & eiuſdẽ ſpeciei, ſed grauitas terræ, & grauitas aquæ continentur ſub vna, & eadem diffinitione eſſentiali grauitatis vt ſic; & ſimiliter leuitas ignis, & leuitas aeris continentur ſub vna, & eadem diffinitione eſſentiali leuitatis, vt opponitur grauitati, vt ſic, ergo grauitas terræ, & grauitas aquæ ſpectant ad eandem ſpeciem, ac leuitas ignis, & leuitas aeris ad vnam, & eandem ſpeciem, iſtæ leuitatis, & illæ grauitatis. Maior patet, quia ſicut diffinitio eſſentialis indicat eſſentiam rei, cuius eſt, ſic vniuocat ad eam quæcumque continentur ſub ipſa. Minor probatur, quia quemadmodum grauitas terræ eſt principium actiuum, quo graue, quod eſt terra, ſubeſt alijs, & natum eſt ferri ad medium deorſum, ita grauitas aquæ eſt principium actiuum, quo graue, quod eſt, aqua, ſubeſt alijs, & natum eſt ferri ad medium deorſum, ſed eſſe principium actiuum ſubſtãdi, & ferrendi graue ad medium deorſum eſt diffinitio grauitatis, vt opponitur leuitati, vt ſic, ergo grauitas terræ, & grauitas aquæ cõtinentur ſub eadem diffinitione eſſentiali grauitatis, quę eſt ſpecies oppoſita cõtrariè leuitati. Similiter ſicut leuitas ignis eſt principium actiuũ, quo ignis ſupereminet alijs, & eſt natus ferri ad extremum ſurſum, ſic leuitas aeris eſt principium pariter actiuum, quo aer natus eſt

Digitized by Google

ſupereminere inferioribus, & ferri ad extremum ſurſum, quod eſt diffinitio eſſentialis leuitatis, vt eſt ſpecies oppoſita cōtrariè grauitati, ergo leuitas ignis, & leuitas aeris continentur ſub eadem diffinitione eſſentiali leuitatis, ac proindè ſpectant ad eādem ſpeciem contrariam grauitati. Maior, & minor vtriuſque clareſcit ex diffinitionibus grauis, & leuis, datis ab Ariſtotele in hoc libr. 4. t. 26. 27. 31. 32. & 36. ex quibus colliguntur diffinitiones grauitatis, & leuitatis, à quibus denominantur grauia, & leuia. Secunda pars probatur, quia grauitas intenſa, & grauitas remiſſa, leuitas quoq; intenſa, & remiſſa cùm ſpectent ad eandem ſpeciem, differunt ſecundum magis, & minus, ſed grauitas terræ habet eſſe intenſum, ſicut leuitas ignis, & grauitas aquæ, ac leuitas aeris habēt eſſe remiſſum, ergo differunt ſecundum magis, & minus. Maior patet, quia eſſe intenſum, & remiſſū ſuſcipiunt magis, & minus in eadem ſpecie, ergo ſi differunt, hoc non erit, niſi quia eſſe intenſum habet maiores gradus, & eſſe remiſſum minores, ac proindè per magis, & minus. Minor eſt Ariſtotelis hic t. 26. 27. 31. & 32. vbi probat, terram eſſe ſimpliciter grauem, & ignem ſimpliciter leuem, aquam verò, & aerem partim grauem, & leuem, ergo cùm terra, & ignis habeant omnes gradus grauitatis, & leuitatis, dicuntur habere eſſe intenſum; aqua verò, & aer, quia habent aliquos gradus grauitatis, & leuitatis, cenſentur habere eſſe remiſſum, quo ad vtramque qualitatem.

Secunda concluſio. Probabiliùs tamē eſt, grauitatem aquæ à grauitate terræ: & leuitatem aeris à leuitate ignis diſtingui ſpecie. Eſt communior, defenditurq; à Doctoribus relatis in ſecunda ſententia. Probatur quia principia productiua motuum differētium ſpecie, debent eſſe diſtincta ſpecie, ſed grauitas aquæ, & grauitas terræ; ſimiliter leuitas aeris, & leuitas ignis ſunt principia productiua motuum differentium ſpecie, illa deorſum, & iſta ſurſum, ergo grauitas aquæ à grauitate terræ, & leuitas aeris à leuitate ignis differunt ſpecie. Maior patet, quia à quibus motus habent entitatem, ab eis habent diſtinctionem, cùm eadem ſint principia conſtitutiua, & diſtinctiua, ſed motus habent eſſe à principijs productiuis eius, ergo quales ſunt motus, talia debent eorum principia productiua, ſi igitur motus differunt ſpecie, & principia productiua debent eſſe differentia ſpecie. Confirmatur hæc probatio nam ex quo generatio, & ſpiratio in Diuinis ſunt mutationes diſparatę, arguunt intellectum, & voluntatē eſſe duo principia productiua diſparata, ergo ſi motus ſint differētes ſpecie, & eorum principia productiua debent differre ſpecie. Minor probatur, quia diſtinctio ſpecifica motuum ſumitur à diſtinctione ſpecifica terminorū ad quos ex Ariſtotele 5. Phyſicorum t. 9. & 48. ſed termini motuū aquæ, & terræ deorſum ad medium determinatum, & ſimiliter termini motuū aeris, & ignis ſurſum ad extremū determinatū, ſunt diuerſi ſpecie, ergo, & huius motus debent eſſe diſtincti ſpecie. Minor probatur, quia motus deſcenſus terrę habet pro termino, qui per ipsū acquiritur, & in quo quieſcit naturaliter terra, centrū vniuerſi, vt ſuperiùs cū Ariſtot. probatum eſt; motus verò deſcenſus aquæ habet pro termino conuexū terræ, in quo naturaliter quieſcere debet, alioquin violenter exiſteret in eo; at centrum vniuerſi, & conuexū terrę diſtinguuntur ſpecie, vt manifeſtū eſt, ergo huiuſmodi motus diſtinguūtur ſpecie. Similiter motus aſcenſus ignis ad extremū habet pro termino determinato concauū orbis Lunę, & motus aſcēſus aeris habet pro termino determinato naturali concauū ſphæræ ignis, aliter violēter quieſceret ſub eo, ergo huiuſmodi motus *aſcenſus diſtinguūtur* ſpecie; ac proindè leuitas aeris à leuitate ignis, & grauitas aquæ à grauitate terræ, diginguūtur ſpecie. Secūdo ſic. ſi grauitas terrę, & grauitas aquę, leuitas ignis, & leuitas aeris non diſtioguerentur ſpecie, nō poſſet concludi ex eis numerus quaternarius Elemētorum, ſed hoc eſſet contra Ariſtotelem hic t. 37. vbi ex grauitatibus, & leuitatibus Elementorum colligit dari quatuor Elementa, ergo &c. Sequela maioris probatur, quia in tātum colligimus numerū quaternarium Elementorū, in quantum concludimus dari quatuor motus ſimplices rectos, diſtinctos ſpecie, ſiquidē vnius corporis ſimplicis eſt tantum vnus motus ſimplex, atqui non eſſent quatuor motus ſimplices diſtincti ſpecie, niſi eſſent quatuor qualitates motiuæ ſpecie diſtinctæ, quæ ſunt duæ grauitates, & leuitates, ergo de primo ad vltimū, ſi non eſſent grauitas ter-

ræ,

ſtæ,& grauitas aquæ,leuitas ignis, & leuitas aeris, diſtinctæ ſpecie, non eſſent quatuor motus ſimplices diſtincti ſpecie, nec quatuor Elementa,quæ ſunt corpora ſimplicia, ſpecie differentia,exiſtere poſſent. Conſequentia tenet per argumentum à cauſa ad effectum à priori, & econuersò a poſteriori per demõſtrationem ab effectu ad cauſam: grauitas, & leuitas enim ſunt cauſæ, ſeù principia actiua motuum ſimplicium rectorum ſurſum, & deorſum ex eodem Ariſtotele ibid. t. 35. & 36. Concludenda eſt igitur diſtinctio ſpecifica inter grauitatem terræ,& grauitatem aquæ, ac pariter inter leuitatem ignis,& leuitatem aeris.

Obijcies primo contra Concluſionem primam illam problematice ſuſtinendo, has duas rationes, probantes diſtinctionem ſpecificam inter grauitatem terræ, & grauitatem aquæ: ac inter leuitatem ignis, & leuitatem aeris, vt militant aduerſus eam, ergo malè concluſimus in ea identitatem ſpecificam inter illas duas grauitates, ac leuitates, & ſolùm differre ſecundum magis, & minus.

Reſpondetur negando vtramque conſequentiam: Neque probationes iſtę multum vrgent, cùm laborent æquiuocatione. Ad primam igitur neganda eſt minor abſolutè, & ad eius probationem iterùm negatur minor. Ad cuius probationem, conceſſa maiori, interimenda eſt vtraque minor, quandoquidem medium terræ grauitatis, & grauitatis aquæ, ſimiliter extremum leuitatis ignis, & leuitatis aeris, quamuis in eſſe entitatiuo poſſint diſtingui ſpecie, tamen in ratione terminorum differunt tantum ſecundum magis, & minus, ſicut grauitates, & leuitates ad illos tendentes per ſuos motus, pariter diſtinctos ſecundum magis, & minus. Neque valet inferre, aerem, & aquam tunc violenter quieſcere in eis, ſed ſolùm minùs naturaliter concludi poſſe; ſiquidem ad vtrumque terminum naturaliter inclinantur, verùm magis ad vltimos, quos etiam poſſiderent, ſi terra, & ignis extraherentur è proprijs ſedibus, vt docet Ariſtoteles de aqua, cùm inquit in t. 39. *Quapropter ſi ſubtrahatur*, ſupple terra de propria regione, *aqua fertur in eam, quæ eſt terra, & aer in regionem aquæ:* licet videatur hoc negare de aere in eam, quæ eſt ignis, cùm ſubdit: *Surſum autem in eam, quæ ignis eſt, ablato igni, non ferretur aer niſi vi.* Quod an ſit conuenienter dictum, videbimus in ſequenti quæſtione.

Ad ſecundam probationem concluſionis neganda eſt ſequela maioris. Ad cuius probationem, neganda eſt minor, ſiquidem motuum diſtinctio non ſumitur à diſtinctione agentium,ſeu principiorum quo, ſed terminorum ad quos, qui in propoſito eſſent duo, ex parte grauitatum, & duo ex parte leuitatum, & ſic ex his colligeretur numerus quatuor Elementorum, quamuis motus, & horum virtutes motiuæ non diſtinguerentur ſpecie. Elementa enim non diſtinguuntur ſpecie ab extrinſeco ratione qualitatum, verùm ab intrinſeco ratione ſuarum formarum ſubſtantialium.

Obijcies ſecundo contra eandem Concluſionem nam diuerſæ formæ ſpecie diſtinctæ, arguunt diuerſas proprietates ſpecie diſtinctas, ſed forma aquæ, & forma terrę diſtinguuntur ſpecie,cum conſtituant Elementa diſtincta ſpecie, ergo cum huiuſmodi formas conſequantur duæ grauitates, veluti earum proprietates, & iſtæ pariter debent eſſe diſtinctæ ſpecie. Maior patet quia proprietates radicantur in formis, à quibus in eſſe actuali fluunt, ergo qualem diſtinctionem admittunt formę inter ſe, talem pariter, & proprietates admittere debent à ſeinuicem.

Reſpondetur ex 2. Not. Maiorem eſſe veram cum ſua probatione de proprietatibus inſeparabilibus, & realiter identificatis cum ſuis formis, à quibus in eſſe fluunt, nõ tamen de ſeparabilibus,ac realiter diſtinctis à formis, cuiuſmodi ſunt grauitates, & leuitates, quia iſtæ poſſunt eſſe eiuſdem ſpeciei, & ſolùm numero diſtinctæ in diuerſis formis ſubſtantialibus, quamuis hæ diſtinguantur pluſquam numero, vt ſupra oſtendimus.

Obijcies tertio, quia illæ qualitates videntur diſtingui pluſquam numero, quæ ſimiles eſſe nequeunt in intenſione,ac remiſſione, ſed grauitas terræ, & aquæ, leuitas ignis, & aeris sũt huiuſmodi,ergo nequeũt diſtingui tãtum numero, verum pluſquam numero, & ſic etiam ſpecie. Maior patet, quia illæ qualitates, quæ ſunt ſimiles in intenſione,& remiſſione ſpectant ad eandem ſpeciem, vt patet de caliditate intenſa,& remiſſa; quia enim remiſſa poteſt augeri ad

i *De Cœlo, & Mundo.*

gradum vſque intenſionis, & intenſa diminui vſque ad gradum remiſſionis, propterea ſunt ſimiles in gradibus indiuidualibus, & ſic ſpectant ad eandem ſpeciem, ergo ex oppoſito, quæ ſunt diſſimiles in gradibus indiuidualibus, debent eſſe diſſimiles in intenſione, & remiſſione, & ſic ſpectabunt ad diuerſas ſpecies. Minor probatur, quia grauitas terræ eſt intenſior grauitate aquæ, nec illa remitti poteſt, vt æqualis ſit grauitati aquæ, neque hæc augeri, vt ad illius intenſionem aſcendat: ſemper enim grauitabit infra aquam, ergo huiuſmodi grauitates nequeunt ſpectare ad vnam ſpeciem, ſed erunt ſub diſtinctis ſpeciebus. Idem poteſt argui de leuitatibus ignis, & aeris.

Reſpondetur maiorem eſſe veram de intenſione, & remiſſione ſpecifica, non autem de indiuiduali: & ſic neganda eſt minor de intenſione ſpecifica, quia grauitas terræ, & grauitas aquæ, vt comparantur ad leuitatem aeris, vel ignis ſibi oppoſitam contrariè, æquantur in intenſione motus deſcendendi, cùm æqualiter moueantur à contrario in contrarium, nempe ab extremo in medium. Et cùm probatur, terram eſſe ſemper in grauitate intenſionis deſcenſus, quam deſcenſus aquæ, quia ſemper mouebitur infra aquam, dicimus verum eſſe de intenſione indiuiduali, quæ deſumitur à grauitate terræ, vt comparatur ad grauitatem aquæ, quæ cùm ſit ratio indiuidualis, nequit illas diſtinguere in ſpecies, verùm tantùm in qualitates numeraliter diuerſas.

Vel dicendum breuiter, minorem, cum ſua probatione, veram eſſe de grauitate numerica terræ, vel aquæ, non de ſpecifica, quem cum ambæ deſumantur ab eadem ratione formali deſcenſus ad medium, vt opponitur extremo, & non vt comparantur ad inuicem, quamuis numericè ſint diſſimiles in intẽſione numerica, ſunt tamẽ ſimiles in ſpecifica, & ſic ſpectant ad eandẽ ſpeciem, diſtinctæ tamen numeraliter.

Obijcies quarto contra ſecundam partem eiuſdem Concluſiones nam illud eſt grauius in ſpecie, quod magis infra leue deſcendit, ſed terra magis, quam aqua infra leue deſcendit, ſiquidem terra habet pro medio centrum Vniuerſi, aqua verò ſuperficiem terræ, ergo terra magis infra leue deſcendit, quam aqua, ſicque grauior eſt ipſa.

Reſpondetur, maiorem eſſe veram, ſi ambo corpora grauia comparentur ad leuitatem aeris, infra quam ambo mouentur deorſum; falſam verò ſi vnum graue comparetur ad aliud, quia tunc non ſumitur grauitas in ſpecie, ſed in indiuiduo. Ad minorem diſtinguimus illam; ſi terræ, & aquæ grauitates comparentur ad leuitatem aeris ex æquo, neganda eſt minor, ſiquidem terra ſic non eſt grauior aqua, quinimò ſi ambæ ſimul deſcenderent à concauo aeris, & nullum adeſſet impedimentum, eodem temporis momento per lineã rectam contingerent idem centrum: ſi verò grauitas terræ comparetur ad grauitatem aquæ conceditur illa; at terra tunc non mouebitur infra leue, verùm ſolùm infra aquam, & ſic non eſſet grauior in ſpecie, ſed in indiuiduo duntaxat; ac proinde huiuſmodi grauitates diſtinguerentur ſecundum magis, & minus, non verò ſpecie.

Obijcies quinto contra ſecundam Concluſionem argumenta, *quibus fuit* comprobata prima concluſio, ſiquidem ambæ grauitates, & leuitates cõueniũt *in* vna diffinitione eſſentiali, ergo grauitas terræ, & grauitas aquæ: ſimiliter leuitas ignis, & leuitas aeris, ad inuicẽ cõparatæ, ſunt eiuſdẽ ſpeciei.

Reſpondetur negando antecedens. Ad cuius probationem dicimus veras eſſe ambas maiores ſumendo diffinitionem leuitatis in genere, & grauitatis pariter in genere, non verò in ſpecie, quia ſic alia eſt diffinitio grauitatis terræ à diffinitione grauitatis aquæ, & alia leuitatis *ignis* à leuitate aeris; ſiquidem dantur per media diuerſa determinata illæ vtriuſque grauita*tis*; ſicut per extrema diuerſa illæ vtriuſque leuitatis, vt dictum eſt in probatione concluſionis ſecundæ.

Obijcies ſexto, quia qualitas intenſa, & remiſſa non diſtinguuntur ſpecie, vt patet de caliditate octo graduum, & quatuor graduum, in omnium ſententia, ergo nec leuitas ignis à leuitate aeris, nec à grauitate aquæ grauitas terræ poterunt diſtingui ſpecie, cùm ſint qualitates intenſæ, & remiſſæ; grauitas namque terrę, & leuitas ignis, cum habeant eſſe ſimpliciter, ſunt intenſę; grauitas autem aquæ, & leuitas aeris; cum ſint quodammodo mixtæ, ſunt remiſſę.

Reſpondetur antecedens eſſe verũ de intenſione, & remiſſione indiuiduali; falsũ de

eiſdem

eiſdem deſumptis ex maiore, aut minori participatione vnius, & eiuſdem rationis formalis, quia ſic diſtinguuntur ſpecie; modò cùm intentio grauitatis terræ, & leuitatis ignis, & remiſſio grauitatis aquæ, ac leuitatis aeris deſumantur à maiori, & minori participatione rationum formalium grauitatis, & leuitatis, vt declarauimus in 5. Not. ſequitur inter eas diſtintio formalis, & ſpecifica, non autem materialis, ſeù numerica.

Vtrum omnia, vel aliqua Elementa grauitent, vel leuitent in proprijs regionibus?

QVÆSTIO III.

Eſt aperta, ac manifeſta ſententia Ariſtotelis in hoc lib. 4. de Cęlo, & Mundo t. 29. 30. & 39. omnia Elementa vbique grauitare præter ignem, & pariter omnia leuitare vbique præter terrā, & non ſolùm extra, verùm etiam in proprijs regionibus. Eandem ſententiā tenet Auerroes in Com. ſuper citatis textibus Ariſtotelis, illumque tueri conatur ab oppoſitionibus aliorum, qui aliter ſentiunt.

Oppoſitam ſententiam docent contra Ariſtotelē, & Auerroem ex Antiquis Themiſtius, & ſimplicius, nempe quod nullum Elementum in ſua propria regione grauitet & leuitet, alioquin non naturaliter, ſed violenter ibidem quieſceret, quod eſſet etiam contra ipſum Ariſtotelem pluribus in locis, & præſertim in primo lib. de Gener. & Corrupt. tex. 55. vbi habet, quod habitibus præſentibus ceſſat motus, ſupple naturalis, & incipit violentus. Eandem ſententiam communiter ſequuntur Peripatetici, & Mathematici, quos referunt, ac ſequuntur Ruuius hic cap. 6. q. 2. & Maſtrius de Cœlo Diſp. 3. q. 4. n. 59. in fine, quibus addi poſſunt Zanardus de Qualit. Element. q. 12. Conimbric. hic cap. 6. q. 2. Alber. de Saxon. lib. 3. de Cęlo q. 3. Concluſione tertia Comptonus de Gener. Diſp. 12. ſect. 1. n. 6. Quæſtes ſecundo.

Alij, quaſi media via incedere volentes, dicunt, Elementa ſecundum partes grauitare, & leuitare etiam in proprijs regionibus, non verò ſecundum ſe tota. Ita Serbellonus de Ortu, & Inter. Diſp. 3. qu. 2. art. 2. §. 53. & 55.

Alij denique diſtinguentes inter grauitare, & leuitare in actu, & in habitu, nituntur concordare omnes has opiniones cum Ariſtotele, dicentes hunc locutum fuiſſe de grauitare, & leuitare in actu primo & in habitu, illos verò de eiſdem in actu ſecundo. Sic Sueſſanus lib. 4. de Cęlo, & Mundo ad t. 30. videtur conciliare Themiſtium cum Ariſtotele, & Auerroe.

Quid autem ſit dicendum nobis cum Doctore ſubtili in 2. d. 2. q. 10. D. quem Maſtrius citatus retulit pro ſecunda ſententia, quibuſdam obſeruatis, ac notatis de more, noſtram quoque aperiemus ſententiam.

Primo igitur Notandum eſt, ſeù potiùs memoriæ recolendum eſt, quod obſeruauimus in præcedentibus quæſtionibus, Elementa diuidi in grauia, & leuia, & iſta moueri motu recto, vel ſurſum, vel deorſum. Quæ mouentur deorſum ſunt terra, & aqua, quæ verò ſurſum, ſunt ignis, & aer. Vnumquodque eorum habet proprium terminum, ad quem naturaliter tendit, vocaturque eius locus, ſeù ſedes, ſiuè regio, in quibus collocantur. Terra enim locatur in centro Vniuerſi. Aqua in ſuperficie conuexa ſphæræ terreſtris. Aer in ſuperficie concaua ſphæræ ignis; Ignis verò in ſuperficie concaua orbis lunaris. Modò quærimus, cùm Terra, & Aqua obtinuerint propriam ſedem, vel regionem, an poſſint in eis, grauitare, hoc eſt, oſtendere ſe eſſe grauia, & pariter Aer, & Ignis cùm locati fuerint in proprijs locis, an poſſint leuitare, ideſt manifeſtare ſe eſſe leuia.

Secundo Notandum eſt, grauitatem, & leuitatem dupliciter ſumi poſſe, & in actu primo & in actu ſecundo grauitas, & leuitas in actu primo ſunt quædam principia actiua, quibus graue, & leue poſſunt inclinari ad motum deorſum, & ſurſum, hoc eſt, ſunt diſpoſitiones poteſtatiuæ, conſequentes formas ſubſtantiales, & illas inclinantes vt graue poſſit ferri deorſum, & leue ſurſum. Grauitas, & leuitas verò in actu ſecundo ſunt ipſa principia actiua, ſiue diſpoſitiones, quibus graue deorſum, & leue ſurſum actualiter inclinantur ad motum deſcenſus, & aſcenſus. Ex quibus infertur, quod ſi grauitare, & leuitare deſumantur à grauitate, & leuitate in actu primo certum

eſt, quod omnia Elementa, vbicumque reperiantur, ſiuè in proprijs, ſiuè in alienis ſedibus, aut regionibus, grauitant, & leuitant, cum ſemper habeant huiuſmodi principia actiua comitantia proprias formas ſubſtantiales, quibus inclinantur ad proprios motus, ſi non prohibeantur. Sin autem grauitare, & leuitare deriuentur à leuitate, & grauitate in actu ſecundo quam quam certum etiam ſit, omnia Elementa, vel grauitare, vel leuitare, dùm exiſtant extra propria loca, quia conantur ferri ad proprias ſedes, vt docet experientia, tamen ſi extiterint in proprijs regionibus, non eſt vna omnium Doctorum ſententia, cum nonnulli cenſeant expoliari Elementa leuitate, & grauitate, non ſolum in actu ſecundo, ſed etiam in actu primo, cùm non ſint ampliùs illis neceſſariæ.

Tertio Notandum eſt, latam eſſe differentiam inter grauitare, & leuitare Elementorum, & inter habere grauitatem, & leuitatem in actu ſecundo. Nàm habere grauitatem, & leuitatem in actu ſecundo eſt habere pondus in graui, coniunctum cum actuali motu deſcenſus ad medium, vel carentiam ponderis in leui, coniunctam cum actuali motu aſcenſus ad extremum grauitare verò, & leuitare, vt colligitur ex Scoto in ſecundo d.2.q. 10. ſub D, eſt conari per grauitatem, vel leuitatem ad motum deſcenſus, vel aſſenſus, remouendo prohibens, vt graue poſſit ſe facere in centro, & leue in extremo, ad quæ naturaliter inclinantur. Hoc autem cauſatur in graui per iteratos ponderationes, quas habet graue ſuper continuo ſibi ſubiecto, dùm nititur, vel frangere, aut diſſoluere partes continui, impedientes motum ad medium, ad quod naturaliter inclinatur: vel per iteratos impulſus in leui, quos exhibet continuo illi ſuprapoſito, dùm conatur diſſoluere continuitatem partium, vt leue poſſit ferri ad extremum, ad quod naturaliter inclinatur: Exemplum prioris poteſt deſumi ab ingenti cumulo grani; detento ſuper ſolario, in quod tantùm obluctatur ponderando, quouſque diſſoluatur continuitas ſolarij, & deorſum deſcendat, vt perueniat ad medium, ad quod naturaliter inclinatur. Exemplum poſterioris accipi poteſt ab igne exiſtente ſub aliquo fornice, vel tabulato, in quæ tantumdem impellit, quouſque ſibi aditum aperiat ad aſcenſum in extremum, ad quod naturaliter tendit.

Quarto Notandum eſt ex eodem Scoto in præcitato loco, quietem exigere cauſam actualiter cauſantem, ſicut, & motus, tàm in graui, quàm in leui; huiuſmodi autem cauſa in graui, nequit eſſe niſi, grauitas, ſicut & in leui leuitas, nàm per eandem qualitatem, per quam Elementum mouetur ad ſuum proprium locum, cùm fuerit extra ipſum, quieſcit pariter naturaliter, cum fuerit peruentum, & receptum in ſuo proprio loco, per eandem met qualitatem; cùm igitur per grauitatem Elementa grauia naturaliter moueantur ad ſua loca naturalia, per ipſam quoque habent quietem in ipſis: & ſicut per leuitatem, Elementa leuia naturalia feruntur ad ſua propria loca, ita per eandem in illis debent quieſcere. Ex quibus concludere poſſumus, quod ſicut Elementa dicuntur grauitare, & leuitare, cùm extra ſuas regiones detenta, conantur per remotionem prohibentium, moueri ſurſum, vel deorſum, quouſque perueniant ad terminos, quos naturaliter affectant, ſic pariter poterunt dici grauitare, & leuitare, cùm in ſuis regionibus exiſtentia, per leuitatem, & grauitatem, vti per ſuas cauſas coeuas, ſibi naturaliter, & continuè cauſant quietem, ad quam naturaliter inclinantur, ſiquidem grauia, & leuia ita per tales cauſas ſibi procurant continuationem quietis, nè exturbari contingant à ſuis regionibus, ſicut per eaſdem conantur, ne contra inclinationem extra illas detenta manere cogantur.

Ex his ſit prima Concluſio ſi grauitare, & leuitare diſumantur à grauitate, & leuitate in actu primo ſic omnia Elementa, vbicumque reperiantur, ſi in proprijs locis, ſiue extra, granitant, & leuitant. Eſt communis. Probatur, quia ſic grauitare, & leuitare non eſt aliud, quam habere leuitatem, & grauitatem in habitu tamquam principia grauitandi, & leuitandi. ſi opus fuerit, & non prohibeantur, ſiuè intrinſecè, ſiuè extrinſecè, vt notatum eſt ſupra in ſecundo Not. ſed omnia Elementa in quibuſcumque locis extiterint, habent grauitatem, & leuitatem tanquam leuitandi, & grauitandi principia, cùm ſint aut grauia, aut leuia, ſiquidem grauitas, & leuitas,

tas,

tiales, ergo omnia Elementa, vt ſic, & vbicumque reperiantur grauitant, & leuitant.

Secunda Concluſio. Si verò grauitare, & leuitare deriuentur à grauitate, & leuitate ſumptis pro actu ſecundo, omnia Eleméta, quàmuis grauitent, & leuitent extra proprias regiones, tamen in proprijs ſedibus, nullum Elementum grauitare, & leuitare valet. Eſt communis contra Ariſtotelem, & Auerroem Villalpandum, Burriũ, ac Roccum hic q.3. relatos a Recentioribus. Probatur prima pars, quia omnia Elementa inclinantur ad propria loca determinata, nẽpe terra ad centrum Vniuerſi, aqua ad ſuperficiem conuexam terræ, aer ad ſuperficiem concauam ignis, & hic ad ſuperficie concauam Orbis Lunæ, ergo ſi detineantur extra, quominus per motum ſibi naturalem poſſint ad illa peruenire, conantur remouere, ſua grauitate, aut leuitate, impedientia ad tales motus, ſed in huiuſmodi conatibus conſiſtit grauitare, & leuitare igitur omnia Elementa, exiſtentia extra loca ſibi propria, grauitant, & leuitant. Aſſumptum patet ex dictis in tertio Not. Secunda pars probatur, quia nullum Elementum graue exiſtens in ſuo loco proprio inclinatur ad motum deorſum; & nullum Elementum leue exiſtens pariter in ſuo proprio loco inclinatur ad motum ſurſum, ſiquidem ex Ariſtotele lib. de Gen. & Corrupt. t. 55. *Habitibus præſentibus, ceſſat motus.* Sed grauitare, & leuitare ſupponit in graui, & leui inclinationem ad motum ſurſum, vel deorſum, quia in ſua ratione includit remotionem prohibentis motum naturalem ſurſum, vel deorſum, vt in tertio Not. obſeruatum fuit, ergo nullum Elementum exiſtens in proprio loco grauitare, aut leuitare poteſt. Deindè confirmatur iſta ratio. Nàm ſi aqua exiſtens in ſuperficie conuexa terræ, & hæc in centro Vniuerſi grauitarent, & aer exiſtens ſub concauo ignis, & ignis ſub concauo Orbis Lunæ leuitarent, violenter exiſterent in illis, ſiquidem haberent inclinationem ſe ferendi ad alia loca, ac proinde in illis manerent contra inclinationem, & ſic violenter, atqui hoc eſſet contra Ariſtotelem pluribus in locis, vbi ponit naturalem ordinem Elementorum ſecundum lum Elementum exiſtens in ſua regione grauiter, vel leuiter.

Tertia Concluſio. Probabile eſt, non ſolùm Elementa media, verùm etiam externa, grauitare, & leuitare in proprijs regionibus. Prima pars eſt Ariſtotelis in locis citatis in principio, contra communẽ ſententiã Doctorum, quos retulimus in ſecunda opinione ſecunda pars colligitur ex Doctore ſubtili in ſecundo d. 2. q. 10. D. § Hoc etiam poterit ſatis patere &c. contra Maſtrium, à quo citatur pro ſentẽtia communiori. Probatur prima pars, quia graue ſupra aliud exiſtens retinet, non amittit proprietates, quæ qua tale, ſibi conueniunt ab intrinſeco, ſed grauitare ab intrinſeco, cum ſit de numero grauium, competit aquæ, ergo etiam poſita ſupra terram grauitabit. Nec valet dicere maiorem eſſe veram de graui poſito extrà proprium locum, cuiuſmodi non eſt aqua ſupra terram, cùm ſit in ſuo loco proprio; non valet inquam, tùm quia exiſtens ſupra terram, non amittit grauitatem in ratione ponderis, ſed illam retinet, vt ſi ſibi ſubtrahatur terra, poſſit inferius deſcendere tota, ſicut experimento comperimus, ipſam ſecundum partem deſcendere per foramen vſque ad centrum ipſius; tùm etiam, quia locus aquæ non eſt ſuperficies conuexa terræ, cùm ambæ contineantur ſub eadem ſuperficie, vt aliàs concluſimus, ergo aqua exiſtens ſupra terram, cùm retineat eaſdem proprietates grauis, poterit vtique grauitare ſuper eam. Probatur de aere poſito ſuper aquam, & ſuper terram, quia experientia teſtatur aerem, per ſubtractionem aquæ, ad terram deſcendere, & per ſubtractionem partium terræ adhuc inferius deſcendere infra terram, ergo ſignum eſt ipſum vti grauitando, ea grauitate, quæ ſibi conuenit, qua Elementum medium eſt. Nec iuuabit ſi quis dicat, talem deſcenſum in aere non eſſe naturalem, ſed tantùm ſibi concedi à Natura Vniuerſali nè accidere contingat vacuum inter ipſum, & terram, vel inter latera partium terræ; ſiquidem non eſt recurrendum ad miracula naturæ vniuerſalis, vbi ſufficit natura particularis, ſed hæc indidit graui motum deſcenſus, ſicut leui aſcenſus, ergo aer ſuaptè natura, qua grauis eſt, inclina-

tur

Digitized by Google

tur deorſum, ac proindè exiſtens ſuper aquam, & terram grauitabit naturaliter, quouſquè peruentus fuerit ad terminum grauis. Deinde probatur iſta Prima pars de leuitate horum Elementorum: nam non magis hæc Elementa media ſunt prædita grauitate, quam leuitate, à Natura Vniuerſali, ſed vt probatum eſt grauitant naturaliter, vt ad ima deſcendant, ergo etiam leuitabunt naturaliter, vt ſuperiores regiones petant, ſi ab eis alia Elementa contigerit deturbari. Conſequentia tenet, quia non eſt maior ratio de grauitate, ac de leuitate. Neque propterea ita facile acquieſcere poſſum Ariſtoteli paritatem neganti de leuitate, & grauitate, ob id, quia per ablationem ignis, aer non eſſet naturaliter locatus, cum eius ſuperficies conuexa non eſſet immediata ſuperficiei concauæ ignis, ac proindè non leuitaret naturaliter in ſuo loco naturali, ſed ſi aſcenderet in locum ignis, hoc eſſet violenter ad impediendum vacuum, quod intercederet inter cõcauum ignis, & conuexum aeris. Cæterùm cùm hæc eadem ratio videatur currere de aere in ordine ad aquam, & de aqua in ordine ad terram, non poſſum videre, quonàm pacto concedere valeat deſcenſum naturalem aeris in locum aquæ, & huius deſcenſum naturalem, in locum terræ, ſi talia Elementa contingat ſubtrahi, aut è proprijs ſedibus deturbari: concludamus igitur vtraque Elementa media in proprijs locis grauitare, & leuitare, cùm valeant indè aſcendere, & deſcendere, ſi contigerit alia ſubtrahi, aut auferri è proprijs regionibus. Secunda pars concluſionis probatur; non tantum de extremis, verùm de omnibus Elementis ſimul, nàm per eandem qualitatem per quàm Elementum mouetur naturaliter ad ſuum proprium locum, cum fuerit extra ipſum, per illam eandem cauſat, & procurat ſibi quietem continue in eodem proprio loco nè exindè amplius dimoueri contingat, ſed per grauitatem, aut leuitatem, grauitat, vel leuitat, vt acquirat ſibi locum, ad quem naturaliter inclinatur, ergo per eaſdem omnia Elementa grauitare, aut leuitare debent, dùm cauſant, & procurant ſibi quietem in proprijs locis iàm acquiſitis, nè ab illis extrahi poſſent. Maior patet, quia ſicut motus exigit cauſam poſitiuam, ſui eſſe, ita quies pariter requirit cauſam poſitiuam ſui, & non niſi illam eandem, per quam mobile acquirit ſibi terminum in quo quieſcere debet. Minor remanet probata ex dictis in ſecundo & tertio Not. Conſequentia tenet, nàm quicquid dicitur de vno Elementorum, verificatur pariter de omnibus, cùm ſit eadem ratio de omnibus.

Obijcitur contra ſecundam concluſionem multipliciter, & primo ſic, nàm Elementum, cum ſit totum homogeneum eſt eiuſdem rationis cum omnibus ſuis partibus, ſed partes alicuius Elementi exiſtentis in centro grauitant, ergo & totum grauitabit in centro, & ſic in ſuo loco naturali exiſtens. Minor probatur, quia partes terræ ſuperiores, exiſtentes circa centrum, comprimunt inferiores cum harum reſiſtentia, vt omnes vniantur circulariter circa centrum, vt communites fatentur omnes Doctores, ſed talis compreſſio eſt vera grauitatio, ergo partes terræ grauitant in loco proprio terræ, ac proindè tota terra.

Reſpondetur negando minorem. Ad probationem, vtique concedimus partes ſuperiores cum primere partes inferiores diſtribuèndo illas circa centrum, vt reſultet ex eis figura circularis, verùm negamus illas eſſe in centro, dum comprimunt aliàs inferiores, quinimò valdè diſtat ab ipſo, ideo laborant grauitando, vt ſe faciant in centro; ad quod naturaliter inclinantur, at illæ, quæ iàm obtinuerunt centrum, dicuntur eſſe in loco proprio, in quo nec mouentur, neque grauitant, ſed quieta tranquilitate feruntur, ſicut tota terra, dum eſt in ſuo proprio loco.

Obijcitur ſecundo ſi à terra exiſtente in proprio loco, aliquis niteretur eleuare aliquam partem, ſentiret in tali eleuatione reſiſtentiam, & ponderationem illius partis, ergo ſignum eſt, quod illa grauitabat ſupra partes inferiores, & ſi alij conarentur in reliquis terræ partibus vſque ad centrum idem pariter ſentirent, igitur dicendum eſſet, omnes terræ partes, & non tantum diſtantes à centro, grauitare, ac proinde totum Elementum terræ exiſtens in proprio loco, grauitare. Antecedens cum conſequentia tenere debet; nam omnes partes ſingillatim ſumptæ, ſicut & vnitæ in toto, præſeferunt inclinationem ad eſſe

deor-

deorſum in centro vniuerſi, ergo eadem ratio eſt de partibus, ac de toto.

Reſpondetur negando conſequentiam, ſiquidem ſolum ſequitur, omnes illas partes exiſtentes in loco proprio terræ, præhabere ſimul cum tota terra grauitatem in actu primo; quæ poſteà exiret in actum. Secundam contra eum, qui tentaret deturbare ſuam quietem, per eleuationem earum à loco naturali; quare grauitaret potiùs ad locum, quàm in loco naturali ſibi proprio.

Obijcitur tertio ſi aquæ exiſtenti ſupra terram, ſubtraheretur aliqua pars eius, vel fieret foramen in terra vſque ad centrum, aqua vtique deſcenderet vſque ad centrum ſimiliter aer aſcenderet naturaliter ad locum ignis, ſi hic ſubduceretur à proprio loco, & deſcenderet in locum aquæ, ſi contingeret ipſam de propria dimoueri regione, ſed tàm aqua, quàm aer eſſent in proprijs locis, ergo in proprijs locis, ſeù regionibus, & grauitarent, & leuitarent.

Reſpondent aliqui in talibus caſibus, nec aquam deſcenſuram in locum terræ, nec aerem in locum aquæ, neque aſcenſurum in regionem ignis naturaliter, ſed tantùm trahi vi agentis vniuerſalis ad huiuſmodi loca ad vitandum vacuum, & rationem reddunt, quia nec aqua ſupra terram, nec aer ſupra aquam habent rationem grauium, ſed leuium, neque aer ſub igne habet rationem leuis, ſed grauis, vt pariter docet Ariſtoteles in t.27. & 39. quare cum leuium tantùm ſit naturaliter aſcendere, & grauium duntaxat deſcendere, ſequitur, neque aquam deſcenſuram in locum terræ, nec aerem in locum aquæ, neque aſcenſurum aerem in locum ignis naturaliter, verùm duntaxat vi ad vitandum vacuum.

Verùm hæc reſponſio non tollit difficultatem, ſed potius eam deludit, quia & pugnat cum experientia, & auferre contendit aquam de numero grauium, & aerem de ſerie leuium, cum adimat ab eis grauitatem, & leuitatem in actu ſecundo ſiquidem ablatis operationibus, & potentias auferri neceſſe eſt, quia forent fruſtraneæ: aqua igitur in tali caſu vtique deſcendet in regionem terræ, & aer in eam, quæ eſt aquæ, & aſcendet in illam, quæ eſt ignis, ijs ablatis, & naturaliter, cùm de ratione omnium grauium ſit deorſum ferri, & leuium ſurſum ſi non prohibeantur.

Reſpondetur ergo meliùs concedendo, & aquam & aerem deſcenſuros, admiſſo caſu, quod fieret ſubtractio alicuius partis terræ, vel aquæ, & aerem etiam aſcenſurum in locum ignis, ſi de illo, aliqua portio ablata foret, & hoc naturali motu, cùm ſint de numero grauium, & leuium, verùm neganda eſt conſequentia, quod in tali caſu grauitarent, & leuitarent, cùm nullum adeſſet impedimentum ad motum deſcenſus, vel aſcenſus, ſiquidem ſupponimus ſubtractionem alicuius partis terræ, in cuius locum deſcenderet aqua, vel alicuius portionis aquæ, in cuius locum deſcenderet aer, aut alicuius portionis ignis, in cuius locum ſuccederet naturaliter etiã aer. Nec valet dicere, quod in tali caſu, nec aqua, nec aer forent de numero grauium, nec aer ſub igne de numero leuium, quia hallucinantur, putantes in tali caſu aquam, & aerem eſſe ſupra magis graui, ac aerem ſub magis leui, quandoquidem in tali caſu aqua, & aer habent pro loco totam regionem grauium, & aer etiam totam regionem leuium in quas naturaliter mouerentur, & ſic aqua, & aer eſſent ſimpliciter graues, & aer in comparatione ad talem regionem eſſet ſimpliciter leuis.

Obijcitur quarto contra primam partem tertiæ Concluſionis, ſi Elementa media grauitarent, & leuitarent in proprijs locis, ſequeretur, quod aqua violenter quieſceret in terra, & aer in aqua, & hæc ſub aere, & aer ſub igne: ſiquidem in his exiſtunt vt in proprijs locis, ergo ſi grauitarent, naturaliter deſcenderent, ſi leuitarent, naturaliter aſcenderent, ac proindè ſic violenter ſe haberent, cùm nec deſcenderent, nec aſcenderent, ſed in eiſdem quieſcerent, atqui hoc eſt falſum, quia mouentur naturaliter ad propria loca, vt ibi naturaliter quieſcant. Minor probatur ex Ariſtotele hic t. 25. vbi inquit: *Cùm igitur ſit ex aqua aer, & ex graui leue venit ad ipſum ſurſum, ſimul autem eſt leue, & non amplius ſit, ſed ibi eſt*, ergo leue naturaliter quieſcit in loco ſurſum, & graue in loco deorſum.

Reſpondetur negando ſequelam maioris, ſiquidem cùm huiuſmodi Elementa ſint partim grauia, & partim leuia, habent inclinationem ad deſcenſum, & aſcenſum, non tantum extra, verùm etiam in pro-

prijs

prijs locis, cùm vbique retineant grauitatem in actu primo ſecundum quam moueri poſſunt deorſum, & leuitatem pariter in actu primo per quam cieri poſſunt ſurſum: vnde cùm non ſint determinata ad vnum motum tantum, ſed indifferentia ad vtrocumque, nulla ſequitur violentia, aut deſcendendo, aut aſcendendo, vel ſtando. Neque textus adductus quicquam faceſſit; probat namque ſolum, aerem peruentum ad regionem leuium ibi ſiſtere leuitando, quia ſuper ipſa non datur alius locus, ad quem leuia tendere poſſunt, ſicut neque ſub regione grauium aſſignari poteſt alius locus, ad quem tendere valeat vllum ex grauibus.

Obijcitur quinto ſi aqua, & aer in ſuis regionibus grauitarent, ſequeretur, & natantes ſub aqua. & incolas ſub aere, debere ſentire pondus, & grauitationem, ſed hoc eſt penitus falſum; ſiquidem nec aer capita noſtra, nec aqua dorſa natantium grauant, aut in imum deprimunt, vt experientia demonſtrat, ergo melius dicendum eſt, huiuſmodi Elementa media ſuis in locis non grauitare.

Reſpondetur communiter negando ſequelam maioris, quia grauia ſub leuibus quidem poſita grauitare vbique, quia omnia Elementa vbique grauitatem habent, præter ignem, cum nulli ſubſit cæterùm grauia ſuper grauioribus exiſtentia, non ponderare, quia ibi non habent rationem grauium, ſed leuium, quod diſertis verbis fatetur in t. 29. vbi inquit, *aquam vbique grauitatem habere, præterquàm in terra, & aerem præterquàm in aqua, & terra*, & ratio eſt, quia terra eſt grauior aqua, cui ſubſit, & vtraque eſt grauior aere in quibus exiſtit localiter, vt in proprijs locis; ex quibus inferunt, nec natatantes debere ſentire pondus aquæ, nec incolas in terra pondus aeris. Verùm hæc reſpondendi ratio non tollit difficultatem contra concluſionem, ſed solùm aufert ſuppoſitum eiuſdem, ſiquidem ex eâ ſequitur ideò talia Elementa non grauitare, quia vt exiſtunt in ſuis locis, non ſunt grauia, ſed tantum leuia, quod eſt deſtruere rationem Elementorum mediorum, quæ ſtatuit, illa ſimul grauia & leuia ad extrema tamen comparatara, quare.

Reſpondetur ſecundo ac melius negando quidem ſequelam maioris, verùm non ob eandem rationem, quia huiuſmodi Elementa, exiſtentia in magis grauibus, amittunt grauitatem, tanquàm grauitandi principium, & ſolùm retinent leuitatem oppoſitam, per quam tollitur vis grauitandi; ſed ſolùm, quoniam dùm emiſtunt in grauioribus diminuitur effectus grauitationis ſic vt inquit Auerroes, vt in eis ſentiri non poſſit, diſtinctus ab eo, quem percipiunt per grauitatem, quam habent in ſeipſis, quare aliquibus videtur potiùs amiſſa pro tunc ab illis grauitas, quæ eſt principium grauitandi, & negare grauitationem, quam vtramque concedere, etſi minime percipiant aliquem effectum grauitationis, ſed perperam certè, quia poſito caſu, quod aquæ ſubtraheretur aliquas pars terræ, vel fieret foramen in ea, certè deſcenderet inferiùs, quod facere non poſſet, ſi ab ea eſſet ablata grauitas, quæ eſt principium grauitandi, ac deſcenſus ad inferos.

Obijcitur ſexto quia ordo Vniuerſi poſtulat, vt vnicuique corpori ſimplici ſaltem, aſſignetur certus, ac determinatus locus, vt non ſibi luceat naturaliter ad alienum commeare, ſed ſi aquæ concederetur grauitatio, & aeri leuitatio, tolleretur hic ordo, ſiquidem grauitatio ſupponit inclinationem ad motum deſcenſus, & leuitatio inclinationem quoque ad motum ſurſum, ergo nec aqua, nec aer exiſtentes in proprijs locis poterunt grauitare, aut leuitare, alioquin poſſent naturaliter ad aliena loca tranſire, & ita tolleretur Vniuerſi ordo, quod eſſet maximum abſurdum.

Reſpondetur negando minorem, ordo enim Vniuerſi poſtulat quidem vnicuique corpori locum ſibi debitum, non tamen, quod graue ſupra aliud graue locatum non poſſit grauitare, aut leue poſitum ſub alio leui, leuitare non poſſit, quia videmus animalia poſita ſuper terram grauitare ſuper eam, vt patet ex impreſſione veſtigiorum, & vapores eleuatos ad vltimam regionem aeris leuitare, cum incendantur ab igne & cùm probatur oppoſitum, quia grauitatio, & leuitatio ſupponunt inclinationem ad motum deorſum, vel ſurſum, verùm eſt de grauibus, & leuibus exiſtentibus in alienis regionibus, non tamen in proprijs, quia ſic habent inclinationem ad motum tantùm in actu primo non verò in actu ſecundo

cundo ac propterea non reſpiciunt aliena loca, verùm duntaxat propria, niſi eſſent in eis locata.

Vel dicendum, quod ordo Vniuerſi ſtatuit tantum duo loca pro omnibus corporibus ſiuè ſimplicibus, ſiue compoſitis, alterum ſurſum pro omnibus leuibus; alterùm verò deorſum pro omnibus grauibus; quare ſi graue ſupra aliud graue locatum grauitet; vel ſi leue ſub leuiori poſitum leuitet, non intendunt tranſire extra propriam ſphæram, ſed in propria propiùs ſe facere præſens ad centrum, ſeù punctum indiuiſibile eiuſdem ſphæræ, ac proinde per grauitationem, & leuitationem aquæ, vel aeris exiſtentium in ſuis regionibus non tolleretur ordo Vniuerſi, ſed optimè ſeruaretur.

Obijcitur ſeptimo contra ſecundam partem eiuſdem concluſionis quia grauitare, & leuitare implicat tendentiam cum inclinatione ad locum non obtentum, ſed Elementa ſupponuntur exiſtere in ſuis proprijs locis, ergo nullo pacto poterunt grauitare, & lenitare.

Reſpondetur, grauitare, & leuitare dupliciter poſſe contingere, vel ad motum, vel ad quietem: leuitare, & grauitare ad motum implicat tendentiam cum inclinatione ad locum non obtentum, concedimus maiorem; leuitare autem, & grauitare ad quietem, implicat tendentiam ad locum negamus illam; ſiquidem grauitare, & leuitare ad quietem non implicat tendentiam ad locum, ſed procurationem continuitatis quietis in eodem loco iàm obtento, cùm negatione inclinationis ad vlteriorem locum. Cùm igitur omnia Elementa per grauitatem, & leuitatem ſibi procurauerint propria loca, ad quæ naturaliter habebant propenſionem, & per eaſdem qualitates in illis continuatam quietem, ſequitur in eis poſſe grauitare, & leuitare ad quietem, quemadmodum extra grauitant, & leuitant ad motum.

Vtrum ex Elementis duo ſint grauia, & duo ſint leuia ſimpliciter vel tantum terra ſit grauis, & ignis ſolum ſit leuis ſimpliciter, aqua verò, & aer comparatè?

QVÆSTIO IV.

Communis ſententia Ariſtoteles, quàm ferè omnes Peripatetici ſequuntur, docet terram duntaxat eſſe grauem ſimpliciter, & ignem ſolùm ſimpliciter leuem, aquam verò, & aerem fore grauem, & leuē in reſpectu, ſeù cōparate ad terrā, & ignē.

Cæterùm nonnulli ex Recentioribus, expendentes ſummam grauitatem per omnimodam excluſionem graduum leuitatis, & ſummam leuitatem per omnimodam excluſionem graduum grauitatis, cenſent ſūmam grauitatem ex æquo conuenire duobus Elementis inferioribus, nempè terræ, & aquæ: ſummamque leuitatem æqualiter cōpetere reliquis Elementis ſuperioribus, nimirum igni, & aeri. Ita Conimbricenſes in hoc l. 4. de Cœlo ca. 6. q. 1. ar. 1. Zanardus de Element. Qualit. q. 11. §. ſecundo igitur &c. Serbellonus de Ortu, & Inter. diſp. 3. q. 2. ar. 3. vbi inquit, grauitatem, ad leuitatem contrariam comparatam, reperiri æqualiter in omnibus grauibus, & ſimiliter leuitatem, grauitati oppoſitam, æqualiter exiſtere in omnibus leuibus.

Quid autem ſit dicendum nobis, quibuſdam notatis, infra noſtram aperiemus ſententiam.

Primo ergo notandum eſt, graue ſimpliciter poſſe quadrupliciter ſumi. Primo pro eo, quo exiſtente tali, nil eſt grauius ſecundo pro eo, quod nullam habet leuitatem oppoſitā admiſtam ſibi tertio pro illo, de quo verificatur, nullo ſibi addito, hoc predicatum graue quarto pro eo, quod in quocūque ponatur, natum eſt deſcendere. Si ſumatur graue ſimpliciter primo modo tota terra ſincathegorematicè ſumpta nequit dici ſimpliciter grauis, quia vna particula data poteſt dari grauior ſi verò accipiatur graue ſimpliciter reliquis tribus modis, tota terra in ſua puritate conſiderata, ſiuè cathegorematice, ſiuè ſincathegorematicè concipiatur, poteſt dici grauis ſimpliciter, tùm quia nullam habet leuitatem

tatem contrariam admiſtam ſibi, tùm etiam quia de tota, & qualibet eius parte verificatur hoc prædicatum graue: tùm denique, quia in quocumque aliorum Elementorum ponatur, ſemper natam eſt deſcendere, ſiuè tota, ſiue qualibet eius pars. Similiter leue ſimpliciter poterit ſumi, & pro eo, quo nil eſt leuius, & pro eò, cui nullus ſit gradus grauitatis admiſtus, & pro eo, quod poteſt abſolute dici leue, & pro eo quod in quo vis graui ponatur ſemper natum eſt aſcendere. Si ſumatur leue primo modo, ignis ſincatheomaticè ſumptus nequit dici leuis ſimpliciter, quia quacumque particula data poteſt dari leuior. Si verò ſumatur tribus alijs modis, ignis poteſt dici leuis ſimpliciter, ſiquidem in ſua puritate ſumptus, nullam habet admiſtam grauitatem, poteſt dici abſolutè leuis, & in quouis aliorum Elementorum poſitus, ſemper natus eſt aſcendere ad extremum.

Secundo Notandum eſt, tàm graue, quàm leue comparatè ſumptum poſſe dupliciter dici tali; vel quia graue habet aliquem gradum leuitatis admiſtum; & leue, quia admittit ſecum aliquem grauitatis gradum vel quia poſitum in aliquo Elementorum, natum eſt deſcendere, & in alio, natum eſt aſcendere, & ſic aqua, & aer dicuntur graues, & leues, ſiquidem admittunt inſeinuicem aliquos gradus remiſſos grauitatis, & leuitatis, per quos, aqua poſita in igne, vel aere nata eſt deſcendere ſuper terram, & poſita ſub ea, nata eſt aſcendere ſuper illam, ſimiliter poſitus in terra, vel aqua natus eſt aſcendere ſub igne, & poſitus in igne natus eſt deſcendere ſuper aquam, & terram. Ex quibus infertur, quod ſicut aqua, & aer dicuntur graues, & leues comparatè, eo quia participant de grauitate, & leuitate extremorum, ſic terra, & ignis dicuntur ſimpliciter graues, & leues, quia ſimpliciter ſe excludunt in grauitate & leuitate: & quemadmodum aqua, & aer aſcendunt, & deſcendunt poſiti in aliquibus, & in aliquibus non, vt propterea poſſint vocari graues, & leues, ita ex oppoſito ignis, & terra debent dici ſimpliciter leuis, & grauis, quia ille ſemper natus eſt aſcendere, & ita ſemper nata eſt deſcendere, in quocumque ponantur.

Tertio Notandum ex Ariſtotele hic in t.27. aquam ad terram, & aerem ad ignem poſſe comparari, & aquam ad aerem, & econuersò aerem ad aquam. Si priori modo comparentur nequeunt ſimpliciter vocari graues, aut leues, verùm duntaxat in reſpectu, vt dictum eſt; aqua enim in ordine ad terram dicitur leuis, quia ſibi eminet; aer verò in ordine ad ignem dicitur grauis, cum illi ſubſit. Si autem poſteriori modo comparentur, hoc eſt, ad ſeinuicem, aqua eſt ſimpliciter grauis, & aer ſimpliciter leuis, cùm illa ſubſit huic, & iſte ſupereminеat illi, ſecundum quamlibet vtriuſque partem; inquit enim, *aer quantuſcunque ſit, ſupereminet aquæ, aqua autem, quantacunque ſit, aeri ſubſtat.*

Ex his ſit prima concluſio. Terra eſt grauis ſimpliciter, & Ignis leuis ſimpliciter, ſumendo ly ſimpliciter graue, & leue ſecundo, tertio, & quarto modis, non autem primo modo. Eſt communis cùm Ariſtotele in hoc lib.4. pluribus in locis. Probatur prima pars, nàm illud eſt ſimpliciter graue modis prædictis, quod caret omni leuitate, & vbicumque reperiatur; ſemper natum eſt ferri deorſum non prohibitum ex Ariſtotele hic t. 31. & ex 1. Not. Sed terra eſt huiuſmodi ex eodem Ariſtotele, ibidem t. 32. ſiquidem terra, & terrea omnibus ſubſtant, & feruntur ad medium, & nullum aliud corpus ſibi ſubſtat, ergo terra eſt ſimpliciter grauis. Secunda pars de Igne probatur per oppoſitū eodem pacto, ſiquidem illud eſt ſimpliciter leue tribus modis prædictis, quod eſt omninò expers grauitatis, & natum eſt ferri ſurſum vbicumque reperiatur, & ſemper ad extremum non prohibitum ex eodem Ariſtotele ibidem t.31. ſed ignis, in ſua puritate conſideratus, eſt huiuſmodi vt probat idem Ariſtoteles ibidem t.31. & quia omnibus ſupereminet, & nulli ſubſtat, ergo ignis eſt ſimpliciter leuis. Tertia pars probatur, quia illud eſt graue ſimpliciter, & illud eſt leue ſimpliciter primo modo, quo nihil eſt grauius, vel quo nihil eſt leuius, ſed terra, ſumpta ſincathegorematicè, datur aliquid grauius, & igne, pariter ſincathegorematicè accepto, datur aliquid leuius. ſiquidem quauis particula terræ, vel ignis data, poteſt dari grauior, & leuior, ergo nec terra, ſincathegorematicè ſumpta, eſt ſimpliciter grauis neque ignis, eodem modo acceptus, eſt ſimpliciter leuis primo modo,

Secun-

Secunda Concluſio. Elementa media, ad extrema comparata, vt pote aqua ad terram, & aer ad ignem, nequeunt vocari abſolutè grauia, vel leuia, verùm in reſpectu tantùm cæterùm ad ſeinuicem comparata, aqua eſt grauis, & aer eſt leuis ſimpliciter. Eſt Ariſtotelis hic t. 27. Probatur prima pars, quia quod ſupereminet alteri eſt leue, & quod ſubeſt alteri eſt graue ex Ariſtotele hic t. 26. ſed aqua in comparatione ad terram ſupereminet illi, & in comparatione ad ignem ſubeſt ei; & econtra aer comparatus ad ignem ſubeſt illi, & comparatus ad terram, ſuperminet ei, ergo aqua eſt leuis in ordine ad terram, & grauis in ordine ad ignem; & per oppoſitum aer eſt grauis comparatus ad ignem, & leuis comparatus ad terram, ac proinde eſt grauis vterque, & leuis ad extrema comparati. Secunda pars probatur, quia aqua comparata ad aerem habet tantum rationem ſubſtantis, & aer comparatus ad aquam habet rationem ſupereminentis duntaxat, ergo aqua eſt ſimpliciter grauis, & aer ſimpliciter leuis. Conſequentia tenet, nàm neque aqua immiſcetur aeri ratione grauitatis, nec aer aquæ ratione leuitatis, ſed ambo manent in ſua puritate, ergo aqua eſt abſolutè grauis, & aer abſolutè leuis.

Tertia Concluſio. Terra eſt grauiſſima, & Ignis leuiſſimus. Eſt Ariſtotelis hic t. 32. Probatur, quia illud eſt graue, quod ſubſtat alicui, & illud eſt leue, quod ſupereminet alicui, ergo illud eſt grauiſſimum, quod ſubſtat omnibus, & nullum ſibi, & illud erit leuiſſimum, quod ſupereminet omnibus, & nullum ſibi, ex Ariſtotele loco citato, ſed terra ſubſtat cæteris Elementis, & nullum ſibi, & ignis ſupereminet cæteris Elementis inferioribus, & nullum ex eis eminet ſibi, ergo terra eſt grauiſſima, & ignis leuiſſimus. Aſſumptum patet, ſiquidem terra eſt in imo poſita circa centrum Vniuerſi, & ignis eſt in ſublimi locatus ſub concauo Orbis Lunæ, ergo terra ſubſtat omnibus, & nullum corpus ſibi ſubſtat, & ignis ſupereminet omnibus & nullum ſupereminet illi. Conſequentia tenet, quia vltra centrum Vniuerſi nullus datur locus, nec ſupra extremum vllus pariter, ergo nec vllum corpus ſub terra, nec ſuper igne, ac proinde terra omnibus ſubſtat, & ignis omnibus ſupereminet.

Obijcitur primo contra primam Concluſionem, nàm quod eſt aliquo grauis, & aliquo minus graue, non eſt ſimpliciter graue, & quod eſt aliquo leuius, & aliquo minus leue non eſt ſimpliciter leue, ſed terra, & ignis ſunt huiuſmodi, ergo nec terra eſt ſimpliciter grauis, nec ignis ſimpliciter leuis. Maior patet, quia graue ſimpliciter eſt ſumme graue, & leue ſimpliciter eſt ſummè leue, at ſummè graui, vel leui nihil eſt grauius, aut leuius, aliter neutrum eſſet ſummum, ergo &c. Minor probatur quia aliqua terra eſt minori terra grauior, & maiori terra minus grauis: ſimiliter aliquis ignis minori igne eſt leuior, & maiori igne minus leuis, ergo nulla terra eſt ſimpliciter grauis, & nullus ignis ſimpliciter leuis, ac proinde nec tota terra erit ſimpliciter grauis, nec totus ignis ſimpliciter leuis.

Reſpondetur maiorem eſſe veram de graui, & leui ſimpliter primo modo, non autem de graui, & leui ſimpliciter cæteris tribus modis ſumpto: modò quælibet pars terræ, & quælibet pars ignis, licet non ſit grauis, & leuis ſimpliciter primo modo, eſt tamen grauis, & leuis ſimpliciter reliquis tribus modis, vt dictum eſt in primo. Not.

Obijcitur ſecundo nàm ſumme, ſiue ſimpliciter leue debet eſſe expers cuiuſcumque grauitatis, ſicut & ſimpliciter graue debet carere omni leuitate, ſed ignis, & terra non ſunt huiuſmodi, ergo nec ignis leuis, nec terra grauis erit ſimpliciter. Maior patet ex Ariſtotele t. 26. & 31. ſæpiuſcitatis. Minor probatur de igne, quia ſecundum quaſdam particulas deſcendit, vt docet Ariſtoteles lib. 1. Meteorolog. cap. 4. propè finem at deſcendere eſt proprium grauis, ergo &c. De terra etiam probatur, quia aurum, plumbum, argentum viuum ſunt grauiora terra, ergo debet terra habere ſecum admiſtam aliquam leuitatem, quam non habent talia corpora.

Reſpondetur negando minorem. Ad primam probationem dicimus ignem deſcendere quidem vt dicit Ariſtoteles, non per grauitatem, quam in ſe habeat, ſed per impulſum impreſſum ab aliquo Aſtrorum per motum cauſatum in igne, ac proindè non per principium intrinſecum, ſed per ex-

extrinſecum genitum. Ad ſecundam probationem dicimus verum eſſe antecedens de terra noſtra, quàm pedibus calcamus, quia cùm ſit miſta ex alijs Elementis, aliquam leuitatem admiſtam habentibus, non eſt mirum, ſi in grauitate cedat illis corporibus, falſum tamen eſt de terra pura, cuiuſmodi eſt, quæ circa centrum degit; ſiquidem eſt grauiſſima, & nulli corpori cedit in grauitate.

Obijcitur tertio contra ſecundam Concluſionem quia quod grauiori ſimpliciter eſt grauius, tale eſt ſimpliciter graue, ſed grauitas aquæ eſt huiuſmodi, ergo aqua eſt grauis ſimpliciter, & non tantum in reſpectu. Minor patet, nam vnum dolium aquæ exiſtens in aere eſt grauius vno pugillo terræ, vt experientia teſtatur, & tamen terra eſt ſimpliciter grauis vbicumque reperiatur vt docet Ariſtoteles in textu.ergo &c.

Reſpondetur negando minorem. Ad probationem conceditur de aquæ dolio exiſtente in aere, & comparato ad pugillum terræ inibi pariter exiſtentem, non tamen de aqua exiſtente in ſuperficie terræ, cùm aqua ibidem habeat rationem leuis. Neque ob id ſequitur aquam eſſe grauem ſimpliciter, quamuis ſit grauior terræ pugillo in aere, quia ad graue ſimpliciter exigitur vt ſit grauius omnibus in quocumque loco ponatur.

Obijcitur quarto quia formam ſubſtantialem aquæ conſequitur grauitas, & formam ſubſtantialem aeris leuitas, ergo ſicut formæ ſubſtantiales aquæ, & aeris ſunt ſimplices, & immiſtæ, ita ſe haberent deberent grauitas in aqua, & leuitas *in* aere ac proinde ſi aqua ſit grauis, & aer leuis, hoc debet intelligi de grauitate, & leuitate ſimplici, & non de miſta.

Reſpondetur quod totum eſt verum de aqua,& aere ad ſeinuicem comparatis,non tamen de illis in reſpectu ad extrema, quia ſic ſecundum extrema, quæ reſpiciunt, per vnam & eandem qualitatem ſimplicem formaliter denominari poſſunt ab effectibus aſcendendi, & deſcendendi graues, & leues; ſiquidem grauitas aquæ in comparatione ad grauitatem terræ poteſt dici leuitas, & leuitas aeris in comparatione ad leuitatem ignis, vocari poteſt grauitas. Et hæc de quæſtione, Diſputatione, ac toto lib.4. de Cœlo, & Mundo dicta ſint ſatis; ad honorem Dei, & vtilitatem Tyronum meæ Religionis, pro quibus laboraui potiùs cum affectu, quàm cum effectu. *Si* in toto hoc opere de Cœlo quicquam fuerit minùs bene ſcriptum, illud, & meipſum ſubijcio correctioni Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ Romanæ.

FINIS.

Digitized by Google